COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XL.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. EPHRÆM.

VII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE,** bibliopolam;

PARISIIS,

Apud **BIBLIOPOLAM,** cui nomen gallice;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUADRAGESIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXV.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM.

CLASSIS XII. — DE VIRTUTIBUS.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM.

CLASSIS XII. — DE VIRTUTIBUS.

SERMO.

De recta vivendi ratione.

I. Rectam vivendi rationem expetis? Te in humilitate exerce, sine qua recta vitæ ratio consistere nequit.

II. Viator ab initio deflectens viæ, in peregrina regione errabundus divagatur. Et qui ab humilium declinat semita, in castris justorum suum non figet tabernaculum.

III. Omnia tua cum humilitate in nomine Salvatoris nostri Jesu Christi operare, et in hoc fructus tuus in cœlum extolletur. Superbia enim arbori excelsissimæ, sed putridæ similis est, cujus undique facile confringuntur rami, in quam si quis ascenderit, celeriter in profundum corruet.

IV. Initium desertionis hominis est recessus ab humilitate. Qui autem a Deo deseritur, ab improbo spiritu præfocabitur, sicut Saül [1].

V. Gravem puta suffocationem, peccatorum premi con-

[1] 1 Reg. x, 19.

suetudine, neque ab eorum inundatione ad mortis usque horam emergere.

VI. Si diligenter attenderis, inimici laqueos tanquam mellis dulcedine circumlitos deprehendes, ut si quis mellis gustare dulcedinem velit, laqueo capiatur.

VII. Cave mel ejusmodi appetas, ne illius laqueo constringaris; dulcedo enim ejus ad extremum felle et amaritudine suos amatores replet.

VIII. Humilitatem dilige, et nunquam diaboli laqueis capieris; velocissimis enim alis semper sublevatus, sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis.

IX. Si quem videris superbia elatum, aspectu luculento, habituque splendido, ac magna comitantium caterva stipatum, noli invidere, aut turbari; verum mente atque cogitatione temperans esto, et paulo post extinctum eum videbis. Soli enim florent atque resplendent qui ad nutum et voluntatem Dei vitæ suæ rationem instituunt.

X. Qui ob pietatis virtutisque studium Domino grati sunt, nequaquam iis, quæ in hac vita sunt jucunda, attendunt, clare scientes illa non secus, quam flores agri velociter exarescere. Nos vero pigri ac desides, si quem corpulentum, genibusque rubicundum aspexerimus, hunc judicamus beatum, quamvis in extrema impietate versetur. Unde fit, ut procul a nobis laboriosam vitam repellamus, ignorantes quantam in se dignitatem habeat ascetarum vita; quapropter etiam temperantiam ac sanctitatem aversamur detestamurque.

XI. Ne puerilibus ludis attendamus, fratres, sed perfectam vitæ rationem amplectamur semper, ne ascetarum privati gaudio, æternis suppliciis deputemur.

XII. Beatus qui spe bona plenus est, et bonis cogitationibus illuminatur; ejus enim gloria magna erit et nunquam desinens.

XIII. Quiete atque silentio delectemur, ut ex inspectione nostrorum peccatorum semper humiliemur; non ut arrogantiæ et malitiæ cogitationes, tanquam pestiferas quasdam belluas, foveamus.

XIV. Silentium et quietem diligamus, ut cor mundum possideamus, templumque nobis concreditum a peccatorum corruptione immaculatum purumque servemus.

XV. Pulchra est oratio, quæ cum gemitu et lacrymis tacite peragitur. Quæ enim cum clamore fit, ut audiatur ab aliis, humanæ laudis studium designat. Qui autem cum scientia et fide orat, Dominum in conspectu suo prospicit, nos scilicet in illo vivere, et moveri, et esse [1].

XVI. Si cor obduratum habeas, plora coram Deo, ut cognitionis tibi lumen infundat; illosque, qui in cordis fervore clamores in cœlum emittunt, cave ne irrideas.

XVII. Qui honestis occupatos laboribus irridet, diaboli servum se facit; scelestæque ejus voluntati obsequens, gaudium, quod Domini servis præparatum est, non inveniet.

XVIII. Tu autem, asceta, actiones tuas cum judicio semper exequere, ne occasionem præbeamus quærentibus occasionem.

XIX. Væ homini immisericordi, væ doloso, et væ deliciis dedito; quoniam acerba eos inferni manent tormenta. Ventris enim cum se ipsos servos exhibeant, Deum aspernantur, ut principatus ac dignitates in vana vita consequantur. Verum mors repente superveniens, eorum guttur exsiccat, quo assidue lautas epulas excipiebant; principatum destruit, quo ipsi suum creatorem spernebant; denique infelicium cadavera, velut stercora, in terram projiciuntur, animæ vero ad loca propria abducuntur.

XX. Cum ea, quæ sensui jucunda sunt, in vita conspicis, vide ne capiaris iisdem; nam in illis laqueus mortis

[1] Act. XVII, 28.

latitat. Neque enim nudum piscator hamum in aquam demittit.

XXI. Concupiscentiæ retia, velut escam in hamo, tendit adversarius, ut animas omnes sibi obnoxias reddat improbus.

XXII. Quæ primum capta fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur, inescatque animas illas, quæ nondum draconis acerbitatem sunt expertæ. Nam et perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt. Circa illam enim auceps laqueos figit, ut reliquas circumvolitantes capiat.

XXIII. Ab excolenda virtute non te deterreat labor; absque labore enim virtus cognosci non potest.

XXIV. Inter labores sursum animi aspectum attolle, contemplansque gaudia illa, nullos recusabis labores.

XXV. Honestos labores laboriose ac studiose suscipito, ut labores inanium laborum effugias. Justorum enim labores fructum vitæ proferunt. At labores peccatorum laqueis et ærumnis pleni sunt.

XXVI. Secundum Deum tribulationes atque angustias vitæ præsentis patienter sustineto, et nequaquam sanctorum spe frustraberis. Jugum enim inimici mortiferam in se tristitiam continet.

XXVII. Qui vanam vitam sequuntur, bene sapienterque operantes supplantare student, ne illorum ipsi præsentia coarguantur. Eorum autem ruina pietatis athletas coronam promereri ostendit.

XXVIII. Humilitatem cole, ne fructu honestorum tuorum laborum destituaris; hac enim rejecta, inter eos, qui in vanum laborant, ipse quoque refereris.

XXIX. Recte-ne vis animum instituere? Te ipsum prudenter contra voluptatum cogitationes undique munias, ne ab iis absorbearis, naufragiumque patiaris in portu.

XXX. Vis portum securum tenere? Firma tibi præsidia compara, ne voluptatum libidinumque procellis ac fluctibus facile obruaris, et pro portu ipse tibi naufragium fias.

XXXI. Noli anchoram alligare anchoræ, ne, si quid adhuc leve in te sit reliquum, facile a passionibus cupiditatibusque detraharis. Nam qui extrahere cupit illum, qui in fossam incidit, virili animo apprehendere debet, ne eodem in gurgite ab illius anchora ipse quoque demergatur. Mali enim sermones, ubi locum repererint, quasi uncis quibusdam animam figunt attrahuntque.

XXXII. Pravorum commercia semper fugito, et in maxima tranquillitate erit animus tuus.

XXXIII. Risui atque ludibrio fit monachus, qui cum prudentia atque intelligentia spiritali cunctas suas actiones non dirigit. Sinceros enim et sapientes nos omnes esse ratio postulat.

XXXIV. Nisi ardore sancti Spiritus valde inflammatus fueris, ab aliorum cogitationibus audiendis abstineto. Duplici enim ab iis bello impugnaberis; ac primum quidem, quod eorum quæ audiuntur recordatione, anima luxu diffluere atque lascivire incipiat; tum etiam quod rebellio paretur animæ ab iis, qui se illi subjecerant, nisi ea per virtutem Crucifixi strenue vitiis obstiterit. Cum enim quis per negligentiam in eadem peccata reciderit, tunc eum, quem correctorem sibi delegerat, ut hostem intuetur. Ille autem si prudens sit, cunctos errores illius, qui sibi subjectus est, oblivioni tradit.

XXXV. Quemadmodum si quis columbam domi foveat, eademque fenestram apertam reperiat, et ex domo avolet, non virga vel lapide illam revocare conatur, sed sparsis leguminum granis prudenter studet allicere atque recipere; sic quoque multa indiget prudentia atque experientia qui cogitationum maculas purgare cupit.

XXXVI. Si lectioni incumbas, cave ea, quæ ad fastum et elegantiam tantum pertinent sermonis, persequaris, et eo usque duntaxat tuum extendatur studium, ne arrogantiæ spiritus cor tuum feriat; verum instar sapientis apis mel ex floribus colligentis, fructum ex iis, quæ legis, pro animi medela desumito.

XXXVII. Quemadmodum si pauper quispiam inanis gloriæ cupidus, regis sibi nomen usurpet, ob id tamen non est rex : sic quoque monachus occulte comedens, et ad mensam fratrum abstinentiam ac temperantiam simulans, non est asceta, sed araneæ potius telam se texere ostendit; non enim per rectam viam ambulat sanctorum, sed illorum, qui humanas laudes affectant.

XXXVIII. Si mundo renuntiasti, munere tuo fungere, ut desideratam margaritam consequaris. Quidam enim post mundi renuntiationem, e sæculi vita recesserunt, alii quidem militia relicta, alii vero divitiis distributis; ad extremum vero propria voluntate ducti ceciderunt; cum nihil sit infelicius, quam a propria superari voluntate, et non ex divinæ voluntatis præscripto vitæ suæ rationes dirigere. Atque hi, cum se putent quam longissime ab hujus vitæ rebus abscessisse, in ipso adhuc vestibulo hærent.

XXXIX. Quemadmodum filii Israël, cum e fornace ferrea liberati, incolumes mare Rubrum transissent, donisque ejusmodi ac commodis perfruerentur, in continenti naufragium passi sunt, quod propriæ voluntatis imperio nimium se subderent; adeo ut ex tanta eorum multitudine duo duntaxat salvati fuerint, qui divina oracula nequaquam spreverant, sed Altissimi consilium ac voluntatem pie sancteque observarant.

XL. Qui mundo renuntiarunt, nihil amplius cum mundo habent commune; atque hi sive primo loco constituantur, cum non sint principes, sive in postremum locum detru-

dantur, iidem semper sunt animo. Qui autem a recta pietatis sententia se avelli sinunt, facile ad mundi voluptates declinant, neque deinceps virtutis causa certamen ullum suscipiunt; sed abjecto jugo, diligentius reficiunt quæ olim honeste dissolverant; haud secus quam si virgo aliqua castissima, quæ sensus suos in thalamo atque conclavi suo diligenter curare solebat, deposita verecundia, corrumpatur, impudenterque nec Deum nec homines verita, quodcumque flagitium committat. Sed ob id nequaquam talis effugiet manus Dei; dies enim supremus cujusque opus ostendet, quoniam in igne probabitur [1].

XLI. Beatus qui virtutem operibus prædicat; verbis enim proprietates virtutis enarrare, et factis contraria agere, ad salutem non proficit. Quemadmodum nec qui de temperantia disserit, et interim turpia peragit, præmia ulla consequetur.

XLII. Cave animo perturberis, dum homines voluptatibus deditos cernis absque ullo timore quæ sensibus placent perficere; flos enim eorum plane fœtet. Illorum autem, qui virtutes colunt, studia in luce resplendent, suavissimisque odoribus fragrant. Quapropter virtutum studiis insiste, ut et apud illos, qui fluxas atque fugaces voluptates sequuntur, in admiratione sis. Licet enim manifeste id declarare nolint, secum tamen tacite virtutum cultores beatos prædicant.

XLIII. Quando videris hominum corpora studiose compta atque ornata ad turpem amorem excitandum, cave ea admireris, neque pellis paulo post cinerem dissolvendæ color te decipiat; sed tecum ipse ingemiscendo psalle : « Memento, Domine, quoniam pulvis sumus; homo sicut fœnum dies ejus; tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam spiritus pertransiit in illo, et non subsistet, et non cog-

[1] 1 Cor. III, 13.

» noscet amplius locum suum. Misericordia autem Domini » ab æterno, et usque in æternum super timentes eum [1]. » Quæ si præstiteris, divina adjuvante gratia, ab hoste maligno nequaquam capieris.

XLIV. Dominum ardenter invoca, ut perfectæ tibi continentiæ spiritum tribuat, quo in nocturnis etiam phantasmatibus hostiles maligni incursiones effugere possis; velut si quis se a fera invadi oppugnarique conspiciat, aut ab aliquo ardenti petatur face, et ex una in aliam domum inde confugiat, ne comburatur ab igne.

XLV. Quemadmodum absque labore ac studio non licet, etiam mediante pecunia, litteras vel artem aliquam adipisci: sic neque monachus citra diligentiam ac patientiam fieri poterit.

XLVI. Quemadmodum inter omnia corporis tui membra nullum tibi præstantius est capite; et sive lapide, sive clava, sive etiam gladio petaris, reliqua corporis membra objicis, ut ictum a capite repellas, certo sciens te absque illo non posse vivere: ita rebus tibi anteponenda est omnibus fides sanctæ et consubstantialis Trinitatis, quod sine ea vitam, quæ vere vita sit, vivere nemo queat.

XLVII. Ex toto corde tuo spem tuam in Domino defixam habe, et facile astutorum insidias evitabis; neque enim servos suos unquam despiciet Dominus.

XLVIII. Dei amantissimum Joseph decipere gestiebat Ægyptia, magnoque impetu ad suum perversum scopum contendebat [2]. Cæterum adolescens ille mentem suam velut rore quodam recordationis Dei perfundebat, ne impii amoris igne ureretur. Sensus autem suos muniebat, ne alienis cogitationibus ullum locum præberet, et in laqueos impudicæ mulieris conjiceretur: illam enim semper ut mortis

[1] Psal. cii, 14-17. — [2] Gen. xxxix.

laqueum intuebatur. Ideoque, tentatione illa superata, corona donatus est, et rex Ægypti factus.

XLIX. Statuerant homines impii in Babylone adversus sanctam animam insurgere, ut fœde eam contaminarent [1]. Verum illa cum Deum altissimum sibi haberet adjutorem, eos facillime prostravit. Cumque in suo consilio sententiam mortis in eam decrevissent, ea ipsa re imprudentes in mortis sententiam inciderunt; nec intelligebant stulti se ob idipsum morte esse damnandos. Non enim potest oculus Dei semper vigilans illudi ac decipi.

L. Incedamus, fratres, per angustam et strictam viam, ut cum honore ac laude Deum custodem habeamus.

LI. Margaritæ semper in intimis conservantur locis : at quisquiliæ, et alia quæque vilia, velut stercora, in plateas projiciuntur.

LII. Si quis in te maledicta conjiciens, scelera abs te commissa exprobraverit, te ipsum potius quam alterum argues. Tuis enim te factis dedecorasti, ea committens, quæ ab alio tibi objici non toleras. Noli ergo per minas et iracundiam silentium illi imponere; sed te ipsum, non patrando amplius mala, emenda. Operum enim tuorum fœtor te animæ tuæ insidiatorem ac proditorem esse manifeste designat.

LIII. Te ipsum per pœnitentiam a sceleribus impiisque operibus purga, et nulla te maledici vituperatio perterrefaciet.

LIV. Resiste peccato, o vitæ sempiternæ cultor, et tentationis impetum ne timueris : nulla enim tentatio strenuum athletam offendet.

LV. Decet nos itaque divinum ignem flammæ libidinum opponere. Quemadmodum lateres adhuc crudi, fragiles sunt et imbecilles; ubi autem igne concocti fuerint, igni

[1] Daniel. XIII.

simul et aquæ resistunt, et sicut in vase fictili aqua, ita in fornace flamma accensa continetur; fornax vero ex lateribus emicat.

LVI. In tentationibus et tribulationibus tu quoque validum ac strenuum te præbe, voluptatumque ardoribus resiste; ne, crudi lateris instar, pluviæ guttis dissolvaris, et quam habere videris soliditatem, deperdas.

LVII. Non quæ tibi videris bona agere, recte facta putes; sed illa, quæ ab hominibus piis comprobantur.

LVIII. Ausculta vocem Domini, ut te adjuvet, ac manus suas in affligentes te immittat, humilietque inimicos tuos, ne si auscultare neglexeris, audias illud : « Dimisit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis [1]. »

LIX. Contende, ne propriæ te voluntati servum facias; sed timentibus Dominum morem gerito, et, divina adjuvante misericordia, caput draconis conteres. Donec autem propriæ voluntati obsecutus fueris, a perfectione te abesse scito quam longissime. Et quantum abes a perfectione, tantum doctrina et disciplina indiges.

LX. Tribulationem atque afflictionem in Domino sustine, ut gaudio et lætitia perfruaris. Labores perfer, ut mercedis fructum referas. Lapicida incidendis lapidibus, et faber ferrarius tundendo producendoque ferro mercedem percipient.

LXI. Qui fugit bellum, non accipiet spolia, et qui recusat disciplinam, inter prudentes non connumerabitur.

LXII. Quæ sursum sunt, contemplare; et terrena quæcumque, ut humilia atque abjecta despicies. Quod si ab alto descenderis, quamcumque etiam domunculam dealbatam admiraberis.

LXIII. O tu, qui pietatem colis, prudentiam exerce, quæ

[1] Psal LXXX, 13.

te quasi vehiculum gestabit, et ex multis offendiculis eripiet conservabitque. Non enim sinet sui studiosos atque amantes quidquam ad subversionem audientium dicere, aut facere.

LXIV. Odor prudentiæ in viro est se ipsum semper accusare; se ipsum autem accusantis est, alterum in eosdem errores incidentem non judicare.

LXV. Ex duobus servis delinquentibus, qui idem ob crimen carcerum custodia detinentur, ingratitudinis damnatur ille, qui in conservum suum se contumeliosum exhibuit.

LXVI. Illum, qui in tentationem incidit, irridendo cave condemnes; sed assidue Deum ora, ne te inducat in tentationem. Cujus enim animus cogitationum turbine atque procella obscuratus est, et a perturbationibus superatus, is nec homines veretur, nec Deum timet. Et siquidem potens est ac dives, intrepide mala committit. Sin imbecillis ac pauper, morum perversitate fretus, impudenter in scelera atque flagitia fertur.

LXVII. Cave voluptatum studiosus sis, et contemptor : sed sacrum Psalmistam clamantem audi : « Exurgat Deus, » et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum » a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut liquescit » cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei : et » justi exultent [1]. »

LXVIII. In cellula, quam tibi, o monache, delegisti, in cordis humilitate Deum assidue ora, sicut tres illi pueri in camino ignis [2], et ne te speluncam latronum facias, illicita atque scelesta committens, ut non confundaris in die judicii, quando revelabuntur occulta hominum.

LXIX. Qui messis tempore ignavus est, non abundabit domus ejus, et qui nunc contemnit, laboresque negligit,

[1] Psal. LXVII, 2-4. — [2] Daniel. III.

in tempore retributionis, consolatione justorum destituetur.

LXX. Tempus nobis adveniet, fratres, timore ac tremore plenum, cum ea, quæ in occulto atque obscure gessimus, manifesta fient. Væ autem animæ illi, quæ Deum sibi adjutorem non habuerit.

LXXI. Adeste, fratres Christo dilecti, de fine et consummatione cujusque nostrum cogitemus, quo pacto in vanitatibus vitam hanc nostram transegerimus. Stultus enim est, qui inter stultos versatur, et in rebus vanis suam vitam transigit. Beati autem, qui, quandiu in hac vita sunt, pulchram negotiationem obeunt.

LXXII. Quemadmodum dives secundo vento navigans, in strato desidet, superbo intuitu oblectamenta capiens : astant coqui, qui cibos ei præparent : sequitur satellitum militumque turba. Ex inopinato autem suboritur tempestas, quæ mare turbat, et navem confringit, ipseque solus a fluctibus et undis in insulas desertas ferisque plenas abripitur, ubi vociferatur et plorat, nec est qui exaudiat : verberat faciem, toto exagitatur corpore, et in horas mortem expectat. Qui paulo ante insolens ac superbus erat, fame atque timore tabescit, et siti perit, nullusque adest, qui ipsum consoletur. Idem nobis quoque negligentibus in terra contingit. Dum enim in vana hac vita deliciis ac voluptatibus indulgemus, repente nos ignavos mors invadit, et in loca horrore plena abripit atque detrudit, ubi cuncti cruciabuntur peccatores, qui semper Dominum suum contempserunt.

LXXIII. Perpendamus dum in tuto sumus, in quo timore versetur is, qui a fluctibus in desertos conjicitur fines, nec habet a quo solatium accipiat. Hinc quoque cogitemus in quanto erit metu peccator, in suppliciorum locum conjectus.

LXXIV. Cor meum suspirat, oculique mei lacrymas desiderant; sed peccatum mentem meam captivam detinet, ne cum cordis compunctione deprecer Dominum cum amaris lacrymis, ne me projiciat in tenebras exteriores.

LXXV. Qui e manu Pharaonis et ex camino ferreo populum tuum liberasti, eumque per mare Rubrum eduxisti salvum : nos quoque ab iniquitatibus nostris libera, ut in conspectu tuo gratiam inveniamus, quando judicaturus es vivos et mortuos.

LXXVI. Donec vires nobis suppetunt, Domino in rectitudine cordis serviamus : ut in tempore tribulationis nos adjuvet, et ex ingentibus periculis liberet.

LXXVII. Qui sibi in cordis puritate serviunt, eos incomparabili ornat gloria : nullus enim Sanctorum gloriæ invenitur finis.

LXXVIII. Divino jussu Jonam prophetam cetus deglutivit, ac veluti in quodam penu illum in ventre suo servavit [1]. Caput ejus ad montium scissuras descendit, et extrema abyssus ipsum vallavit : in terram descendit, cujus vectes æterni eum constrinxerant : ibique orans, clamabat dicens : « Resurgat e corruptione vita mea, Domine Deus meus. » Oratio ejus profundum divisit, aërem scidit, in cœlum ascendit, et in aures Domini introivit. Aut potius ipse, qui universa replet Dominus, a vero servo suo non longe abfuit.

LXXIX. Mandavit Dominus ceto, et Prophetam evomuit, qui quasi e navi descendens, ad prædicationem se convertit.

LXXX. Dentibus adversus justos strident peccatores. Ingruunt tentationes; coronantur Sancti : impii autem qui mala in Sanctos Dei cogitabant, confunduntur.

[1] Jon. II.

LXXXI. Elias Thesbites persecutionem olim ab improba passus est fœmina [1]. Sed corvi ministerio Prophetam pascebat Dominus; peccatores vero gravissima fames invasit.

LXXXII. In curru sublatus est igneo Elias propheta. Impia autem Jezabel e fastigio domus suæ præceps deturbata est, et in plateis civitatis devorata [2].

LXXXIII. Jeremiam prophetam, quod pios ejus sufferre nequirent sermones, in cœni lacum conjecerunt impii [3]. Quorum temeritate audita, Abimelech corpore quidem Æthiops ac niger, sed et animo candidus et fide corruscans, iniquitatem regis coarguit, acceptaque potestate, Prophetam eduxit, et benedictionem obtinuit.

LXXXIV. Insurrexerunt hostes in eos, qui semper Prophetas Dei oppugnabant, datusque est populus Hebræorum in hostium manus. Viderunt inimici Prophetam Dei, et vincula e pedibus ejus solverunt, ac munera obtulerunt : magna enim illum pietate conspicuum aspexerunt : nam sicut qui lucernam defert, præsentibus lumen præbet : ita et virtus semper gloriæ splendorem secum defert.

LXXXV. Danielem prophetam in lacum leonum propter ejus pietatem conjecerunt impii, ut ab illis devoraretur, ignorantes scelerati se in propriam id machinari confusionem [4]. Deus autem per manum Habacuc, et per sanctum Angelum, fideli servo suo misit prandium [5]. Immanes autem feræ in medio sui videntes Prophetam, inclinantes se adorabant illum. Virtus enim cœlestis ora leonum obturaverat, ne virum justum læderent.

LXXXVI. Propheta e medio ferarum educto, reprehensione se dignos cognoverunt homines illi impii, cer-

[1] 3 Reg. XVII, et XVIII. — [2] 4 Reg. II. — [3] Jer. XXXVII et XXXVIII. — [4] Dan. VI. — [5] Id. XIV.

nentes eum, tanquam sponsum e thalamo, facie splendida gloriaque illustri progredientem.

LXXXVII. Merito dubitabant Babylonii, utrum ex morbo aliquo immanes feræ non attigissent hominum corpora. Ad sextum quippe diem in medio septem leonum electus Dei fuerat, nec ulla in eo inventa est corruptio. Venit autem rex die septimo, ut lugeret Justum, et inclinans se in lacum, aspexit illum inter leones sedentem, velut pastorem in medio suarum ovium. Qua de causa merito de ejus salute infideles illi dubitabant. Cum autem in lacum leonum missi sunt, qui perditionis Justi causa fuerant, membratim descerpti sunt, illorumque ossa comminuta. Unde præ admiratione vehementer exclamarunt : « Magnus es, Domine » Deus Danielis [1].»

LXXXVIII. Tres pueri de domo Azariæ, quod imaginem auream non adorassent, fortiter ligati, missi sunt in fornacem ignis ardentis, quorum tamen ne capillum quidem ausus est absumere ignis : at contra erumpens flamma eos, qui ipsam incenderant, combussit [2].

LXXXIX. Hæc igitur considerantes, fratres dilectissimi, solliciti simus ne tentationum tempore inveniamur reprobi. Nam propter tolerantiam tentationum, semper magnificantur amici Dei.

XC. Donec vires nobis suppetunt, Domino in timore, et recto corde, bonoque proposito serviamus, ut tentationis tempore infirmitatem nostram adjuvet, nosque coronis ornatos exhibeat, et in suum regnum introducat. Amen.

[1] Dan. XIV, 40. — [2] Id. III, per totum.

SERMO.

De exercitatione bonorum operum, et de Dei patientia.

Jam tempus nos adducit ad comparandam vitam æternam, atque indissolubilem gloriam. Hanc enim vitam excipit mors, et gloriam excipit ignominia. Multi enim magnatum ante tempus, canum instar, ad inferos abrepti sunt, et judicantes ab inferioribus judicati sunt, divitesque miserrime eguerunt, et sapientes repente stulti facti sunt. Fortis debilitatus est, ac sanus ægrotavit : nihil vero firmum est in hominibus, quoniam nihil sanctum in mundo. Filii parentes spernunt suos, ac patres suis invident filiis. Mulieres rejiciunt viros, et viri fidem non servant mulieribus. Juvenes garriunt contra seniores, senesque juvenantur in adolescentes. Amico credere non licet, neque fratri confidere. Loqueris pacifica, et in se ipso hostilia cogitabit. Invidia, et dolus res gubernans, atque inexsaturabilis cupiditas regnat. Nemo enim Dei recordatur, nemo expectat judicari, cum mortuus fuerit. Ideo multiplicata sunt mala, quia contemnitur Deus. Conscientiam nobis tribuit, ut in ipsa de bono deliberaremus; nos autem ab ipsa male agendi consilium capimus : potestatem nobis largitus est, ut ex ipsa indigentibus largiremur; nos autem per ipsam pauperes fraudamus. Imperia nobis credidit, ut per ipsa violen ter operantes contineamus; nos autem ex ipsis tyrannidem exercemus in derelictos. Non est via recta, neque judicium justum. Effugit dilectio, et odium ad summum pervenit. Contempta est virtus, et probata est hypocrisis. Abominabilis visa est animi abjectio, et superbia primum locum

obtinuit. Defecit veritas, et mendacium operuit terram. O profunditas benignitatis, et longanimitatis Dei ! quoniam in omnibus malis perpetratis patiens est, et vindictam non sumit, non tanquam minime possit a nobis subito pœnas sumere : non utitur ira ; sed miseratus nostri, tanquam pater, ulterius misericordiam extendit.

SERMO.

De directione virtutis.

Omnes habitus, omnesque partes Christianorum indigent directione virtutum, ut conatus, studiumque illorum sit in nulla re deficere : quemadmodum, si de aratro sermo fit, nisi rectam viam teneat, inæquale opus invenitur ; ita Christianus omnibus opus habet, ut curet in omnibus bonum opus efficere : vel quemadmodum si q[illegible] triginta passuum millia conficere debeat, ut ad urbem perveniat, ipse laxetur, ac socordiæ se dedat, extra remanet ; ita si cui desint justitiæ perfectiones, veluti negligens judicatur. Omnia igitur bona opera procuranda sunt, ut Spiritus sanctus requiescens in fructibus bonis inserat in regnum cœlorum. Verus temperantiæ cultor est, non ut solum corpus a scortatione custodiat, verumetiam unumquodque corporis membrum : exempli gratia, quando oculus, et lingua juxta proprium officium moderate se gerunt, ac juxta interiorem hominem, animæ cogitationes cum nequitiæ deliberationibus non conspirant. Sicut inter venenosas feras magna differentia est, veluti aspis, scorpius, draco, singula letale venenum possident contra quæcumque corpora accedant ; ita etiam discrimen ingens est inter homines propter malitiam, quæ unicuique propriam nequitiæ

operationem definit, atque infundit in animam, quæ cum peccati fraudibus communicat, ac conspirat, veluti vanam gloriam, vel iram, vel nequitiam, aut dolum, aut odium fraternum, aut pecuniæ amorem, aut scortationem. Simili ratione perit quis aut gulæ, aut fornicationis veneno. Sic videns oculus omnia pure, et sicut sunt, in vero judicio videt, sanusque stomachus omnes cibos jucunde accipere potest; sic etiam anima pura omnia inculpate, ac sincere videt : quæ vero in inquinamentis permanet, neque bona conspicere potest, ut bona, in omnibus offendens, oculum habens in tenebris peccati. Oratio, ac jejunium, atque eleemosyna, abominatio est apud Deum, quia impure hæc apud Deum fiunt.

SERMO.

De fide.

I. Dominus in Evangelio ad perfectam fidem suos adducere volens Discipulos, dicebat : « Qui in modico fidelis, et » in multo fidelis est : et qui in modico infidelis, et in » multo infidelis est [1]. » Quid autem sibi volunt modicum, et multum? Per modicum, sæculi hujus intelliguntur promissiones, quas pollicitus est se præstiturum omnibus in ipsum credentibus, videlicet victum atque amictum, et reliqua corpori necessaria, quietem, ac sanitatem, et ejusmodi. Præcipiens ne omnino de istis simus solliciti, sed in ipsum solum spem nostram reponamus. Per multum autem intelligenda sunt æternæ vitæ et immortalis sæculi dona, quæ repromisit daturum se illis, qui crediderint in ipsum, assidueque de ejusmodi solliciti, flagitaverint illam.

[1] Luc. XVI, 10.

Quoniam sic nobis mandavit Dominus, cum ait : « Vos » autem quærite primum regnum Dei, et justitiam, et hæc » omnia adjicientur vobis [1], » ut scilicet ex modicis, et momentaneis probetur unusquisque num credat Deo. Etsi de præsentibus non fuerit sollicitus, solum autem in futuris atque æternis curam omnem reposuerit; clarum est, quod et circa ea, quæ videntur, sanam atque integram fidem intus reconditam servet, vereque bona æterna quærat. Debet enim unusquisque eorum, qui sermonem audiunt veritatis, se ipsum probare atque examinare, aut a viris spiritalibus probari et examinari, quomodo credat, et se ipsum Deo devoverit. Numquid revera secundum ejus sermonem in veritate credat; an opinionem in se duntaxat fidei habeat, quod se credere existimet. Quilibet enim ex verbis Domini, si fidem in caducis mundi bonis positam habeat, probatur et reprehenditur. Quo pacto? audi : Credere te dicis quod regno cœlorum efficieris dignus, et filius Dei fies, de cœlo natus, et cohæres Christi, quodque in omne sæculum ei conregnaturus sis; deliciisque ineffabilis lucis, per infinita et immensa sæcula perfruiturus? plane dices : « Credo : hac enim de causa, et sæculum reliqui, et me Deo devovi. » Proba igitur te ipsum, numquid terrenæ adhuc te curæ detineant, et sollicitudines variæ de nutriendo ac vestiendo corpore, aliaque adhibenda cura, ac procuranda requie? cum tui jam juris esse velis, ac tui ipsius curam gerere; de quibus jussus es, omnino non esse sollicitus. Si enim te credis accepturum æterna illa et immortalia, omnisque corruptionis expertia bona, quanto magis fugacia ista atque terrena accipies, quæ Deus etiam concessit feris, atque volucribus cœli, et hominibus impiis? Annon credis Dominum ea tibi largiturum, de quibus ipse præcepit, dicens : « Nolite solliciti esse quid edatis aut bibatis, aut

[1] Matth. vi, 33.

» quibus vestiamini; hæc enim cuncta gentes mundi inqui-
» runt. Novit enim Pater vester cœlestis quod his omnibus
» indigeatis [1]. » Et subinfert, exprobrans hominibus modicæ fidei : « Respicite volatilia cœli, quoniam neque seminant,
» neque metunt, et Pater vester cœlestis pascit ea ; quanto
» amplius vos, qui multum differtis a volucribus [2]. » Et rursus nos confirmans ait : « Nolite igitur solliciti esse in
» crastinum [3]. » Si vero adhuc de istis laboras, et non credis sermoni ipsius, nosce rursus te quoque non credere quod bona æterna, quæ sunt regnum cœlorum, sis accepturus ; et existimas te credere, qui in rebus parvis ac corruptioni obnoxiis, reperiris incredulus. Et iterum : « Sicut corpus
» pretiosius est indumento ; ita et anima corpore. » Credis igitur animam tuam a Christo sanandam, ab æternis et incurabilibus apud homines malorum ignominiæ vulneribus; propter quæ etiam ad nos descendit Dominus, ut credentium animas ab insanabilibus apud homines malis curaret et a sordibus lepræ malitiæ purgaret, qui solus curat, et verus medicus est?

II. Dices : « Prorsus credo ; idcirco enim adsum, et istud ab illo expecto. » Quare nosce, te ipsum discutiens, ne forte carnales morbi te ad medicos terrenos abripiant ; quasi Christus, cui credidisti, te curare non possit. Vide quomodo te ipsum decipias, dum te putas credere, et nondum credis, ut oportet in veritate. Si enim æterna et incurabilia immortalis animæ vulnera, ac morbos malitiæ, a Christo curari credis, numquid impossibile putabis ab ipso temporalia quoque corporis mala, ac morbos curari posse, si utique ad ipsum solum, postposito medicinali curandi officio, confugeris? Nam qui animam creavit, ipse et corpus fecit, et qui illam immortalem sanat, corpus etiam a malis, morbisque temporalibus omnino liberare atque curare

[1] Matth. VI, 25, et 31, 32. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 34.

poterit. Sed scio mihi respondebis, quod et ista ad corporis medicinam subministraverit Deus; herbasque ac terræ pharmaca, et medicorum studia ad morbos corporis curandos concesserit, corpori terreno ex differentibus terræ speciebus medicinam componens. Consentio et ego sic se ista habere; sed noveris velim, quibus ea data sint, et quibus dispensata. Dominus Deus ex multa sua, et infinita erga humanum genus liberalitate ac benignitate, postquam a mandato excidisset homo, quod acceperat, subjectusque esset sententiæ iræ, et quasi in captivitatem, ac solitudinem, atque exilium, fodinamve, ex deliciis paradisi in hunc mundum ejectus, et sub potestate tenebrarum factus, carnisque passionibus ac morbis subjiceretur, qui prius passionum, atque morborum expers erat; omnesque præterea qui ab ipso producti fuerunt, iisdem malis ac passionibus facti essent obnoxii; hæc tandem infirmis atque incredulis permisit, nolens omnino deperdere hominum peccatorum genus, sed propter multam bonitatem, et immensam misericordiam dedit in solatium ac refrigerium, et curam atque medelam corporum ista, hominibus hujus mundi, qui nondum se totos concredere Deo poterant.

II. At tu, qui vita solitaria gaudes, et ad Christum accessisti, cupiens filius Dei fieri, et desuper ex Spiritu sancto nasci, primoque, ac impassibili homine superior evadere; et qui majora accipis promissa, adventum divini beneplaciti, et velut peregrinus, ac hospes hujus mundi factus, debes fidem aliquam magis novam, et admirandam, intelligentiamque, ac vitæ rationem et institutum præter omnes homines mundi tibi vindicare, cum et vitam, sicut cuncti alii, degas. Ecce et mundus nubit, comedit, et bibit, auro et argento utitur, mercaturam et artes exercet, ac divitiis gaudet, quæ omnia Deus permisit homini peccatis subdito:

neque enim sine Deo quidquam ad usus humanos dicemus ordinatum. At tu ab his omnibus exemptus es, ut Deo perfecte placere possis. Sic ergo alienus a cura, in curandis mundi malis, medicorumque industria adhibenda esse debes, ut qui ad Christum profugeris, qui cuncta se largiturum suis servis promisit. Si autem quæ mundi sunt sapis, et pateris, similis hominibus illis mundanis, adhuc es incredulus, licet te fidelem, et Christi servum profitearis. Novo enim quodam, ac peregrino consilio, mente, fide, conversione, vitæ denique ratione, mundum hunc et curare et obtinere debes, qui Christo perfecte placere, ejus vestigia persequi cupis, contrariaque hominibus mundi hujus sapere; quoniam nova quædam et admiranda credis promissa, et sempiternis te bonis speras esse fruiturum, cœlestisque civitatis, ac regni incorruptibilis, deliciarumque perpetuarum, ac sempiternæ fruitionis hæreditatem, cordis quoque sanctificationem, et purgationem perfectam, quæ tibi per Spiritum sanctum fit, adepturum.

IV. Nam qui vere cupit esse homo Christi, æternisque se bonis perfruiturum sperat, paupertatem divitias cum gaudio existimare debet, et afflictionem recreationem; asperitatem victus, delicias; improperium honorem, et contumelias gloriam ducere : hæc enim vera servorum Dei gloria est. Neque vero solum improperia ferre debet pugil ac miles Christi; quin et, si forte divitiæ obvenerint, eas ut stercora respuere oportebit. Si gloria et principatus, non extollatur, et superbiat : si laudes atque honores hominum, ut quæ ne sint quidem, existimanda : quinetiam propter hujusmodi res, quæ habentur gloriosæ, confundi atque lugere oportet ; et propter ejusmodi contra lætari, et gaudere, quæ habentur vilia, et abjecta putantur. Potest siquidem aliquis interdum opprobria ferre, gloriam autem et honorem non item. Sed efferri sæpe solet mens, et a

se ipsa excedere quodammodo, et humilem viam justitiæ derelinquere. Ait enim Paulus : « Per arma justitiæ, a dex- » tris, et a sinistris, per gloriam, et ignobilitatem, per infa- » miam, et bonam famam [1], » ut in utrisque per omnia probatus, idem et inconcussus inveniatur, extra se nunquam discedens.

V. Talem enim eum esse oportet, qui vere placere cupit Deo, sicque voluntatem suam habere debet fundatam. Et quemadmodum incus aliqua, licet quidem semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet, sibique similis : sic et qui verum se vult gerere Christianum, inter diversas tribulationes, atque tentationes, sive extrinsecus ab hominibus illatas contumelias, persecutiones, damna, aut aliqua ejusmodi ; sive intrinsecus a spiritibus malignis inductas angustias diversissimas, unus atque idem maneat oportet, fortiter quæcumque obvenientia perferens. Pro munitione a castro, et turre fortitudinis a facie inimici [2], semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore, in regione inimicorum constitutus confugiat, et illud Scripturæ usurpet : « Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut » salvum me facias [3]. » Sic enim quascumque poterit superare tentationes, atque afflictiones ingruentes, omni tempore Dominum, ac firmam in eum fiduciam, atque spem, ob oculos sibi constituens. Quin et gloriæ humanæ laudes, honores, et principatus ac magistratus si se obtulerint, ut prædictum est, non concavitates, neque formas in animam impressas relinquant, ut iis oblectetur et acquiescat, et propterea inflatus superbiat. A dextris enim et a sinistris tentatus homo, id est, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, idem et constans, immotusque utrobique permanere debet. Sic enim qui super terram

[1] 2 Cor. VI, 7, 8. — [2] Psal. LX, 4. — [3] Id. XXX, 3.

fundamentum suum ædificat, ab inundantibus tribulationum fluctibus, et tentationum procellis; sævisque improborum spirituum ventis impellentibus, atque concutientibus, non concidit, neque commovetur, quoniam fundamentum super petram posuit. Qui ergo circa ejusmodi habitum exercitationemque bonam, fortitudinis dico et generositatis, longanimitatis et patientiæ, fidei et spei atque fiduciæ, per verbum Dei prius se occupat, assuefaciens se moribus bonis, sanctoque vivendi instituto; et in reliquis virtutum studiis se exercens, divinumque sermonem sequens, postea autem virtutem ab alto in expectatione fidei suscipiens; talis vere fundamentum, et domus, atque columna, et firmamentum efficitur in gratia Dei, multarumque animarum vitæ causa; ac plurimorum infirmitatem sufferre valens. Quare et nos ad omne virtutis genus nos ipsos excolentes, et quam optima ratione ad complacendum Deo nos componentes, cogitationemque nostram accurate et enixe ad omnem tentationem præparantes; divina confirmati gratia, æternorum bonorum evadamus hæredes. In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia, cum Patre et sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De charitate.

I. Bene ait Dominus: « Quoniam onus meum leve est [1]. » Quale enim pondus est, quisve labor, remittere fratri suo offensiones, leves sane, et prorsus nihili, et de proprio concedere ac condonare, et simul quam citissime justificari? Non dixit: « Adducite mihi opes, aut vitulos, aut hœdos,

[1] Matth. XI, 3.

aut jejunium, aut vigiliam, ut dicere queas : « Non habeo, non possum : » sed quod leve est, ac facile, et compendiosum, hoc præcepit, dicens : « Et tu ignosce fratri tuo errata sua, et ego tibi ignosco tua [1] : » tu exigua delicta, ac debita remittis, forte obolos pauculos, aut tres denarios; ego autem sexcenta talenta tibi remitto. Ac tu quidem tantummodo condonas aliquid, nihil de tuo largiens : ego vero et remissionem tibi præbeo, et sanitatem, et regnum largior; ac tum demum tuum ipse munus accipio, quando tu reconciliatus fueris inimico, quando non foveris inimicitiam adversus aliquem, quando sol non occiderit super iracundiam tuam, quando cum omnibus charitatem et pacem habueris; tunc oratio tua accepta, oblatioque tua beneplacita erit, domus benedicta, et tu beatus. Si autem fratri tuo non fueris reconciliatus, quo pacto a me indulgentiam remissionemque deposces? Sermones meos pessumdas, et veniam imperas? At ego, qui tuus sum Dominus, impero, et non attendis : et tu, qui servus es, quomodo audes offerre mihi orationes, sacrificia, atque primitias, inimicitias adversus aliquem fovens? Quemadmodum enim tu faciem a fratre tuo avertis; ita et ego ab oratione tua, ac donis tuis avertam oculos meos. »

II. Rursus autem obsecro, fratres, cum Deus sit charitas, et quæ absque charitate fiunt, non placeant Deo : quomodo ergo suscipiat Deus orationem, aut dona, aut primitias, aut fructuum oblationem ab homicida, nisi illum prius, ut ratio postulat, rite pœniteat? At dices : « Homicida non sum. » Ego vero te homicidam non ostendero, sed potius Joannes theologus te coarguet, cum ait : « Omnis qui odit » fratrem suum, homicida est [2]. » Reliquum est igitur, fratres charissimi, ut nihil prius antiquiusque charitatis possessione habeamus, nihilque sit nobis adversus aliquem,

[1] Matth. VI. — [2] Joan. III, 15.

neque malum pro malo cuiquam reddamus, nec sol occidat super iracundiam nostram; sed remittamus debitoribus omnia, ac charitatem nobis comparemus, quæ multitudinem peccatorum operit. Quid enim profuerit, filii, cuncta possidere, vivifica autem ac salvante charitate destitui? Quemadmodum enim si quis prandium magnificum instruxerit, ut regem, ac principes ad hoc invitet, et ne quid omittatur, opulenter admodum quævis præpararit, desit autem sal; poterit-ne aliquem recreare prandium ejusmodi? Nequaquam sane : quinetiam damno talis sibi interim fuerit, oleumque ac operam perdiderit, et ignominiæ notam sibi apud eos, quos invitaverat, inusserit. Sic quoque hic, quid commodi in se habet labor vanus absque charitate? sine qua quodcumque opus, et quævis actio polluitur, licet etiam quis sibi virginitatem vindicet, licet jejunet, licet vigilet, sive hospitio pauperes suscipiat, sive etiam dona videatur offerre, vel primitias, vel fructuum oblationes, aut Ecclesias fabricet, aliudve citra charitatem præstiterit; omnia illa pro nihilo reputabuntur apud Deum, cum in iis, hac seclusa, neutiquam sibi complaceat Dominus. De quo et Apostolum audi : « Si linguis, inquit, Angelorum loquar et » hominum, si habuero prophetiam, et noverim mysteria » omnia et si habuero omnem intelligentiam, ita ut montes » transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi » prodest [1]. » Nam qui inimicitias fovet adversus fratrem, et videtur sibi aliquid offerre Deo, tanquam immolans canes, et ut merces scorti æstimabitur. Cave igitur ne quid absque charitate unquam feceris, quoniam « Charitas mul» titudinem peccatorum operit [2]. » O quale bonum despicimus! O quantis bonis, quantoque gaudio destituimur, charitatis expertes! Hanc Judas spernens ex medio Apostolorum choro discessit, lucem veram, suum ipsum Præceptorem

[1] 1 Cor. XIII, 1-3. — [2] Prov. X, 12, et 1 Petr. IV, 8.

deserens, et proprios fratres odio habens, in tenebris ambulavit. Quamobrem et princeps Apostolorum Petrus ait : « Prævaricatus est Judas, abiens in locum suum [1]. » Et rursus Joannes theologus : « Qui odit fratrem suum, inquit, » in tenebris est, in tenebris ambulat, et nescit quo vadat, » quia tenebræ obcæcarunt oculos ejus [2]. »

III. Sed si dixeris : « Tametsi ego fratrem meum non diligam, Deum tamen diligo; » idem te redarguit, cum ait : « Si quis dixerit : Quoniam diligo Deum, et fratrem suum » oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, » quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest » diligere [3] ? » Qui ergo charitatem cum proximo habet, non est ei inimicitia cum quoquam; quique implet dictum Apostoli : « Sol non occidat super iracundiam vestram [4], » hic vere diligit Deum, hic Discipulus est Christi, qui ait : « Quia in hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, » si dilectionem habueritis ad invicem [5]. » Perspicuum est igitur non aliunde, quam ex vera charitate Discipulos Christi agnosci. Qui autem odio habet fratrem, et videtur sibi diligere Christum, mendax est, et se ipsum seducit; ait enim Joannes apostolus : « Quoniam hoc mandatum » habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem » suum [6]. » Et iterum Dominus : « Diliges Dominum Deum » tuum, et proximum tuum sicut te ipsum [7] : » volensque vim charitatis demonstrare, intulit, dicens : « In duobus » hisce mandatis tota lex pendet, et Prophetæ [8]. »

IV. O rem admirandam, et eximiam ! quoniam qui habet charitatem non fictam, totam legem implet; nam plenitudo legis est dilectio secundum Apostolum. O vis charitatis incomparabilis ! O vis charitatis immensa ! Cha-

[1] Act. I, 25. — [2] I Joan. II, 11. — [3] Id. IV, 20. — [4] Ephes. IV, 26. — [5] Joan. XIII, 35. — [6] I Joan. IV, 21. — [7] Matth. XXII, 37 et 39. — [8] Ibid. 40.

ritate nihil præstabilius, neque in cœlo, neque in terra. Idcirco Paulus, cum didicisset charitate dignius non esse quidpiam, in fines orbis terrarum scripsit, et misit, dicens: « Fratres, nemini aliquid debeatis, nisi ut diligatis invicem, » et animas vestras pro invicem ponatis [1]. » In hoc siquidem consistit charitas caput omnium virtutum. Charitas plenitudo legis, charitas salus expers erroris. Hæc ab initio in corde Abel habitavit. Hæc ipsius Noë gubernatrix fuit : hæc Patriarchis est cooperata; hæc Moysem præservavit; hæc Davidem Spiritus sancti domicilium effecit; hæc in Prophetis tabernaculum collocavit; hæc Job confirmavit. Et cur non majora proferam? Hæc ipsum Filium Dei e cœlis ad nos descendere coëgit, qui præ nimia charitate, cum carnis expers esset, carnem assumpsit : qui sine tempore, in tempore propter nos : qui Filius Dei, Filius hominis efficitur. Per charitatem cuncta ad salutem administrantur, mors destructa est, infernus evacuatus, Adam ad vitam revocatus, Eva libertate donata. Per charitatem unum Angelorum et hominum factum est ovile. Per charitatem maledictio sublata est, et paradisus apertus, vita manifestata, regnumque cœlorum annuntiatum. Hæc piscatores ex piscium captura hominum piscatores effecit; hæc Martyribus in eorum certamine animum roburque præbuit; hæc civitates in solitudinibus constituit : hæc montes et speluncas dulci Psalmorum concentu replevit; hæc homines Angelos effecit; hæc viros pariter ac mulieres arctam angustamque inire viam edocuit. Sed quousque orationis meæ filum extendam, incomprehensibilia prosequens? Quis omnes charitatis laudes persequi possit? Et quidem nec Angelos pro dignitate id facere posse arbitror. O beata charitas, quæ cuncta bona subministras. O charitas beata, quæ cunctos beatos demonstras, qui te expetunt. Beatus, et ter

[1] Rom. XIII, 8.

beatus est homo ille revera, qui in corde puro, et conscientia non ficta charitatem possidet.

V. Cum autem de charitate audis, cave mundanum, et carnalem suspiceris, ac de ea, quæ in cauponis ac symposiis locum habet, quorum Deus venter est et gloria; quorum charitas mensæ terminis circumscribitur; quorum charitas inimicitia est adversus Deum. Huc amici vocantur et non hostes : hic pauperes non adsunt : hic risus et plausus manuum atque tumultus : hic temulentiæ, et infamiæ. De hac Apostolus ait : « Qui se mundi putat amicum, Dei ini» micus constituitur [1]. » De hac charitate, vel deceptione potius, et ut majus quidpiam dicam, quam Deus non aspicit. Dicit enim Dominus quod et gentes hoc ipsum faciunt. « Si enim diligatis diligentes vos, quæ vobis gratia » debetur? aut quam mercedem habetis [2]? » At nos non de hac loquimur, non hanc prædicamus, aut laude prosequimur; verum illam non fictam, illam culpa et reprehensione omni vacantem, illam impollutam, illam incomparabilem : illam, inquam, quæ cuncta in se continet, et in omni opere bono nominatur, quam Dominus noster ostendit dicens : « Ut quis animam suam ponat pro amicis suis [3]. » Etenim Dominus ipse docuit, et fecit, animamque suam pro nobis posuit, non solum pro amicis, sed et pro inimicis. « Sic enim » Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret dilectum pro » nobis [4]. »

VI. De hac charitate, apostolus Paulus divinam in se charitatem possidens, dixit : « Charitas proximo suo malum » non operatur, non reddit malum pro malo, nec maledic» tum pro maledicto ingerit; sed semper est patiens, et » beniga. Charitas non æmulatur, non irritatur, non cogitat » malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem

[1] Jacob. IV, 4. — [2] Matth. V, 46. — [3] Joan. XV, 13. — [4] Id. III, 16, et 1 Joan. IV, 9.

» veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, om-» nia sustinet [1]. » Hujusmodi charitas nunquam excidit. Qui hac est præditus, beatus est et in præsenti et in futuro sæculo. Beata hac charitate ornatus, non inflatur, non invidet, neminem odio habet unquam, non pauperem fastidit, non aversatur mendicum, non despicit orphanum, non viduam, non peregrinum. Qui hanc habet, non modo diligentes se diligit; hoc enim et ethnici agunt; verumetiam tribulantes se. Divina hac charitate amictus protomartyr Stephanus, pro lapidantibus se obsecrabat, dicens : « Do-» mine, ne statuas illis hoc peccatum [2]. » Rursus dico, et dicere non cessabo; « Beatus homo, qui cunctas res terrenas, ac corruptioni subjectas contemnit, et charitatem possidet : hujus merces diebus singulis augetur. Hujus merces atque corona parata est, regnumque cœlorum huic dono retribuitur. Hunc omnes Angeli beatum prædicant. Hunc universæ cœlorum Potestates collaudant. Hunc cum gaudio Angelorum chori suscipient. Huic ultro cœlestes portæ aperientur, quas etiam cum fiducia ingredietur, præsentandus coram throno Dei, et ad dexteram Dei coronandus, cum quo regnabit in sæcula sempiterna. Quis hoc beatior? Quis hoc sublimior? Quis hoc honorabilior? » Cernitis in quam altitudinem possessores suos charitas subvehit! ut recte ab Apostolo dictum sit : « Nemini aliquid nos debere, » nisi hoc tantummodo, ut invicem diligamus. Deus enim » charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et » Deus in ipso manet in sæcula [3]. » Amen.

[1] 1 Cor. XIII, 4-7. — [2] Act. VII, 59. — [3] 1 Joan. IV, 16.

SERMO.

De psalmo.

I. Et hæc quidem, ac his plura de charitate : nostrum porro erit ad institutum reverti, et de pœnitentia ac futuro judicio sermonem prosequi : ista siquidem omni tempore nobis sunt meditanda : « Quia dies Domini sicut fur in nocte, » ita veniet [1]. » Propterea dies noctesque in ultimam illam horam mentis aciem intende, et in lege Domini meditare die ac nocte [2]. Cum Deo multis, cum hominibus paucis loquere; et, si manum operi admoveris, os psallat, et mens oret. Psalmus in ore tuo sit assiduc. Quoniam Deus cum nominatur, dæmonas fugat, et psaltem sanctificat. Psalmus tranquillitas est animæ, designator pacis. Psalmus, amicitiæ conciliator, dissidentium unio, inimicantium inter se fœdus ac pacificatio. Psalmus Angelorum ad subveniendum inductio, præsidium timoris nocturni, requies a laboribus diurnis, infantium tutela, ornamentum senibus, majorum natu consolatio, mulieribus aptissimum ornamentum. Hic solitudines inhabitat, conciones temperat, rudibus est instructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, et vox Ecclesiæ. Hic festa collustrat, hic dolorem secundum Deum operatur. Etenim psalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. Psalmus Angelorum opus est, cœleste munus atque administratio, incensum spiritale. Psalmus mentium illuminatio, ac corporum sanctificatio. In hoc, fratres, nunquam exerceri desistamus, et domi, et extra in viis, dormientes et excitati, loquentes nobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritalibus. Psalmus piorum

[1] 1 Thess. v, 2. — [2] Psal. 1, 2.

gaudium : hic otiosum eloquium exterminat, risum reprimit, judicium suggerit, animam in Dei laudem excitat, cum Angelis choros agit.

II. Ubi psalmus adest cum compunctione, ibi et Deus una cum Angelis. At ubi cantiones diabolicæ sunt, ibi ira Dei, et væ, remuneratio risus. Ubi sacri libri adsunt et lectiones, ibi justorum est lætitia, et auscultantium salus. Ubi autem citharæ, atque tripudia perstrepunt, ibi virorum pariter ac mulierum sunt tenebræ, diabolique festum celebratur. O subdola diaboli vafrities atque inventum ! Quomodo technis suis ac dolis unumquemque supplantat, fallitque; homines ad mala tanquam ad bona facienda inducens. Hodierno die, sicut apparet, psallunt, crastino autem studiose choreas ducunt ; hodie Christiani, et cras ethnici ; hodie bonæ famæ ac celebres, et cras gentiles. Hodie Christi servi, et cras apostatæ a Deo. Nolite seduci : nullus servus potest duobus Dominis servire [1], sicut scriptum est. Non potestis Deo servire, et cum diabolo choreas ducere. Quare ut veri et ingenui servi Christi, ipsi serviamus, ipsum adoremus, in ipso perseveremus, in ipso ad ultimum usque spiritum permaneamus. Caveamus locum assessumve præbere draconi, « Qui tanquam leo rugiens circuit, quærens » quem devoret [2], » quem dolo circumveniat ; cui resistite fortes, sicut decet Christi milites, inservientes ipsi et cum ipso permanentes. Noli hodie psallere, et cras in tripudiis esse. Noli hodie pœnitentiam de peccatis tuis agere, et cras in perditionem animæ tuæ in choreis saltare. Cave hodie legas, et cras cithara laudes. Cave hodie jejuniis te maceres, ac temperans sis, cras vero huc illucque animum circumagens oberres, ac cunctis ludibrio reddaris. Ne quæso, fratres, ita tempus salutis nostræ deperdamus, ludentes ac ludificati. Esto boni agricolæ instar, operans, et conservans.

[1] Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13. — [2] I Petr. V, 8.

Ne, frater, præsidia vitæ æternæ abjicias. Ne ciborum siccitatem repellas. Cave a vigiliis cesses : cave tædio humi cubandi afficiaris. Cave psalmodiam prætermittas. Quoniam hæc et his similia te in vitam, et gaudium et lætitiam requiemque æternam promovebunt. Dilige silentium ab omni sermone inordinato : mentem siquidem a Deo mundana colloquia alienant, separantque.

SERMO I.

De oratione.

I. Vere beatum est non peccare; peccantes autem, non desperare, sed dolere de peccatis, ut ejusmodi dolore rursus beatitudine potiantur. Bonum igitur fuerit semper orare et nunquam deficere [1], quemadmodum ait Dominus. Et rursus Apostolus : « Sine intermissione orate [2], » hoc est, noctu, et diu, et quacumque hora; neque solum postquam Ecclesiam es ingressus, alias autem horas negligas : verum sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave orationem tuam intermiseris. Nescis enim quando veniet qui animam tuam est repetiturus. Ne expectes diem dominicum, aut festum, locive differentiam; sed, ut inquit propheta David : « In omni » loco dominationis [3]. » Sive igitur in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro : et si oves pascas, et si ædificia construas, et si in symposio verseris, ab oratione cave desistas. Et quandocumque poteris, genua flecte; quando vero non potueris, mente Deum invoca, et vespere, et mane, et meridie. Quod si orationem operi præmiseris, et surgens

[1] Luc. XVIII, 1. — [2] 1 Thess. V, 17. — [3] Psal. CII, 22.

e lecto, primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit. Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frenum, animi elati repressio, et ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias purgatio, invidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio, corporum robur, rei familiaris administratio, recta juris legumque constitutio, regni potentia, tropæum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, navigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium jucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitii, conjugum corona, morientium sepultura. Oratio cum Deo est colloquium, par cum Angelis honor, proborum promotio, ab improbis aversio, et peccantium emendatio. Oratio Jonæ prophetæ balænam pro domo concessit; Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit; ipsisque tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris convertit. Oratione Elias cœlum clausit, ne plueret annis tribus, et mensibus sex.

II. Videtis, fratres, quid quantumque valeat oratio? Neque enim est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio. Ab hac nunquam vos separari patiamini; ab hac nunquam recesseritis : verum, sicut Dominus noster ait, oremus, ne in vanum fiat labor noster. Quando autem steteritis orantes, remittite, si quid adversus aliquem habueritis, ut et Pater vester cœlestis remittat delicta vestra [1]. Videte, dilecti, quoniam in vanum laboramus orantes, si habuerimus inimicitiam adversus aliquem. Et iterum Dominus ait : « Si obtuleris munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia habet quis aliquid adversum te : » relinque munus tuum ante altare, et vade primum recon-

[1] Matth. vi, 14.

» ciliare fratri tuo, et tunc veniens offer munus tuum [1]. » Perspicuum est igitur, nisi hoc prius feceris, nihil eorum omnium, quæ obtuleris, gratum acceptumque fore; sed si mandatum Domini compleveris, tunc audacter Dominum deprecare, dicens : « Remitte mihi, Domine, debita mea, sicut ergo remisi fratri meo, præceptum tuum implens, ego quantumvis infirmus dimisi. » Cui respondebit humani generis amator : « Si dimiseris, et ego dimitto; si ignoveris et ego tua tibi ignosco; etenim potestatem habeo in terris remittendi peccata. » Remittite, et remittetur vobis. Videtis benignitatem Dei incomparabilem? Cernitis bonitatem Domini immensam? Audistis breviter salutem animarum vestrarum.

SERMO II.

De oratione.

I. Magna enimvero armatura oratio, thesaurus indeficiens, divitiæ nunquam exhaustæ, portus tranquillus, tranquillitatis fundamentum, et innumerorum bonorum radix, et fons, et mater est oratio, et ipso regno potentior. Sæpe itaque ei, qui diademate cingitur, febri laboranti, atque in lecto jacenti, atque æstuanti circumsteterunt medici, satellites, famuli, duces : sed neque medicorum ars, neque præsentia amicorum, neque medicaminum affluentia, non suppellectilis sumptuositas, non pecuniarum abundantia, neque aliud quodcumque rerum humanarum levamen afferre potest morbo instanti. Si vero quis apud Deum confidentiam habens adveniat, et corpus solum tangat, puram-

[1] Matth. v, 23, 24.

que pro ipso fundat deprecationem, omnem morbum a corpore fugat : et quod præstare non potuerunt opes, et famulorum multitudo, et scientiæ peritia, et regni amplitudo, hoc potuit unius pauperis sæpe, atque indigentis oratio. Orationem dico non frigidam hanc, et negligentiæ plenam, sed illam, quæ longo studio fit, cum animi dolore, cum mente erecta. Ipsa enim est, quæ ad cœlum ascendit, et tanquam aquæ, quoad quidem in loco æquali, planoque feruntur, et lato spatio fruuntur, minime in altum assurgunt; cum vero illas manus canalibus astringentes ex inferiore loco circumvallant, ac comprimunt, in arctum coactæ jaculo quovis vehementiores in sublime feruntur. Eodem etiam modo mens humana, quousque fruitur multa licentia, diffunditur, atque affluit; cum vero rerum necessitas funditus illam in angustias redigit, bene compressa, puras, copiosasque preces in altum emittit. Atque ut intelligas eas maxime exaudiri posse orationes, quæ in angustia funduntur, audi quid dicat Propheta ad Dominum : « Cum tribularer clamavi, et exaudivit me [1]. » Calefaciamus igitur conscientiam, affligamus animam delictorum memoria. Affligamus, non ut in angustias religamus, sed ut sobrietati assuescere, ac vigilare et ipsa cœlestia assequi faciamus.

II. Nulla res fugat tam socordiam, et negligentiam, quam dolor, ac tribulatio ex omni parte colligens mentem, et ad se ipsam convertens. Qui sic comprimitur, atque orat, multam post orationem voluptatem in suam animam introducere poterit, et quemadmodum nubium concursus in principio quidem tenebricosum aërem reddit; postquam vero promiscuas nives demiserit, pluviam deponens, totum aërem tranquillum efficit, atque hilarem; eodem etiam modo tristitia, quoad intus versatur, nostram cogitationem

[1] Psal. CXIX, 1.

tenebris offundit; postquam autem per verba orationis cum ipsis lacrymis evacuata fuerit, atque extra efflaverit, magnam inducit hilaritatem divini auxilii, veluti radio quodam in mentem orantis immisso. At quis est frigidus complurium sermo? « Nulla in re confidere possum, ait; turpitudinis plenus, os aperire ne possum quidem. » Pietas hæc satanica est, socordiæ hi prætextus sunt : vult enim diabolus portas reditionis ad Deum claudere. Nulla in re confidis? Hoc magna confidentia est. Hoc ipsum, putare se nullam in se confidentiam habere, sicut summum dedecus est, et crimen condemnatione dignum, putare confidentiam habere. Quamvis enim multis bonis operibus abundes, quamvis nullius mali tibi conscius sis, existimes vero posse confidere, totam orationem vanam reddidisti. At contra, licet innumerabilium criminum pondere in conscientia opprimaris, et hoc solum tibi suadeas omnium esse infimum, multum apud Deum confidere poteris. Quin neque hoc ipsum humilitatis est, ut ille, qui peccator est, se esse peccatorem putet; humilitas enim est, cum quis multorum, atque ingentium criminum sibi conscius, nihil magnum sensit de se ipso : cum quis secundum Paulum existens, et potens dicere : « Nihil mihi conscius sum [1]. » Dicit etiam rursus : « Christus Jesus venit peccatores sal- » vos facere, quorum primus ego sum [2] : » hoc est humilitas, eum, qui propter egregia opera sublimis est, humilem cogitationem habere de se ipso. Sed nihilominus Deus propter inexplicabilem suam misericordiam, non solum qui de se humiliter sentiunt, verumetiam qui candide sua scelera confitentur, admittit, atque amplexatur, placidusque fit, et benevolus erga eos, qui hoc modo affecti sunt.

III. Atque ut scias quantum bonum sit, nihil magnum de se cogitare, currus duos in mente finge : junge justitiam cum

[1] 1 Cor. IV, 44. — [2] 1 Tim. I, 15.

negligentia, et peccatum cum humilitate, et videbis currum iniquitatis præoccupare justitiam, non ob propriam virtutem, sed propter vim humilitatis sociæ, et illum rursus detrimento affectum non propter justitiæ imbecillitatem, sed ob pondus, gravitatemque socordiæ. Sicut enim humilis animi cogitatio propter excedentem suam sublimitatem peccati gravitatem vincit, et prior ad Deum ascendit ; sic etiam negligentia ob pondus suum, gravitatemque potest etiam expeditissimam justitiam superare, eamque facillime ad ima detrahere. Quod hic currus sit magis præceps, quam ille, in memoriam revoca Pharisæum, et Publicanum. Conjunxerat Pharisæus justitiam, et vecordiam, sic dicens : « Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri ho- » minum, raptores, injusti, velut etiam hic publicanus [1]. » O amentiam ! Non satis fuit ipsius vecordiæ universum hominum genus, verumetiam cum prope Publicanum maneret, multa cum vecordia insultavit. Quid igitur ille ? Non opprobria repulit, non questus est de accusatione, sed accepit dictum libenti animo, et adversarii telum versum est ei in pharmacum, et medelam, et convicium in encomium, et accusatio in coronam. Adeo bona res est humilitas, tam magnum est lucrum, non morderi a jurgiis aliorum, neque efferari ad proximi injurias. Est enim etiam ex ipsis fructum capere bonum magnum, atque eximium, quod quidem in Publicano contigit. Recipiendo enim injurias, deposuit peccata, ac dicendo : « Propitius esto mihi peccatori[2], » descendit justificatus ab illo, et verba superarunt opera, sermonesque actiones vicerunt. Etenim ille quidem proponebat justitiam, jejunia, ac decimas ; hic autem nuda verba protulit, atque omnia delicta deposuit. Non enim verba duntaxat audivit Deus, verumetiam mentem respexit, qua illa proferebat : cumque humilem animi sen-

[1] Luc. XVIII, 11. — [2] Ibid. 13.

sum, contritumque invenisset, misertus est, ac bonitate usus. Hæc dico, non ut peccemus, sed ut animum bene constituamus. Nam homo publicanus, infimum nequitiæ genus, non abjecte de se sentiendo, sed bonum animum solum gerendo, et confitendo peccata, ac fatendo quod erat, tantam sibi benevolentiam captavit apud Deum, quantum qui eximia bona patrantes, nihil autem de se ipsis magnum sentientes, trahunt in se auxilium.

IV. Idcirco hortor, oro, ac deprecor, assidue Deo ut confiteamur. Etenim non duco te spectandum a tuis conservis, neque cogo ad revelandum hominibus peccata. Aperi conscientiam coram Deo, ipsi vulnera ostende, et ab ipso remedia exposce. Ostende ei, qui non improperat, sed medetur : utut enim silentio tegas, videt ille omnia. Dic igitur, ut lucrum reportes : dic ut hic deponens, abeas eo purus a delictis, atque ab intolerabili illa publicatione libereris. Tres pueri in camino manebant, animamque posuerunt propter Domini confessionem : nihilo tamen minus, post talia, ac tanta bona opera, aiunt : « Non possumus aperire os. Confusio, et opprobrium facti sumus » servis tuis [1]. » Quid igitur aperit os ? Ut hoc ipsum dicamus, inquiunt, « Non possumus aperire os, » atque hoc ipso Dominum attrahamus. Orationis vis vim extinxit ignis, leonum iram frenavit, bella dissolvit, pugnas sedavit, procellas sustulit, dæmones expulit, cœli portas aperuit, vincula mortis solvit, morbos fugavit, violentias excussit, urbes quassatas restituit, ac superne illatas plagas, atque hominum insidias, omnesque omnino molestias interemit. Orationem autem rursum dico, non quæ simpliciter in ore consistit, sed illam, quæ ex profundo menti exurgit. Quemadmodum quippe arbores quæcumque in profundum radices mittunt, quamvis innumeris subsint

[1] Dan. III, 33.

ventorum incursibus, neque franguntur, neque evelluntur, radicibus tenaciter in terræ profundo adhærentibus; sic pariter preces ex intima mente emissæ, secure radicatæ, non in altum extenduntur, tum nullo cogitationis impetu evertuntur. Ideo etiam Propheta ait : « De profundis cla- » mavi ad te, Domine[1]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

SERMO.

De vera renuntiatione, et quo pacto anima Deum inveniat ; quam ob causam ad nos venit Dominus.

I. Qui vitam quietam excolit et vita solitaria gaudet, optimum principium amplectitur. Verum se ipsum intueatur oportet, an, sicut a perturbationibus exterioribus se abstraxit, ita et ab interioribus commotionibus, maximisque dæmonum procellis sit immunis ac liber. Nam et in animo perturbationes sunt atque commotiones improbissimarum cogitationum, magnæque malitiæ adversarum potestatum, de quibus ait Apostolus : « Non est nobis col- » luctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus » principes et potestates, adversus mundi rectores tenebra- » rum harum, contra spiritualia nequitiæ[2]. » Et rursus : « Arma nostra non carnalia sunt; sed potentia Deo ad des- » tructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem » altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei[3]. » Itaque universum nostrum certamen in eo est positum, ut ab iis, quæ intra nos sunt, perturbationibus conquiescamus, ac liberemur; et veris tumultibus renuntiemus, cum universa turba pravarum cogitationum, quæ nobis ab illis ingeruntur. Cum alias frustra fieret renuntiatio, secessus-

[1] Psal. CXXIX, 1. — [2] Ephes. VI, 12. — [3] 2 Cor. X, 4, 5.

que ad ea, quæ videntur, loca. Vera siquidem renuntiatio hæc est : interna animi pace, atque quiete perfrui.

II. Quando igitur coram Deo in oratione persistis, cave ne pulchra tua vasa, in quibus Deo psallis, hoc est, cogitationes tuæ, ab hostibus tuis rapiantur. Et quo pacto, precor, vel in quo ministrabis Deo, captis, id est, abreptis, et quasi in captivitatem abductis cogitationibus? non enim indiget Deus ut os, vel lingua oret. Cultus enim Deo placens hic est, ut cogitationes, et tota fortitudo, ac vis animæ cum mente tota in Deum absque ulla distractione ferantur. Cave aurum tuum ære, vel plumbo misceas, hoc est, animam tuam variis, atque immundis cogitationibus contamines. Quemadmodum enim puella viro desponsata, si corrumpatur ab aliis, execrabilis efficitur marito : ita et anima sordidis cogitationibus distracta, et pactis atque conditionibus obligata, abominabilis redditur cœlesti sponso suo Christo. Quantum autem in se est, caveat indulgere, atque consentire illarum dulcedini ; ut sic Dominus ejus in se amorem cernens, misereatur ipsius, veniensque disperdat inimicos corrumpentes eam, suadentesque inimicitiam adversus sponsum suum, et consilia eorum dissipet, qui illam a Christo avulsam corrumpere student. Cumque jam viderit Dominus animam colligentem se, et quantum in se est, semper quærentem, et expectantem Dominum suum, ac nocte diuque ad ipsum clamantem (quoniam sic mandavit sine intermissione orandum esse) cito faciet vindictam illius, et mundans eam ab omni nequitia, immaculatam ipse sibi sponsam exhibebit. Quod si in eo hæc se ita habere credis, ut revera se habent, attendendum tibi erit, num anima tua invenerit lumen, quod ipsam deducat cum cibo et potu vero, hoc est, ipso Christo. Si vero non habes, nocte diuque inquirito, ut accipias : cæcus enim es. Quoniam sic promissum est, sicque anima Deum verum reper-

tura est. Quandocumque ergo solem vides, verum Solem quærito, animamque tuam inspicito, num lumen verum inveneris. Nam quæ videntur, umbra tantum sunt eorum, quæ non videntur, verorumque bonorum animæ. Quoniam ab his, quæ foris apparent, alius est homo intus latens et oculi, quos excæcat Satanas, et aures, quas surdas reddit. Et venit Jesus hoc salvare, et hominem sanum facere. « Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere, » quod perierat [1]. » Ipsi gloria in sæculorum sæcula. Amen.

SERMO.

De peregrinatione.

I. Peregrinatio, de qua sermonem instituo, ars operosa est, plurimum asperitatis continens; quippe quæ ardua idiotis est, adolescentibus laboriosa, simplicibus molesta, gravis est sapientibus, intolerabilis egenis, nobilibus vulgaris, divitibus humilis. Quicumque itaque peregrinari optat, oportet præ aliis omnibus, ut nihili proprium decus habeat; quin potius animi contemptionem et despicientiam sibi eligat; sic enim fieri decet. Super nudam plerumque terram dormiet, et lapides ipsi pulvilli loco erunt, rigidoque hyemis tempore hospitium ostiatim emendicare cogetur. Terra frugibus gravida, ipse fame torquebitur; cæteris aquarum copia affluentibus, solus siti exarescet; singulisque sub proprio tecto commode viventibus, ipse unus ærumnis undique obsessus, languescet. Quamvis fame corruat, tamen ut helluo reputabitur, conviciisque ubique appetetur, licet vel leve nulli detrimentum inferat. Se deinde appellari audiet, servum impium, furem, va-

gum, fugitivum, seductorem, patriæ hostem, exploratorem, impudentem, furiosum, lymphaticum. Hæc permultaque alia id genus convicia obeuntem peregrinationem manent. Oportet ergo, ut ipse animo sit ad adversa omnia sustinenda parato, et jactas sibi contumelias non absorbeat modo, sed et summa animi constantia concoquat.

II. Quæ cum ita se habeant, nulli unquam gratum fore puto peregrinandi munus, demptis unice Christi Domini Discipulis, qui mihi sunt ipsa anima chariores. Servus etenim Dei, cujus vita remota ab hoc populari plausu est, quocumque se vertat, omnium sibi benevolentiam æstimationemque conciliat, et undique similes in probitate viros eidem obsequentes nanciscitur. Cuncti certatim occurrunt, et venerandam frontem exosculantur. Alii domesticum Dei familiarem adoraturi procumbunt, alii incedentem sustentant brachio; omnes tantum hominem hospitio excipere decertant. Purissimis deinde peregrinatoris pedibus unguento oblitis, extersisque, eidem mensam conquisitissimis cibis extructam apponunt, ut cibo et potione non tam corporis, quam animi vires restaurentur. Qua de re, qui Christum quærit, peregre exeat, eumque in peregrinatione inveniet, a quo perhumaniter tractabitur, quin aliquando deseratur.

III. Qui ad perfectionis apicem nititur peregrinationem aggrediatur; in ea siquidem viam, quam elegit, assequetur. Et si qua forte macula sordeat, hæc cito eradetur; quamque vitia defœdarunt mentem, eamdem dolor et humilitas renovabunt, et licet in terra hospes adhuc versetur, corde tamen in Beatorum insulis immortale ævum deget. Qui demum suæ salutis negotium prospere conficere voluerit, patriam deserat, et terram pedibus perlustret; peregrinando enim sapientiam acquiret, humi-

litati assuescet, suos mores componet, Deoque perplacebit.

SERMO.

De statu spirituali.

In data quidem via hæc sunt : temeritas, distractio, gula, ebrietas, prodigalitas, lascivia, contentio, ira, elatio, inconstantia, et his similia, quæ consequuntur; infidelitas, incredulitas, inobedientia, et malorum omnium postremum desperatio. Qui autem ista sectatur, a via veritatis aberrans, suum sibi ipse interitum comparat. In angusta autem et arcta via sunt hæc : quies, continentia, temperantia, charitas, patientia, gaudium, pax, humilitas, atque his similia, quæ consequitur vita sempiterna.

SERMO.

De oculorum custodia, nec non adversus divinarum rerum scrutatores.

I. Scriptum est : « Balaustia fac tecto tuo patientia [1], » modestiæ nimirum, ac verecundiæ sepibus frontem circumclaude tuam, tuosque oculos cohibe, ne iis in lubrica quæque inconsulto discursitantibus, tu interim misere concidas. Enimvero si David vigilantissimus alioquin diligentissimusque oculorum custos ubi vel semel periculosam

[1] Deut. xxii, 8, in versione syriaca.

speciem curiosius, quam par erat, intuitus est, peccavit, quid de illo sentiemus, qui suum undequaque aspectum libere contorquet? Nihil est aptius ad castitatem tuendam, quam illud idem cum oculis fœdus inire, quod Job olim pepigisse admonemur.

II. Scriptum est etiam : « Si videris jumentum fratris » tui pereuntem, ne despicias; quod si jumentum pereat, » magna cura illud subleva [1]. » Dum ergo de animantis incolumitate tam sollicitum se præbuit Deus, qua non ille cura de nostrarum animarum salute tanto pretio comparata detinebitur? Illi igitur perpetua sit gloria, qui sua animalium providentia, maximum illum, quo nos complectitur, amorem designavit.

III. Pergamus sacrarum Litterarum oracula consulere : « Si videris asinum proximi tui, vel inimici in via ceci» disse, subleva cum eo [2]. Quod si e converso proximus ipse decidat, quomodo, amabo, justi prope ipsum prætereuntes dexteram lapso porrigere recusabunt? Quod si forte accidat ut quispiam, Levitarum ac sacerdotum instar, languentem illum deserat, saltem non deerit, qui evangelici illius Samaritani pietatem imitetur, de quo meminit Christus Dominus his, quæ sequuntur, verbis : « Et » appropians alligavit vulnera ejus, et imponens illum in » jumentum suum duxit in stabulum, ac curam ejus egit, » mercede stabulario constituta [3]. » Benedictus, qui se humilians, pretioso suarum miserationum pharmaco cicatricosos hominum animos restauravit.

IV. Scriptum ulterius reperimus : « Qui bovem cornu» petam possidet, nec recluserit eum, moriatur [4]. » Quî ergo fieri poterit, ut æquissimus Deus latronem, qui quotidie diripit vastatque, impune grassari patiatur? Bovi bina

[1] Exod. xxiii, 4, et Deut. xxii, 1 et 4. — [2] Ibid. — [3] Luc. x, 34, 35. — [4] Exod. xxi, 9.

tantum cornua tradita sunt a natura; diviti vero septuaginta septem, quæ omnia in cœlestis Agni socios retorquet. Benedictus Agnus, qui pro hominum salute cruenta furoris victima cecidit.

V. Neque vero sua avaris, detractoribus, invidisque spicula ad proximum sauciandum desunt; contentiosi tamen, utpote infestioribus instructi jaculis, graviora fratribus infligunt vulnera. Quod si, divina jubente lege, bos alieni bovis interfector lapidibus obruendus est, quanam, rogo, pœna dignus erit audax ac temerarius ille, qui aliorum nomen tot detractionum aculeis lacerat? Hunc, quæso, Domine, per devia gradientem sustine, ut, te duce, instantia pericula vitet, et ad meliorem frugem redeat.

VI. « Si quis aperuerit cisternam, et foderit, operiat » eam, ne quis morte moriatur patenti [1]. » Impius os suum, cisternæ instar, dilatavit, et omnis sermo illius laqueum continet et offendiculum. Jam si de cisterna providit Deus, ne aperta noceret, quid de ore semper ad calumniam prompto dicendum erit, quod non in cisternam, sed in infernum auditores calumnias approbantes dejicit? Immortalis illi honor habeatur, qui latentem foveam, in quam dæmon protoparentem impulerat, suo adventu obseravit.

VII. Scriptum denique est : « Filius, qui patri suo male» dixerit, morte moriatur [2]. » Porro si tanta pœna dignus est filius, qui injuriam quovis pacto fecerit hujusce sæculi genitoribus, quanto pejori, imo et pessimo leto afficientur impiæ illæ ac procaces linguæ, quæ temerario ausu blasphemias in Patrem illum omnium suavissimum, Deum scilicet, protulerunt. Tuam, Domine, justitiam benedicimus, ac tuæ bonitati gratias agimus, quas possumus maximas, quæ nefarios tui nominis detractores complectitur.

[1] Exod. xxi, 33. — [2] Ibid. 17. — [3] Levit. xx, 9. Prov. xx, 20, et Matth. xv, 4.

SERMO.

De virginitate.

I. De virginitate, et animæ sanctificatione a Paulo apostolo optimo consiliario omnes docemur, quippe qui virginitatis gradum et præstantiorem et superiorem mundo arbitratur. « Nam qui uxorem habet, inquit Apostolus, » sollicitus est quomodo placeat uxori. At qui in virginitate » permanet, semper cogitat quæ sunt Domini, et quomodo » placeat ei [1]. » Illa cura sæpe abducit ad pœnam, hæc vero in vitam ducit æternam. Beatus ille homo, qui sollicitus est quomodo placeat Domino, suumque corpus integrum purumque servare curat, ut sit templum sanctum et immaculatum Christi regis. Sponte factus es templum Dei, o homo? Tibi igitur ipsi die noctuque attende, ne templum corrumpatur quod pro tua voluntate formasti. Ipse tuapte voluntate, tuaque sponte templum Dei factus es, non quidem vi coactus, sed spontanea voluntate inductus. Nosti et ipse manifeste, qui factus es templum Dei altissimi, quod Spiritus Dei templum mundum inhabitet, sanctificetque illud, ut sit utile ac commodum suo Domino.

II. Audi, charissime frater, quæ tibi dico, et verba parvitatis meæ cordi tuo imprime. Præcingere sincera ac integra fide, spe, et charitate; et sta velut potens, templum Dei a cunctis sordidis immundisque cogitationibus custodiens. Esto autem ipse oculus totus, assidue observans prospectansque improbi illius prædones infestos, qui advigilant irrepuntque semper, ut aliquem mollem, ac desidem,

[1] I Cor. VII, 32, 33.

levemque inveniant; infelicisque illius templum, corporis scilicet, destruant, ne amplius sit utile Domino. Attende igitur tibi ipsi, ne per negligentiam piratas illius maligni intromittas.

III. Intelligis, o frater, qui sint illi piratæ maligni istius, homicidæ? Cogitationes sordidæ, concupiscentiæ pravæ, excandescentiæ, et perturbationes, iræ, et contentiones, passionum ac malarum effectionum obsecundationes. Hi sunt piratæ illi impudentissimi, ac pessimi, qui nunquam cessant, nec ullius malitiæ saturitatem capiunt. Et quamvis vincantur, semper se tamen intrudunt, atque ingerunt. Inverecunda est radix concupiscentiæ, quæ licet quotidie vellatur, horis tamen singulis pullulat. Fac eam radicitus e corde tuo extirpes, mi frater, ne horis singulis pullulet, germinetque. Et licet eam millies excideris, bis tanto excrescet atque germinabit, nisi penitus radicitusque illam evulseris. Contende igitur assidue, ut templum fias Dei sanctum, et immaculatum. Quod si templum tuum sic Deo præparaveris, ipse Deus sanctus pro mercedis retributione, delicias ac jucunditatem paradisi tibi largietur, et pro passionibus ac perturbationibus cogitationibusque sordidis devictis, requiem sempiternam. Stude ergo templum sanctum tuum custodire, ut sit decens atque decorum acceptumque Deo. Quamobrem attende tibi ipsi, ne loco sancti, et immaculati Domini, inimicum atque scelestum introducas in templum : corrumpaturque tuum templum per impudentiam hostis, honestatis inimici : quippe qui impudens est ac effrons : cum licet sæpius increpando foras ejicias, ipse tamen usque impudenter introire tentabit. Et si illum in templum corporis tui admiseris, nulla in Deum immaculatum, et sanctum erit culpa referenda. Non enim ille a te recessit, sed tu illum repulisti : introduxisti scelestum illum, et sanctum perdidisti. Regem odisti, et tyrannum dilexisti.

A fonte vitæ recessisti, et in cœno volutaris; orbatusque lumine, tenebris communicas. Atque sic propter mollitiem, ac segnitiem tuam, tradidisti te ipsum in manus impurissimi hostis. Deo quidem sancto complacuisset semper templum tuum inhabitare, nisi ipse optimum Dominum, cujus nulla est satietas, cupientem tibi donare suum regnum contristasses. Deus siquidem in illorum habitat corpore, qui templum ipsi facti sunt sanctum et immaculatum. Quod si ergo optas semper Deum in templo corporis tui habitare, omnibus diebus tuis, quibus vives super terram; ipse Deus sanctus in suo paradiso, in luce incomparabili, et vita immortali in sæcula sæculorum, magno cum gaudio te ibi reficiet. Audisti illud sane, vel etiam legisti, quod dies una in luce illa regi Dei sint mille anni sæculi hujus [1].

IV. Aperi cor tuum, frater, et quæ dicuntur, attente ausculta: Deum desidera cunctis diebus vitæ tuæ. Dulcedo quippe, et illuminatio, atque lætitia perpetua est desiderare Deum. Quod si semper eum desideres, semper eum inhabitatorem habebis. Deus zelator est, et immaculatus, ac sanctus, semperque in anima timentium ipsum inhabitat, facitque voluntatem diligentium se. Cupis esse castum et immaculatum templum Dei? Imaginem ejus in corde tuo semper habeto: imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliave materia deformatam; verum illam, quæ per bona opera, uti jejunia, vigilias, honestas actiones, continentiam, et orationes, mirabili quodam modo pure jugiterque depingitur in anima. Colores vero imaginis illius cœlestis Domini, recte facta sunt, et cogitationes mundæ ac terrenarum nuditas, cum lenitate ac vita sancta omni tempore. Absque certamine nemo coronatur in vita, et in vita potissimum monastica. Nemo absque luctamine coro-

[1] Psal. LXXXIII, 1, et LXXXIX, 4.

nam immarcescibilem, vitamque æternam potest assequi; palæstræ enim sive arenæ simile est hoc sæculum, in qua perfecti athletæ quid alacritate, et mansuetudine sua possint, viripusque quantum valeant, intrepide demonstrant. Meticulosi contra, ac molles ob suam mollitiem, atque ignaviam, certamini cedunt, fugientes; legitimi porro atque perfecti pugiles continentissimique monasticæ vitæ cultores, amœnitatem sibi paradisi in suo certamine ante oculos statuunt, expectantes semper in eo bonis illius omnibus perfrui, in luce æterna, et in vita immortali. Vis in agone atque certamine tuo victor evadere? Virtutibus sicut vestimentis semper induere, quibus indutus, eas cave exuas, sed iis munitus, assidue in certamen prodi.

V. Timeto vinum, ne ebrietate vincaris, et virtutibus nuderis : quemadmodum antiquus ille Justus nudatus est vestibus. Nosti-ne potentiam vini? Si minus nosti, audi, ego indicabo. Noë vir justus, sanctus, atque perfectus in generatione illa, quæ sibi ipsi pernicies extitit, qui et a Deo meruit de pietate sua commendari atque laudari, dum ad eum dixit : « Te solum vidi justum, in generatione hac » corrupta [1]. » Justus igitur hic, qui inundationes aquarum diluvii vicerat, a modico vilique vino victus est dormiens. Aquæ infinitæ non potuerunt vincere ipsum; vinum autem vile inter dormiendum justi viri corpus nudavit, qui postea pater ac caput gentium evasit. Sanctum quoque Lot, vinum in somno continentiæ virtute spoliavit, cum ex eo præter naturam furtim filiæ conceperunt [2]. Si ergo justis ac sanctis vinum non pepercit, te vilem atque abjectum quanto magis superabit? Semper tibi a vino time, o juvenis, quandoquidem vinum nunquam parcit corpori : ignemque malæ concupiscentiæ continuo in ipso accendit.

VI. Vide ne corpus tuum, nimia mollitie laxatum, illius

[1] Gen. VII, 1. — [2] Id. XIX, 36.

pateat incendiis; neve occupatus cogitationibus pravis, et meditatione pessima, licet etiam per conjunctionem corporum opus in actum non prodeat, reus tamen nefarii illius operis per umbram, et peccati ipsius imaginem reddaris. Sin vero ejusce imaginis vel umbræ peccati cogitatione præoccupatus fueris; quidquid dixeris, aut egeris, semper te pœnitebit, sicque semper ædificabis, et destrues. Peccati enim simulacra semper ante oculos mentis exhibet, semper contemplationem fingit, colloquia multiplicat, ac jucundam cogitationem efficit. Mollescit cogitatio, vincitur invisibiliter, et peccat latenter. Omnibus quidem spectantibus, propalam apparet plenus pietate atque religione : ipse vero sibi male conscius torquetur interius, semper pœnitens, et assidue dolens, quandoquidem a propria redarguitur conscientia. Habet autem hoc sibi familiare concupiscentia mala, ut mox ubi peccatum suum consummaverit, iisdem vestigiis dolor subsequatur. Vultu quidem exterius religionis præ se fert speciem : interius autem nullam prorsus fiduciam in Deum habet. Quis ergo non tristetur, et quis non deploret? In momento et ictu oculi mollescit cogitatio, et mox sponte Deum peccando offendit, cœlesteque a se donum, sanctificationem scilicet, ac virginitatem, repellit. Quandiu enim templum corporis sui sanctum purumque fuerit, Deus excelsus in eo habitabit. Si vero corrumpatur, polluaturque templum, e vestigio sanctus et immaculatus Dominus illud relinquit : locoque sancti, ac cœlestis luminis ingreditur commoraturque in eo spiritus immundus, cum quo subintrat concupiscentia maligna ac sordida, perpetuo furens atque insaniens.

VII. Quis igitur hæc audiens, non illico in lacrymas solvatur, suoque ista omnia pectori non insculpat? Quandoquidem Deus sanctus a templo recessit, ac pro eo, a concupiscentia mala illud occupatum manet. Quod si hoc

intelligat, revolvatque mente quisnam illud deseruerit, unde exciderit, et a quo separatus sit, numquid unquam lacrymis atque gemitibus satiari poterit? Si quis nimia mollitia in certamine victus, conspexerit alium in eodem certamine colluctando superiorem, victoremque coronis ac præmiis donatum, et omnium astantium laudibus celebratum : tunc illum, quod certamen subterfugerit, vehementer pœnitere incipiet, se ipsumque talis præ magno dolore torquebit, et intra se dicet: « Cur sic unico temporis momento, cogitatione victus, certamen fugi? Ecce alios video certaminis victores, qui magna cum gloria, summisque laudibus certamen suum perfecerunt : ego vero confusus tanquam certaminis ejusdem desertor latebo? » Sic quoque in die retributionis erit. Quando enim molles et peccatores aspexerint ibi justos ac sanctos magna lætitia perfusos, alios quidem in paradiso, alios in regno, alios in nubibus volantes cum claritate ; se ipsos autem miseri illi viderint igni inextinguibili, ac tenebris exterioribus addictos ; tunc dira eos pœnitentia incesset, et horror ac dolor inutilis.

VIII. Quamobrem hortor te, fraterr ut semper imitari velis sanctos illos, atque perfectos, et inculpatæ vitæ patres, qui sancta, puraque immaculati Domini templa extiterunt. Insiste vestigiis sanctorum patrum, qui in castitate virginali, et vita pudica ac religiosa, in orationibus, et jejuniis emicuerunt : ama exercitium divinarum rerum ; desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio sancta et pura, cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfecte Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaque multa, ipsum etiam cœlum jugiter penetrat. In ipsa Angeli atque Archangeli exultant, et coram throno sancti et excelsi universorum Domini illam statuunt. Tunc enim maximum iis, affulget gaudium, si

quando coram Domino preces justorum diligentium Deum offerant. Stude igitur, frater, vita atque virtutibus imitator fieri sanctorum patrum. In semitis viæ ac vitæ illorum ambula. Continentiæ virtutem excole, quemadmodum et illi : excole eam mente, excole spiritu, excole corpore, excole habitu, cibo item et lingua, aspectu, cogitatione, ac risu; ut per omnia velut perfectus athleta ostendaris. Attende igitur tibi ipsi, ne quando in oratione huc illucque mens tua evagetur. Cum vero Deo assistis orans, cum timore ac tremore coram illo te compone. Cogitationes ac sollicitudines quascumque rerum terrenarum circumquaque ex corde tuo abscinde. Esto autem totus orationis tempore, velut cœlestis Angelus; sicque contende, ut oratio tua sit sancta ac pura, immaculata et irreprehensibilis : ut cum illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes, gaudentes ultro confestim ei aperiantur : ut ipsam cernentes Angeli, et Archangeli, cuncti lætantes illi occurant, et coram sancto atque excelso throno immaculati Domini ipsam offerant. Sic ergo semper orationis hora esto Deo conjunctus, ut Cherubim, et Seraphim. In verbis hisce meditare, frater, eaque cum timore et gaudio dulciter decanta. Cibos spiritales præbebunt animæ, et dulcescere eam facient ab amaritudine vani hujus sæculi, alleviabuntque ipsam a sarcina, ac pondere sollicitudinum rerum terrenarum. Cuncta, quæ audisti, servare contende. Deum semper in anima tua quiescere facito, ut ibi inveniaris fiducia plenus in hora illa terribili atque tremenda, quando venerit Christus ad reddendum unicuique secundum opus suum. Cui sit gloria atque potentia in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De abstinendo ab omni consuetudine perniciosa, et de continentia

INTERROGATIO.

I. An bonum sit de aliorum rebus curiosum esse?

RESPONSIO.

II. Bonum est unumquemque sibi ipsi attendere, et omnia secundum Deum agere, exemplumque bonorum operum seipsum cunctis exhibere. Quod si de alia re quapiam laboras, tuam ipsius perscrutare conscientiam, an secundum Deum hoc agas, necne, multæ enim hostis, sunt insidiæ. Hoc igitur adverte ne ex invidia atque æmulatione, studiove placendi hominibus, istud agas. Sed dixeris forte : « Differentiam singularum insidiarum intelligere cupio. » Audi ergo cooperante gratia. Qui livore quodam, atque invidia id facit, talis est, ut cum quis aliquem secundis rebus utentem conspexerit, se autem angustiis, et tribulationibus præmi, hunc tanquam sub prætextu pietatis, quasi abutentem suo statu, calumniatur. At qui secundum voluptatem vivit, talis est, velut si quis cum aliquo agere atque versari desideret (ut honestis hoc verbis eloquar) neque labori votisque illius annuat res desiderata, videat autem eum ad alios se diffundentem, et illo irritatur; idque ut sub velamine pietatis ei, quasi qui non conservet temperantiam, maledicat : ut videre licet in stulto aliquo juvene erga amasiam suam. Qui vero secundum hominem agit, ejusmodi est, qui cum clam perperam ac nequiter agit, coram iis, quibus est ignotus, studium honestatis simulat

atque virtutis. At qui secundum Deum elaborat, non suæ salutis sataget, alteri vero offendiculum scandalum ponet; sed omnia excogitat, et perficit, ut placeat Domino Deo, dicenti : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde » tuo; et proximum tuum sicut te ipsum [1]. » Memores igitur illius, qui dixit : « Scrutans corda, et renes Deus [2] : » Et, « Qui reddet unicuique secundum opera sua [3]; » omnia secundum Deum faciamus; « Deus enim non irride- » tur [4]. » Quod si te ipsum trahi videris a cogitatione aliqua, ad perfruendum formoso aspectu, vel pueri, vel mulieris; te laqueis inimici proximum esse noveris. Sin admonitus quoque non destiteris jam te laqueis, irretitum agnosce, unde nec facile voluptatem vinces. Si enim ex ipsa te noxia conversatione eximere nequivisti, aut potius noluisti, quomodo te non volet adversarius jugulare?

III. Quod si dixeris : « Conversor quidem, sed detrimentum inde non patior : » et hoc male affecti animi indicium est. Quo enim pacto fieri potest, ut quis in prunis deambulet, et plantas pedum non comburat? Si item aliquem suam violantem pudicitiam conspexeris, sed morum honestatem præ se ferentem, ac simulantem; ab illo tibi cave, cum dolus in eo subsit. Quid enim profuerit arbor, sub qua draco latitat, licet etiam in se fructus gestare videatur ad vescendum aptos? Honestum cibum sumere, ac reverenter potu refici, et citra inanem gloriam sapere, ac suo tempore dormire, nobis a providentia divina concessum est; fornicari autem, vel stuprum inferre, aut libidinosum esse, vel quam aliam sordidam concupiscentiam carnalem explere, nullo nobis modo est permissum. Si volueris caste vivere, continentiam sectare, et noxias a te conversationes amputa. Quandiu enim quis scandali

[1] Deut. vi, 5, et Matth. xxii, 37 et 39. — [2] Psal. vii. — [3] Apoc. ii, 23. — [4] Gal. vi, 7.

occasiones non vitat, impossibile fuerit a corde ejus perturbationes pravarum cogitationum, et incendium improbarum concupiscentiarum recedere; siquidem aspectus, qui apparet, et sermones passionem motumque in animo illius excitant. Nam sicut spongia humidis admota, subjectam humiditatem haurit, participatque : ita quoque cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multum cum iis sermonem miscuerit, commune cum iis damnum participabit. Unde et propterea ebrius absque vino submergitur. Nam ex quo ipse damno præsenti repletur, non amplius spiritalem sermonem admittit. Siquidem effrenata cupiditas animum ejus præoccupans detinensque, impedimentum sermoni spiritali ponit, atque ipsi aditum intercludit. Nam si quis accurate perdiscere velit, inveniet eodem se modo habere passiones, non solum circa voluptatis amorem, sed in quacumque re alia interdicta. Quandocumque enim concupiscentia per res sensibiles in animum sese insinuarit, mox ipsum cogitatione circumdat et obsidet, divinoque sermoni ingressum præcludit. Et quemadmodum si quis spongiam aceto intingat, et priusquam hanc exprimat, vino eam irrorare velit, id non admittit; cum præoccupans aceti fluxus ac liquor, ingruentibus vini guttis impedimento sit : ad eumdem modum et concupiscentiæ illecebris pleni, licet etiam admoniti, non audiunt; quin et de continentia verba facientes, ac de ea merito legentes, a turpi passione tamen non recedunt.

IV. Idcirco necessarium est novitiis religiosis, ut rarissime de cogitationibus secretis inter se conferant, atque confabulentur. Quoniam ipsa recordatio rei, motum, qui non erat, generat, sordes menti concilians, et paulatim ad passiones eam resuscitans. Oportet autem sanctos et probatos senes, ejusmodi cogitationes execrari. Nam intem-

peranti libidine victi, frequenter cum de pudicitia disserere incipiunt, animum ad dissolutionem, et exterminationem ejusce virtutis appellunt. Quapropter pœnitentiam agere volentem, fortiter apprehendere oportebit pudicam cogitationem, et carnem castigare per exercitia bona, et de improbis ac turpibus rebus cogitationem assidua Dei recordatione amoliri. In hoc siquidem mens nostra divina repletur gratia; eademque inhabitans, ac prædominans gratia, cunctos inimicos ingredi volentes impedit, aditum iis præcludens. Oportet igitur ante oculos suam imbecillitatem constituentes, lubricitatem mentis, ac cogitationis diligenter ab omni conversatione noxia custodire, ne et sub piæ cogitationis prætextu laqueum suæ animæ injiciant. Novit quippe adversarius noster ejusmodi allegare atque inferre; ait enim : « Ne puerulus orphanus, aut pupilla pereat, adjuva. Versare cum vidua labore ærumnaque jam confecta; » ut per hæc nos amatores interim efficiat earum rerum, quarum operationem perficere sine reprehensione ac scelere non possumus.

V. Quocirca provide in timore Dei nos exerceamus, et quietem in Domino totis viribus consectemur oportet, manifeste scientes nullum in damno animæ lucrum reperiri. Audiamus itaque ipsum Apostolum dicentem : « Cum » metu, et tremore vestram salutem operamini [1]. » Et neque, si quis adhuc juvenis sit, hoc parvipendat; neque senex negligat; utriusque enim incertus est finis. Contemplemur autem agricolas; hi enim terram adæquantes, seminant, et quæ seminaverint virescentibus terris solerter servant, volucres ac quadrupedia inde arcentes : ne, dum adhuc semen est tenerum ac molle, a talibus evellatur, et nullius bonæ frugis reddatur. Et quando jam ad messem excreverit, nec tunc quidem cura ac sollicitudine vacant;

[1] Philip. II, 12.

sed anxii hærent, ne forte grandine fruges concutiantur, ac locustæ messem devorent, aut ventus æstuans fructum corrumpat. Unde et assidue vota Deo nuncupant, supplicibusque Deum vocibus interpellant, ut salvos, et innocuos ipsis Dominus suos fructus concedere dignetur. Tunc vero fructus in sua recondentes horrea, magno cum gaudio festum celebrant. Sic quoque et eos, qui spiritalem vitam aggrediuntur, vigilare, et sobrios esse, ac divini verbi semen custodire oportet, et a scopo divini amoris non deflectere, donec fructum Domino perfectum obtulerint, corpusque in tumulo reconditum fuerit. Tunc enim certus erit fructus, et in securitate multa, neque furto abripi poterit amplius. Concedat autem nobis Dominus fructus gratos et acceptabiles præstare sibi, ut misericordiam coram ipso inveniamus in die illa horribili atque tremenda, quando illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium [1]. Cui gloria, atque magnificentia, et laudatio in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

De continentia, ac de non æmulandis peccatoribus, qui se temporis prætextu excusant, et in Noë.

Sed quoniam nonnulli a maligno dracone capiuntur errantes, quod Scripturas non intelligant, neque ad cognitionis illuminationem accedunt, ait enim Dominus : « Erratis » nescientes Scripturas, neque virtutem Dei [2]. » Atqui novimus quali tempore Noë placuerit Deo sicut scriptum est : « Videns autem Dominus Deus quod multa malitia homi» num esset in terra, et unusquisque cogitaret diligenter in

[1] 1 Cor. IV, 5. — [2] Matth. XXII, 29, et Marc. XII, 24.

» corde suo super maligna cunctis diebus, pœnituit eum » quod hominem fecisset in terra [1]. » Et post alia dicit : « Noë » vero invenit gratiam coram Domino Deo [2]. » Rursusque ait : « Deo placuit Noë [3]. » Et quali in tempore placuerit designat : « Corrupta, inquit, coram Deo, et repleta est » terra iniquitate. Cumque vidisset Deus terram esse cor» ruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super » terram, dixit ad Noë : Finis universæ carnis venit uni» versæ carnis venit coram me : repleta est terra iniquitate » ab ipsis : et ecce ego disperdam eos cum terra [4]. » Cæterum Justus hic mala illa contemplans, peccatores quidem luxit, se autem magis in voluntate Creatoris confirmavit. Unde et a divina laudatur Scriptura, de eo sic perhibente : « Noë autem vir justus perfectus existens in generatione » sua, Deo placuit Noë [5]. » Hinc etiam, diluvio superveniente, Justus salvatus est, impii vero demersi.

SERMO.

De patientia.

I. Qui Deo placere cupit, ejusque hæres per fidem evadere, ut et ipse filius Dei appelletur ex Spiritu sancto genitus, ante omnia longanimitatem apprehendens ac patientiam, debet fortiter obvias quasque sufferre tribulationes, angustias atque necessitates, sive corporales morbos ac passiones, sive improperia atque injurias ab hominibus, sive etiam diversas invisibiles anxietates, quæ a spiritibus malignis inferuntur animæ, ad impediendam illam, quominus ingrediatur ad vitam, inducere quoque eam cupien-

[1] Gen. vi, 5, 6. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 11-13. — [5] Ibid. 9, et Eccli. xliv, 17.

tibus in omnem relaxationem atque mollitiem, negligentiam, ac dejectionem animi, oblivionemque sui, pro ratione divinæ dispensationis permittentis singulas animas variis probari tribulationibus atque pressuris, ut appareant qui toto corde et anima Deum diligunt, quique in omnibus, quæ a maligno inferuntur, strenuos in perferendo se præbent, nec spem in Deum abjiciunt; verum semper redemptionem per gratiam in fide ac patientia multa expectantes; quamobrem etiam ab omni se tentatione expedire poterunt; atque ita promissionem adepti, cœlesti regno digni redduntur. Debet igitur anima sermonem Domini sequens atque amplectens, crucem ejus ferre quotidie, sicut scriptum est: « Qui non accipit crucem suam, et venit post me, non » poterit esse meus Discipulus [1]. » Hoc est paratum esse ad sufferendum amore Christi tribulationem ac tentationem quamcumque, sive manifestam sive occultam, et spe a Deo semper aptum esse atque pendere : quoniam in ejus potestate est, ut affligatur anima, si permittatur ab eo, et ut omni tentatione atque angustia per eum liberetur. Si porro fortiter strenueque non perfert, sustinendo quamlibet tentationem ac tribulationem; verum tristatur ac tædio afficitur, indignatur et angitur, parumque de certamine laborat, vel etiam desperat, quasi non sit unquam liberanda, quod ipsum etiam malitiæ ipsius est inventum ac artificium, in socordiam atque ignaviam pusillanimitatemque conjicientis animam et spei compotem non effectam, qua semper misericordiam expectet Domini in fide certa nihilque hæsitante. Cujusmodi quidem anima vitam in futuro non promeretur, quoniam cunctorum se Sanctorum sequacem non præbuit, neque Domini vestigia est persecuta.

II. Considera ac cerne quo pacto ab initio Patres, Pa-

[1] Matth. x, 38. Marc. VIII, 34, et Luc. IX, 24.

triarchæ, Prophetæ, et Apostoli, ac Matyres per tribulationum atque tentationum vias pertranseuntes, ita potuerint placere Deo; qui fortiter quamcumque perferentes tentationem atque tribulationem, etiam inter angustias gavisi sunt, propter spem retributionis mercedis, quæ expectatur, sicut ait Scriptura : « Fili, accedens ad » servitutem Domini, præpara animam tuam ad tenta- » tiones, dirige cor tuum et sustine [1]. » Rursusque Apostolus dicit : « Quod si extra disciplinam estis, cujus participes » facti sunt omnes : ergo adulterini, et non filii estis [2]. » Alibique iterum : « Omnia quæ super inferuntur tibi, tan- » quam bona amplectere, sciens absque Deo nihil fieri. » Aitque Dominus : « Beati estis, cum maledixerint vobis, et » persecuti vos fuerint, et dixerint omne verbum malum » adversum vos, mentientes, propter me : gaudete et exul- » tate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis [3]. » Et illud : « Beati, qui persecutionem patiuntur propter justi- » tiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [4]. » Patiuntur vero persecutionem, sive palam ab hominibus, sive occulte a spiritibus malignis, quippe qui animam Deum amantem atque inquirentem oppugnant, ac in varias angustias conjiciunt, ad impediendum quominus in vitam ingrediantur : et simul quoque ut probentur, an vere Deum diligant, perferendo quamcumque tribulationem, et spem in finem usque retinendo, liberationemque in fide se accepturos sperantes : an contra, per impatientiam sese contrahens inter ærumnas, ac tædio affecta, parvipendens spe orbatam se esse præ se ferat, nec vere diligere Deum. Diversæ porro ærumnæ atque tribulationes, tentationesque demonstrant, quæ animæ dignæ sint, quæque indignæ : et quæ fidem ac spem et patientiam habeant, quæque non ha-

[1] Eccli. II, 1, 2. — [2] Hebr. XII, 8. — [3] Matth. V, 11, 12. — [4] Ibid. 10.

beant : ut ubi patuerit eas in omnibus probatas, fideles, dignasque animas esse, quæque ad fidem usque pertulerint, ac fidei spem obtinuerint, atque ita per gratiam liberatæ sint, merito regni hæredes efficiantur.

III. Patientiam igitur, et spem cum primis unaquæque anima Deo placere cupiens, fortiter teneat : sicque omnem maligni impetum ac tribulationem perrumpere et effugere poterit. Neque enim usque adeo Deus animam in ipsum sperantem, ipsumque sustinentem tentari permittit, ut tædio vincatur, et opprimatur malis, totaque tentationibus et angustiis obruatur, quas sufferre nequeat. Nam, ut Apostolus ait : « Fidelis Deus est, qui non patietur nos » tentari ; sed faciet, cum tentatione proventum, ut possi» mus sustinere [1]. » Non enim quantum vult malignus, tentat affligitque animam ; sed quantum ipsi a Deo permittitur. Solum anima, viriliter perferendo, spem teneat, quæ est in fide, auxilium atque præsidium ab ipso expectans, et fieri non poterit ut derelinquatur. Sed quantum illa contendit ad Deum, spe ac fide confugiens, et ab illo opem ac præsidium, liberationemque sine hæsitatione expectans ; tanto eam celerius Dominus ab omni circumstante molestia liberat. Novit quippe ipse quantam subire possit probationem atque tentationem anima, et tantam quoque permittit : modo ipsa toleret ad finem usque, ac non confundatur : sicut dictum est : « Tribulatio patientiam ope» ratur, patientia autem probationem, probatio vero spem, » spes autem non confundit [2]. » Rursusque alibi : « Sicut » Dei ministri, in multa patientia, in tribulationibus, in ne» cessitatibus, in angustiis [3], » et quæ sequuntur. Aitque Dominus : « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic » salvus erit [4]. » Et denuo : « In patientia vestra, possidebi-

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Rom. v, 3-5. — [3] 2 Cor. vi, 4. — [4] Matth. x, 22.

»tis animas vestras [1]. » Alibique dicit : « Quis speravit in »Domino, et confusus est? aut quis permansit in mandatis »ejus, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et des-»pexit illum [2]? » Si enim homines exiguo intellectu ac mente præditi, probare et discernere norunt, quantum pondus atque onus singula ferre queant animalia, veluti mulus, aut camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerent. Et figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, ut igne probata solida ac dura reddantur, humanis usibus servire nequeunt : novit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec utilia efficiantur; neque contra, ultra quam sit opus, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur. Neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quam necesse sit, ne dissolvantur, nullique sint usui. Si, inquam, in rebus corruptibilibus et apparentibus, tanta consideratione atque cognitione præditi sunt homines, quanto magis Deus, qui incomprehensibilis est,et ineffabilis scientia et intellectu, totusque sapientia plenus, novit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamque æternam consequi desiderantes; sicque fortiter, prompteque omnem in spe tribulationem perferentes, ad finem usque. Tuncque probati, et apti regno cœlorum redduntur.

IV. Quemadmodum enim cannabi ac lini species non est idonea, ut ex eo fila subtilissima fiant, nisi diutius elaboretur atque exerceatur, imo quanto magis illud torquetur, tanto purius aptiusque efficitur : sic et anima Deo devota, multas probationes atque tentationes subiens, afflictionesque fortiter tolerans, purior utiliorque ad spiritale extenuationis et humilitatis opificium redditur, tandemque cœlestis regni regionem possidere meretur. Quemadmodum

[1] Luc. xx, 19. — [2] Eccli. II, 11, 12.

enim vas recens confectum, igneque non probatum, humanis inidoneum est usibus; aut sicut infans ad res mundi tractandas ineptus; est cum neque urbes condere, neque plantare possit, neque semen deponere, neque quodcumque aliud mundi opus perficere, infans enim est : ita etiam animæ, quæ divinæ gratiæ sunt effectæ participes, propter infantiam suam a Domini benignitate tolerantur in dulcedine, ac requiete spiritus, nec dum variis probatæ tentationibus ac tribulationibus a nequam spiritibus, per quas patientia demonstratur, sunt adhuc infantes, atque, ut ita dicam, nondum idoneæ ad regnum, cum nondum sint exercitatæ, ut dictum est : « Si vero extra dis» ciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo » adulterini, et non filii estis [1]. » Itaque tribulationes atque tentationes homini conducunt, animamque probatam ac firmam efficiunt; si generose alacriterque in divina confidentia ac spe, qualiacumque ingruentia toleret, fide non vacillante redemptionem et misericordiam a Domino expectans. Sicque impossibile erit ipsam spiritus promissione, liberationeque a vitiosis passionibus frustrari, quin mereatur tanquam probata atque fidelis spem in Domino habere, et in finem usque patientiam retinere.

V. Quemadmodum enim sancti Martyres multa tormenta palam sustinuerunt, et ad mortem usque suam in Dominum spem, bonamque confessionem servarunt; sicque probati coronas justitiæ accipere promeruerunt. Qui autem plura ac graviora sustinuerint tormenta, abundantiorem etiam gloriam, ac in Deum fiduciam obtinuerunt. Quicumque vero a fide recesserunt, pertimescentes flagella atque tribulationes, nec permanserunt in præclara confessione usque ad finem, ii dicendi libertate destituti, et hic et in judicii die confusi cernentur. Ad eumdem modum et animæ

[1] Hebr. XII, 8.

tribulationibus traditæ, ut a spiritibus probentur nequitiæ, invisibiliter et diversis modis cruciatæ, sive occulte inter labores atque molestias tribulationum, improbasve cogitationes, sive manifeste inter corporales perturbationes, fortiter perferunt, ac spem retinent, mercedisque a Domino retributionem expectantes, justitiæ coronas promerentur, eamdem intus redemptionem accipientes, eamdemque cum sanctis Martyribus loquendi fiduciam in Domino reperient in die judicii. Idem enim martyrium tribulationum, quod illi per crucem, hi per spiritus pertulerunt nequitiæ, qui eos agitabant. Quantoque plures a maligno pressuras atque insultus perferunt, bona in finem usque spe suffulti, tanto abundantiorem in Deo gloriam comparant. Et hinc quidem secundum spem expectationis eorum liberabuntur, sanctique Spiritus consolationem promerebuntur: inde vero æternorum bonorum, cœlestisque regni hæreditatem acquirent. Quæ vero animæ metu atque timore perculsæ, afflictiones ejusmodi subterfugerint, seque negligentiæ, et impatientiæ dederint, ac in desperationem conjecerint, recedentes a via recta, et misericordiam Domini in finem non expectaverint; qua, quæso, ratione tales animæ tanquam reprobæ compertæ, vitam consequi æternam poterunt? Nam usque ad mortem quævis anima debet propter Dominum pro nobis mortuum, loganimem se ac patientem exhibere, suamque in eum spem defigere ac retinere, et sic vitam atque salutem promereri sempiternam.

VI. Nam qui perfecte cupiunt æternæ gehennæ supplicia, quæ peccatores manent, evadere, cœlestique regno perfrui; tribulationes æternæ hic gehennæ, per tentationes, quæ a maligno inferuntur, semper sustinent: sique in finem usque sustinuerint, misericordiam Domini in fide expectantes, a tentationibus, ac tribulationibus, atque angustiis per gra-

tiam liberabuntur; intusque communicatione sancti Spiritus digni reddentur, et illic æternam effugient gehennam, æternumque regnum Domini hæreditate possidebunt. Talem quippe Dominus constituit viam, quæ ducit ad vitam, angustam scilicet et arctam, sicut scriptum est; ideo et pauci ingrediuntur per eam [1].

VII. Ejusmodi ergo spe nobis proposita, talibusque promissionibus ultro a veraci Deo oblatis, quemcumque impetum atque afflictionem improbi hostis fortiter toleremus, ob spem nobis repositam in cœlis. Quantascumque enim ærumnas propter Dominum perferamus, quid æquivalens sustinemus, sive ad futuram nobis repromissam vitam æternam respiciamus, sive ad supernam, quæ sustinentibus contingit animabus, Spiritus sancti consolationem; sive ad liberationem ex tenebris improbitatis et ad debitorum remissionem pro multitudine nostrorum peccatorum, sicut dictum est: « Dum judicamur autem, a Do» mino corripimur, ut non cum mundo damnemur [2]. » Ac rursus: « Non enim sunt condignæ passiones hujus » temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [3]. » Præbeamus ergo nos veluti milites strenuos, pro rege nostro prompte alacriterque mortem oppetentes. Cum enim adhuc in sæculo versaremur, quando adhuc rebus implicabamur humanis, non patiebamur ejusmodi. Neque tales sustinebamus ærumnas: verum nunc quando advenimus studio melius complacendi Domino, hujuscemodi in nos maligni spiritus excitantur incursiones, tentationes, ac tribulationes. Vides ergo nos ista omnia propter Dominum perpeti: invidente nobis maligno, atque conante pervertere, aut potius a via vitæ avertere, et in relaxationem atque negligentiam nos inducere, ne serviendo ac complacendo Deo, salvemur. Quantum itaque

[1] Matth. VII, 14. — [2] 1 Cor. XI, 32. — [3] Rom. VIII, 18.

in nos malignus insurgit, tantum nos in patientia inveniamur viriles ac strenui, prompti atque alacres, paratos nos exhibentes ad tolerandum usque ad mortem, propter spem in Christum, sicque omnes ipsius insidiæ mox dissolventur. Pro defensore enim ac propugnatore nostro habemus Christum, qui tribulatis nobis atque oppressis, in ipsumque sperantibus, patientiam præbet, illosque confundit, nobis interim laborum præmia, hoc est, regnum cœlorum per Dominum reportantibus. Simus ergo tanquam incudes quædam ; quamvis cædamur, non tamen cedamus, neque notas in nobis admittamus relaxationis, aut negligentiæ, atque desidiæ, per flagella et tentationes. Cæsi vincamus in lucta adversarium per patientiam. Sic namque Dominus noster hoc vitæ certamen transegit, flagellatus, contumeliis atque injuriis affectus, persecutiones passus, delusus, consputatus, extremo et infami supplicio crucis affectus ab impiis, omniaque propter nostram sustinuit salutem, nobis vitæ relinquens monumentum atque exemplum, ut qua ipse via tribulationum, tentationum, mortisque ambulavit ; eadem et illi via, qui in ipsum vere credunt, cohæredesque ipsius effici cupientes incedant. Ut quemadmodum ipse per multas passiones, postremo autem in cruce moriens, vicit crucifixus, moriensque peremit, ac condemnavit peccatum, per carnem adversarias potestates destruens atque evacuans, sicut scriptum habetur : « Expo» lians principatus et potestates in cruce, traduxit palam, » triumphans illos in semetipso[1]. » Sic et nos, si omnem impulsum molestiamque inimici fortiter alacriterque etiam ad mortem usque pertulerimus, tunc adversarium per fidem atque patientiam, et spem in Dominum, superabimus. Sicque probati reperti, et hic eamdem promerebimur redemptionem, sanctique Spiritus sanctificatione replebi-

[1] Coloss. II, 15.

mur, et sempiternam ibi vitam hæreditate obtinebimus. Nam in certamine spiritali, victoria contra adversarium per passiones et mortem paratur. Patiendo igitur ac moriendo propter Dominum, alacriter adversarium vincamus.

VIII. Ideo quamcumque tribulationem atque tentationem ingruentem, nequaquam laboriosam duramque putetis, sed opportunum potius omnem inimici impetum perferendum ducatis, mortem Domini cum desiderio semper ante oculos statuentes. Et sicut dictum est a Domino : « Quotidie tollentes crucem ejus quæ est mors, sequamur » ipsum [1] : » sicque facile quamcumque sufferemus tribulationem, sive occultam, sive manifestam. Si enim mortem, pro Domino subire expectamus, et ob oculos constituentes, semper concupiscimus; quanto magis qualescumque, tribulationes graves atque molestas, opportune facileque cum gaudio sustinebimus? Idcirco enim graves nobis atque molestæ, intolerabilesque tribulationes videntur, quod mortem Domini ob oculos semper positam non habemus, et in ipso mens nostra omni tempore cum desiderio non sit defixa. Qui enim Christum possidere desiderat, etiam pro ipso pati congruum est ut concupiscat. Itaque Christi amatores in hoc ostenduntur, quando adversitatem quamcumque ipsis ingruentem, strenue prompteque ob spem in Deum perferunt. Proinde Dominum obsecremus, ut nobis intellectum præbeat, ad cognoscendam voluntatem ipsius, eamque alacriter perficiendam in omni patientia ac longanimitate, cum gaudio, quod ipse nobis largiatur confirmans nos in omni beneplacito suo : ut probati eoque digni reperti, æternam consequamur salutem, in Christo Jesu Domino nostro. Cui gloria et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

IX. Qua igitur in re gloriabuntur negligentes, desides,

[1] Matth. x, 38. Marc. viii, 34, et Luc. ix, 24.

et qui cuncta velut adiaphora contemnunt? in sua videlicet desidia, negligentia, et interitu. Væ ipsis, quoniam negligentes fuerunt.

X. Venite, dilectissimi, satagamus. Venite, procidamus ei. Lugeamus et ploremus coram ipso sine pudore, ut animæ illustrationem nobis largiatur. Intelligite dolos ac fraudes inimici nostri, adversarii, bonorumque osoris, quoniam ponit ob oculos nostros, lapsus, scandala, multarum divitiarum detrimenta, sæculi hujus jactantiam, carnalem voluptatem, longævam præsentis vitæ expectationem, ascetici instituti horrorem, in precibus negligentiam, in psalmodia somnolentiam, et corporalem requiem. Quantum ille satagit, tantum nos desides sumus et negligimus: quo majores nobis tendit insidias, eo magis despicimus, scientes quod dies nostri breviati sunt, et tempus advenit, et Dominus gloriæ venit cum magnificentia pulchritudinis suæ, et cum tremendis regni sui virtutibus, ut reddat unicuique secundum opera, ejus. Timeo, fratres, ne impleatur in nobis verbum Domini dicentis : « Venient ab Oriente, » et Occidente, et Aquilone, et mari, et recumbent cum » Abraham et Isaac in regno cœlorum ; vos autem ejiciemini » foras [1]. »

XI. Rogo te, lux veritatis Christe, germen benedicti Patris, imago et splendor substantiæ ejus, qui sedes a dextris majestatis ejus, incomprehensibilis Fili, et investigabilis Christe, et imperscrutabilis Deus, gloria et gaudium diligentium te, vita mea, Christe, salvum fac me peccatorem in regno tuo, et ne retribuas mihi secundum opera mea; sed salvum me fac per gratiam tuam, et miserere mei secundum miserationes tuas : quoniam tu es benedictus et laudabilis in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. VIII, 11, 12.

SERMO I.

De contemptu vanitatum.

In sæculari vita qui exornat corpus suum, et vestibus variis induit, humanam gloriam habet : in hac vero professione, qui hæc despicit, quæritque solam necessitatem corporis, gloriam sibi vindicat in cœlis, juxta eum, qui dicit : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus [1]. » Serviamus igitur libenter, atque hilariter Deo, qui nos liberavit ; fugiamusque illeceberas pravarum affectionum corruptionis, et avertamus mentem a vestimentorum, aut cuculli, aut cinguli pulchritudine, aut etiam scapularis elegantia. Verum humilia sectemur, atque a gloria aliena, sicut decet sanctos. In amictu vestium non exultabis, memor Eliæ melotæ, et sacci Isaïæ, sicut scriptum est : « Vade, et solve » saccum de lumbis tùis, et calceamenta tolle de pedibus » tuis [2]. » Neque obliviscere Baptistæ amiculum. Ne igitur propter splendidam vestem spectabilem te præbeas, sed per bona opera luceat lux tua coram omnibus, ut glorificetur Dominus.

SERMO II.

De contemptu vanitatum.

I. Fratres, si quando nos ob bonum opus conviciis appeti contingat, ne pudeat nos convicii ab hominibus injuste in nos illati, neque faciamus quæ non licent. Scriptum est enim : « Populus meus, cujus nomen meum

[1] 1 Tim. VI, 8. — [2] Isaï. XX, 2.

» in corde vestro, nolite timere opprobrium hominum, et » irrisione eorum nolite vinci : sicut enim vestimentum ve» terascet a tempore, et sicut lana comedetur a tinea : justi» tia vero manet in æternum, et salutare tuum in generatio» nes generationum [1]. » Et rursus ait : « Ego non sum » contumax, neque contradico, dorsum meum dedi in » flagella, et maxillas meas in alapas, et faciem meam non » averti a pudore sputorum [2]. » Et « Dominus factus est ad» jutor meus. Propterea non sum confusus, sed posui » faciem meam, ut solidam petram, et cognovi quia non » erubescam [3]. » Quapropter et nos, dilectissimi, quamvis afficiamur injuriis, atque illudamur, aut aliud quid gravius patiamur ab hominibus propter bonitatem, ne timeamus, neque derelinquamus rectam viam, jux Prophetam dicentem : « Si consistant adversus me castra, non timebit cor » meum [4]. » Et rursus : « Superbi inique agebant usquequa» que : a lege autem tua non declinavi [5]. » Et in alio : « Propter te sustinui opprobrium : operuit confusio faciem » meam [6]. » Dicit enim Salvator : « Beati estis cum expro» braverint vos, et persecuti fuerint [7], et reliqua.

II. Ne igitur erubescamus, dilectissimi, vocari hypocritæ a contemnentibus præcepta Domini. Manifestum est enim non ad correctionem nostram mentionem hypocrisis facere, sed ut verentes eorum opprobria, errorem amplectamur. Ignorantibus enim mors occurrit secundum Scripturam. Ait enim in alio loco : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum [8]. » Et iterum : « Exprobramini in nomine Dei, beati, quoniam quod est » gloriæ, et quod est Spiritus super vos requiescet. Nemo » vestrum enim patiatur ut homicida, aut fur : si autem ut

[1] Isaï, LI, 7, 8. — [2] Id. L, 5, 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Psal. XXVI, 3. — [5] Id. CXVIII, 51. — [6] Id. LXVIII. 8. — [7] Math. V, 11.— [8] 1 Joan III, 21.

» Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto » nomine. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator » ubi parebunt [1]? » Fugiamus igitur audaciam, et risum. Hæc enim animam monachi pervertunt. Ideo dicit : « Beatus vir, qui expuit omnia propter pietatem. » Et scurriles homines, atque negligentes aversemur. « Quæ enim pars, » inquit, fideli cum infideli, aut quæ conventio Christi ad » Belial [2]? » Dixit abbas Joannes Pusillus discipulo suo : « Fili, honoremus unum, et omnes honorabunt nos. Si » enim unum spreverimus, qui est Deus, spernent omnes » nos, et in perditionem imus. »

III. Narrabat quidam Patrum de Theodoro abbate Phermæ : « Adivi quondam ad eum sub vesperam æstatis tempore, et inveni eum amictum colobio lineo sine manicis, et pectus ejus nudatum, illiusque cucullum e regione positum, et disserentibus nobis, ecce quidam comes venit ad eum visendum. Et ut pulsavit, exivit senex, ut aperiret; cumque illi obviam ivisset, sedit ad januam cum eo, qui venerat, cumque eo loquebatur. Ipse vero accepi commamophorium, atque ejus humeros texi. Senex autem manu arripiens illud abjecit. Utque abiit comes : « Abbas, ei dixi, quare id fecisti? Venit homo, ut proficeret, non ut acciperet scandalum. » At senex respondit : « Quid mihi loqueris, Abbas? Omnino hominibus servire debemus; fecimus quos opus erat, et abiit. Qui vult igitur juvari, adjuvetur, et qui vult scandalum accipere, accipiat. Ego vero sicut inventus fuero, sic obviam ibo. » Mandavit etiam discipulo suo, ut si quis veniret, velletque videre senem, ne dicas ad eum quidpiam humanum, aut falsum prolatum ad placendum hominibus : verum si comedat senex, dicas venienti eum comedere, et si dormit, eum dormire nunties. Adeo supra modum humanam gloriam odio habuit senex.

[1] 1 Petr. IV, 14-16 et 18. — [2] 1 Cor. VI, 15.

At nos utpote infirmiadmirabilem hunc senis agendi modum perfecte imitari non possumus, et placendi hominibus desiderium ita conculcare, sed saltem ab his, quibus ipsam conscientiam fœdamus, abhorreamus; nec, ut placeamus hominibus, fiamus Dei inimici.

SERMO.

De discussione conscientiæ.

I. Mercatores sumus spirituales, fratres, et sæcularibus negotiatoribus similes. Singulis diebus computat mercator lucrum, ac damnum; ac si detrimentum passus est, studet, et satagit, quo pacto illud resarciat, Eodem modo etiam tu, dilectissime, per singulos dies, et vespere, et mane diligenter recogita, quomodo tuam negotiationem gesseris : vespere autem tuum cor ingrediens, cogita, ac dic intra te : « Num in aliqua re Deum exacerbavi? Num otiosum verbum locutus sum ? num vexavi, num fratrem meum offendi ? Num alicui detraxi? Numquid os meum Psalmos cecinit, mens vero mea mundanis imaginibus detinebatur ? Carnalis-ne cupido me incessit, et cum delectatione excepi? Num terrenis curis victus cessi ? » Si in his damno affectus fuisti, stude ea reparare suspirando, lugendo, ne in eisdem pœna afficiaris. Ac prima luce exoriente, iterum ea meditare, et dicito : « Quomodo transivit hæc nox ? Cum lucro in ipsa negotiatus sum ? Vigilavit-ne mens mea cum corpore ? lacrymas fuderunt oculi mei ? flexis-ne genibus somno captus sum? pravæ-ne cogitationes in me inciderunt, et cum voluptate eas mente revolvi ? » Si in his victus fuisti, cura adhibere medicinam, et custodem constitue in corde tuo, ne eadem patiaris. Si

ita eris sollicitus, tuam mercaturam servabis, atque hoc modo Domino tuo placebis, illique cum utilitate inservies.

II. Fratres, si quis vestrum præoccupatus fuerit sordidis, fœdisque cogitationibus, ne se negligendo dedat desperationi, sed ponat cor suum ante Deum, et gemens cum lacrymis dicat : « Exurge Domine, et intende judicio meo. » Deus meus, et Dominus meus in causam meam : judica » me secundum justitiam tuam, Domine [1] : Opus manuum » tuarum sum ego : quare me dereliquisti, et despexisti me, » et quare avertis faciem tuam a me, et oblivisceris humi- » litatem meam [2]? Quia persecutus est inimicus animam » meam, humiliavit in terra vitam meam [3]. Infixus sum in » limo profundi, et non est substantia [4]. Suscipiat me ma- » nus tua, ne peream. » Si sic perseveraveris, atque invocaveris eum, statim benigne gratiam suam emittens in cor tuum, consolabitur te ab aspero, ac laborioso certamine. Ne igitur negligentes simus, ne pigri, hujusmodi Dominum misericordem habentes. Quandiu enim hic sumus, et miseretur, et salvos facit, nostrasque iniquitates dimittit. Quis non mirabitur, quod per lacrymas horæ brevissimæ, et in ipsa quidem hora undecima, innumera delicta condonat, atque innumera nostra vulnera sanat, et medendo rursus lacrymarum mercedem largitur? Hic enim est mos gratiæ illius, postquam sanitatem reddidit, mercedem superaddit. Curemus igitur, fratres, sanitatem recipere; hic enim miseretur, et misericordiam largitur per suam gratiam; ibi vero non amplius : sed justum judicium, et vindicta, et retributio erit rerum gestarum. Ibi misericors Abraham, durus atque immitis fuit diviti; et qui pro Sodomis deprecatus fuit, ibi pro uno peccatore non intercedit, ut misericordiam consequatur. Minime igitur mens nos-

[1] Psal. XXXIV, 23, 24. — [2] Id. XLIII, 24. — [3] Id, CXLII, 3. — [4] Id. LXVIII, 3.

tra cum terrenis rebus implicetur, sed curemus sanctorum Patrum imitatores fieri. Ne subducamus nos a gubernatione ipsius, ne illius gloria privemur; verum annitamur ut cum perfectis coronam accipiamus : si minime cum perfectis, saltem cum postremis, ut laudem consequamur.

SERMO I.

De jejunio.

I. Esto studiosus paupertatis Christi, ut in cœlesti patria ejus Divinitate diteris. Appeti optimum jejunium, rem pretiosam atque spectabilem. Jejunium vehiculum est ad cœlum. Jejunium Prophetas suscitat; legislatores sapientiam docet. Jejunium, bona animæ custodia, et corporis securus cohabitator. Jejunium strenuis militibus telum, athletisque exercitium. Jejunium tentationes retundit, ad pietatem inungit. Sobrietatis comes, temperatiæ opifex. Jejunium fortitudo viri est in bellis. Jejunium ignis virtutem extinxit. Jejunium ora leonum obturavit. Jejunium orationes in cœlum dirigit. Jejunium mater sanitatis. Jejunium juventutis disciplina, ornamentum senibus, optimus itineris comes viatoribus. Jejunantis corpus venustum est et anima pretiosa.

II. Jejunium Lazarum in sinu Abrahæ refecit. Hoc igitur et nos amplectamur, ut nos quoque Abrahæ sinu excipiamur. Fugiamus delicias, et multo risu redundantem ebrietatem, fornicationis matrem; ebrietas Dominum respuit, ebrietas Spiritum sanctum repellit. Jejunium bona civitatis lex, forique moderatio atque tranquillitas. Jejunium domestica pax est. Jejunium virginitatis adminiculum,

atque præsidium. Jejunium pœnitentiæ vita, jejunium lacrymarum opifex. Jejunium non sectatur mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Caveamus igitur male agere, cum jejunamus : siquidem Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias describunt jejunantium nomina. Jejunium injuriarum recordationem non admittit. Quoniam qui molestias ac dolores, injuriasque sibi illatas retinent, quamvis videantur orare, et jejunare, similes sunt iis, qui aquam exhauriunt, et in dolium pertusum infundunt. Non enim oratio malum in corde adversus proximum suum cogitantis, grata est Domino. Cui sit honor, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De jejunio.

I. Tandem aliquando, fratres charissimi, tempus ad salutem adipiscendam opportunissimum nacti sumus. Neque enim pretiosiora nobis ad agendum momenta objici uspiam poterant, quam tempus hoc salutare, quo summus princeps Deus facillimum se in hominibus audiendis admittendisque præbet.

II. Opus est igitur majori quadam animi alacritate. Servandum enim nobis debita cum puritate jejunium proponitur, cum quo cœlestis beatitudo, tanquam divinæ erga nos benevolentiæ pignus, nobis offertur.

III. Quare agite, fratres, oblata divinitus opportunitate utamur. Absit ut abstinentiam fastidiamus, quæ etsi durior alicui fortasse nostrum prima fronte videatur, jucundissima tamen iis est, qui cum eam læto semel animo sus-

ceperint, eamdem libenter servant et fideliter, et constanter. In hisce igitur saluberrimis abstinentiæ undis, mentis corporisque detersa illuvie, misericordiam ab optimo clementiæ Patre quæramus, qui sponte rectis jejunantium votis occurrit. Jejunis enim fidelibus cœli fores panduntur, quibus etiam ex terrena humilitate erectis, quæ sursum sunt, attingere licet.

IV. Angeli beatique omnes nos jejunio deditos intuentur, et de nostra sobrietate mirifice gaudent, qua nimirum digni efficimur, qui fraterna eisdem necessitudine copulemur. Imo vero ipse Christus in hoc admodum delectatur, et quasi voluptate quadam perfunditur, dummodo fidei, spei, charitatisque virtutibus temperantia eluceat.

V. Nec mirum vero, si Prophetæ, Apostoli, omnisque Sanctorum virorum cœtus de jejunio lætantur nostro, quippe qui ipsius gratia plurima sæpe opera gloriosissime et magnificentissime confecerunt.

VI. Quod ut exemplo manifestius appareat, jejunium coluit Moyses, qui propterea infinita pene prodigia gessit, et ipsummet Deum facie ad faciem conspicere promeruit. Jejunium Elias coluit, et dignus habitus est, qui igneo in cœlum curru veheretur. Coluit et Daniel, eamque sanctitatis famam adeptus est, ut eumdem leones ipsi reveriti fuerint. Coluerunt tres pueri, et ignis impetum in suavissimam auram immutatum senserunt.

VII. Jejunium pariter mira quadam voluptate Prophetæ susceperunt, quorum nonnulli quadraginta dierum spatio nihil prorsus cibi sumpsere.

VIII. Hujusmodi consuetudo familiarissima etiam Apostolis fuit, præcipue dum ad evangelicæ veritatis lucem promulgandam terrarum regiones perlustrabant. Quid plura? Divinus ipse Præceptor asperrimum jejunium sus-

tinuit, ut exemplo magis, quam verbo de hujuscemodi virtutis præstantia commoneremur.

IX. Tot nunc præclaris testimoniis monumentisque convicti carnis arrogantiam abstinentia coërceamus, hoc in animo fixum habentes nulli fas esse beatitudinem sperare, quin omnem vitæ suæ cursum in labore corporis, atque in animi contentione confecerit.

X. Qua de re jejunium amplectantur sacerdotes, id sibi potissimum caventes, ne, dum corpori escam subtrahunt, quid de sacrorum religione imminuant. Amplectantur diaconi, ut sacri altaris ministerio fructuosius deserviant. Amplectantur senes quantumlibet imbecilli, quos si forte ab inediæ asperitate provectæ ætatis infirmitas dissuaderet, ipsos ad eamdem præteritæ vitæ recordatio sollicitet. Amplectantur cum conjugibus viri, ut ipsorum thalami omni turpitudinis infamia careant. Hoc præstent virgines, ut, adveniente æterni luminis Sponso, ad nuptias plenas dignitatis, plenas concordiæ admittantur. Hoc idem præstent genitores, Deum pie pro suis liberis obtestantes. Hoc florens juventus, hoc pubescens adolescentia delectetur; sic enim progrediente sensim ætate, vitæ occasum placidissime attingent. Hoc divites, ut hinc discant suas miseris atque egentibus facultates erogare. Hoc inopes, ut Deus ipsorum mendicitatem sublevet. Hoc liberi propriis parentibus orbati, ut Deus ipsis se Patrem amantissimum præbeat. Hoc viduæ, Christum assidue orantes, ne miseras virorum præsidio destitutas necessario victu carere patiatur. Hoc denique Ecclesia cum filiis omnibus tenacissime servet, qui sic oblato reluctantibus cupiditatibus pabulo, quod amore dignum est diligent, et suæ saluti operosius vigilabunt.

XI. Mortalium mentibus quantumvis depressis atque debilitatis id roboris jejunium impertitur, ut cœlum va-

leant libere penetrare, et ad Deum ipsum accedere, qui lucem habitat inaccessibilem [1].

XII. Neque vero beatitudinem in cœlis tantum, verumetiam securitatem, et prodigia in terris abstinentia parit. Ninivitæ siquidem Jonæ vocibus territi, se ipsos et animalia quadragenariæ inediæ subjacentes salutem adepti sunt. Apostoli autem jejunio dediti gentes immanitate barbaras, locis infinitas ab erroribus ad fidem orthodoxam perduxerunt. Quid de Martyribus dicam, qui incredibilem, qua gladiis, ignibus, securibusque occurrebant, alacritatem jejunio acceptam referre non dubitarunt? O felicem animarum præsidium abstinentiam! O præclaram hominum custodem! Summam video in te esse dignitatem, et inter cætera Deo gratissima officia celsissimam honoris sedem te retinere gaudeo. Beatum itaque florentemque illum dicam, qui se tibi prorsus commisit, cum ipsi et cœlum petere facere liceat, et ipsos etiam dæmones aspernari. Fallitur tamen, fratres charissimi, quicumque putat in hoc summam esse jejunii, ut quid cibi extra consuetum ordinem corpori imminuatur. Certum namque est neminem, cujus mores a solidæ virtutis præceptis dissident, ullum exinde salutare emolumentum percipere. Nihil profecto corporis afflictatio iis prodest, qui tacite odium simulant, aut quorum pectora inveterata ulciscendi libidine effervescunt; Deus enim nunquam in infame istiusmodi domicilium delabitur.

XIII. Attendite nunc, quæso, fratres, et diligenter animadvertite ad ea, quæ sum vobis utili digressione dicturus. Supremus mortalium Præceptor volens sanam precandi methodum Discipulis tradere, pulcherrimam orationem illam composuit, cujus in Evangelio aperta sit mentio; in qua quidem oratione, præter cætera rudi ipsi hominum

[1] Tim. VI, 7.

vulgo notissima, hæc inserta deprehenduntur : « Dimitte » nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus » nostris [1]. » Ex quibus manifeste colligitur, nemini criminum veniam a Deo petere licere, nisi prius injuriis fratrum pepercerit. Quî ergo fieri potest, ut grata Deo sint eorum jejunia, quorum prona est ad ultionem voluntas? Porro nil mirum si plerique sola epularum abstinentia contenti nullam referant ex jejuniis utilitatem, quippe qui adduci nequeunt, ut livorem, et intestina odia aliquando deponant. Qua igitur fronte, homo insipiens ac stolide, Orationem dominicam recitans dicere poteris : « Dimitte mihi, Pater, » debita mea, sicut et ego debitoribus dimitto meis, » dum interim ardentissimis oculis cædem stragemque inhias? Nonne supervacaneum ducis corpus fame sitique necare, dum animam vitiis languescere ac plane confici sinis? Ad nullam prorsus rem tua utilis oratio est, sicuti et jejunia, nisi fide, spe, et charitate ornatus sis; hæ siquidem virtutes omnem dolum et fraudem, dæmoni pergratam, Deo autem magnopere invisam omnino excludunt. Quocirca ne diutius cum periculo fatuus sis, noli jejunare sicut ad hanc diem. Abjice inimicitias veteres, omnemque e tua voluntate vindictæ cupiditatem expelle [2]. Jesum audi docentem : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, » quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi » munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri » tuo, et tunc veniens offeres munus tuum [3]. » Perspectis itaque, fratres charissimi, præcipuis illis, quæ jejunii impediunt vim, nunc ad virtutes, quarum decore honestari ipsum decet, gradum faciamus. Harum omnium præstantissimæ, quæque ad rem magis apposite faciunt, tres istæ sunt; nempe oratio, et charitas in pauperes, præsertim orphanos, ac in viduas liberalitas. Proh ! quam excellens

[1] Matth. VI, 12. — [2] Isaï. LVIII, 3. — [3] Matth. V, 23, 24.

est virtus munificentia, quæ tota ad pauperes pertinet, quibus, si culpas vitent, ipsomet Christi oraculo testante, æterna felicitas asservatur!

XIV. Hac charitate præfulgeas oportet quisquis es, qui opibus affluis. Nam cum nihil habeas, quod non acceperis, alienum reddis, dum ex proprio tribuere putas. « Frange, » (non hominis, sed Dei voces sunt) esurienti panem tuum, » et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris » nudum operi eum [1]. » Quotidiano contentus victu sis, quemadmodum in Oratione dominica didicisti. Ne pecuniæ coacervandæ studiosus sis, quo nihil fœdius, et ad vitia excitanda alendaque accommodatius. Beatus, qui esurientem pavit, et nudum contexit; quandoquidem nil ei ad feliciter vivendum deerit, insignem habens remuneratorem Deum, a quo contuplum accipiet, et vitam sempiternam possidebit. Idipsum regius quondam Vates sua cithara cecinit, dum ait : « Beatus qui intelligit super egenum et » pauperem : in die mala liberabit eum Dominus [2]. » Quæ huc usque liberalitatem erga pauperes laudans contexui, ex his, quæ sequuntur, Evangelii verbis clara magis, ac manifesta fient : « Venite benedicti Patris mei, possidete » paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi » enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi » bibere : hospes eram, et collegistis me : nudus, et coope» ruistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et » venistis ad me. Tunc respondebunt ei Justi, dicentes : » Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te? si» tientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus » hospitem, et collegimus te, aut nudum? et cooperuimus » te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et veni» mus ad te? » Et respondens, dicet illlis : « Amen dico vobis,

[1] Isaï. LVIII, 7. — [2] Psal. XL, 2.

» quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi » fecistis [1]. »

XV. Hujus rei veritate tam clare perspecta, diligenter cavete, fratres, ne tot commodis vobis divinitus traditis ad perniciem abutamini. Væ vobis, si deploranda vice præcipites sceleratorum sedem atque regionem ageremini! Sicuti contra felices ii, quibus paradisum ingredi contigerit; ibi enim secretis malis omnibus sempiterna beatitate in cumulata bonorum omnium complexione perfruentur. Hanc porro beatitatem quisquis vestrum assequi cupit, oportet prius, ut si hactemus voluptati cessit, errorem jejuniis ac pœnitentia studeat emendare. Omnis immunditia atque luxuries a vestro corpore absit, cum nihil sit libidine detestabilius, Deoque injuriosius. « Blasphemia, obtrectatio » et calumnia quævis ne in vobis nominetur [2], » quibus Deum laudare, non turpia effutire convenit. « Nolite super- » biæ locum dare, quæ initium est omnis peccati [3]; non » enim est creata hominibus superbia [4], » sed humiliamini in conspectu Dei, cum sitis pulvis et cinis. Ne alienum quidpiam expiletis; nam fures divina benedictione privati « Nunquam Dei regnum possidebunt [5]. » Adulteria, falsumque testimonium, velut pestem teterrimam fugite. Hæc namque immanissima fœdissimaque vitiorum monstra homines ad interitum trahunt.

XVI. Cavete insuper ne in vestris juramentis Deum testem assumatis. Os enim divinarum laudum instrumentum jurare non decet. « Sit sermo vester : Est, est; Non, non [6]. » Hanc omnem turpitudinis labem a vobis perpetuo propulsabitis, si pœnitentia, jejunia, oratio, et præ cæteris charitas, quæ plenitudo legis est, deliciæ fuerint et amores vestri. Hæc præclara beate vivendi et aperta, et simplex, et directa

[1] Matth. xxv, 34-40. — [2] Ephes. v, 3. — [3] Eccl. x, 15. — [4] Ibid. 22. — [5] Cor. vi, 10. — [6] Matth. v, 7, et Jacob. v, 12.

via est [1], quæ viros bonos ad gloriam facillime perducit, et quam nobis divinus Magister in lubrico jampridem oberrantibus suo adventu demonstravit. Hanc modo viam teneamus, memores caduca ista et ancipitia bona, quibus tantopere astricti sumus, fluere et penitus exarescere. Jesum interim laudemus, qui nostrum æterno Patri sua morte debitum persolvit, et augustissimam Trinitatem proni veneremur, ad cujus gloriam honoremque omnia debent unice revocari.

SERMO.

De conversatione fratrum mutua in concordia, et dilectione.

I. Fratres debent in dilectione multa convivere invicem; sive arent, sive Scripturas legant, sive aliquid quidpiam faciant, oportet mutuæ dilectionis fundamentum habeant: atque ita quod placitum est Deo, in iis exercitationibus fieri potest, et qui operantur, et qui orant, et qui legunt, omnes possunt in simplicitate, atque integritate versantes alternis capere utilitatem. Cur enim scriptum est: « Fiat » voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra [2]? » Ut quemadmodum Angeli manentes simul in magna concordia, et dilectione, et pace versantur, et non est ibi elatio, vel invidio, vel contentio, sed amor, et sinceritas mutua: sic et fratres ut sint inter se. Accidit enim ut triginta sint simul, tota die, ac nocte perseverare non possint, sed quidam ex eis orationi vacent horas sex, et legere velint; alii ex ipsis faciant aliquod opus: itaque debent, si quid faciunt, fratres cum dilectione, et lætitia mutuo versari: et qui opera-

[1] Rom. XIII, 10. — [2] Matth. VI, 10.

tur de arante sic dicat : « Frater meus non possidet totum thesaurum : communis est, et ego quoque habeo. » Et arans de legente dicat : « Quod ille ex lectione emolumentum capit, in meum lucrum vertitur. » Et qui operatur sic dicat : « Famulatus, quem ego præsto, communis est utilitas. » Quemadmodum enim multa corporis membra unum sunt corpus, et alternis se adjuvant, etsi unumquodque proprium opus perficit; tamen oculus pro toto corpore videt, et manus pro omnibus membris laborat, et pes ambulat omnes artus circumferens, et invicem patiuntur.

II. Eodem pacto, fratres alter alterius membra sunt, et neque orans judicat operantem, quare non oret; neque operans judicat orantem, quod ille persistit, et ego operor. Neque qui ministrat alium judicat, sed unusquisque si quid facit, qui legit, orantem ut habeat in amore, et gaudio, hoc cogitans, quod pro se orat. Qui autem orat, de operante hoc dicit : « Ille quod facit, in commune commodum facit : » atque hic potest multa concordia in vinculo charitatis, et pacis alternos continere, et degere invicem in simplicitate, et hoc modo fit quod Deo placet. Quod vero caput est, totum certe perseverantia orationis est. Verum unum quæratur, ut quis habeat thesaurum animæ suæ, et vitam. Si est Christus in mente, sive operetur, sive oret, sive legat, ut habeat illum in possessionem spiritus, quæ non pertransit. Sunt vero aliqui, qui hoc dicunt, nempe Deum solum fructus manifestos ab homine exposcere; quæ autem sunt occulta, a Deo manifestari. Minime vero ita se res habent : sed sicut in iis, quæ extra hominem sunt, securus redditur aliquis; sic oportet etiam in cogitationibus certamen, et bellum inire : poscit enim a te Deus, ut tibi ipsi irascaris, et pugnes cum mente tua, et neque concors sis, neque delecteris cogitationibus pravis.

III. Cæterum eradicare peccatum, et congenitum ma-

lum, et cum adversario pugnare, Dei est. Si enim tu posses hoc facere, quidnam opus esset interventu Domini? Quemadmodum enim non concessum est oculis videre sine lumine, seu loqui sine lingua, aut sine auribus audire, aut sine pedibus ambulare, aut opus facere sine manibus; ita non potest quis sine Domino Jesu salvus fieri, aut introire in regnum cœlorum. Quod si dicas aperte : « Non scortor, non mœchor, avarus non sum, denique justus sum, » falleris in hoc, quod cogitas te omnia perfecisse. Non etenim solum tria sunt membra peccati, contra quæ aliquis debet muniri, sed sexcenta. Etenim dic mihi, timoris vacuitas, cœcitas, infidelitas, odium, invidia, dolus, hypocrisis, unde sunt? Annon necesse est contra hæc pugnam inire occulte, atque in cogitationibus? Sicut enim si latro sit in domicilio, de reliquo premit te, et non sinit ut sine sollicitudine sis : incipis autem ei resistere, postea verberas, verberare etiam ipse aggreditur; ita etiam anima debet resistere, et percutere, et reluctari : accipit plagas, et reddit : pulsatur, et offendit : tandem libertas resistens, et laborem, ærumnamque patiens, ferire incipit, et multo cum labore incipit anima esse superior : verberat, excitatur, ædificat Satanas contra animam; evertit et anima. Rursus accidit, ut peccatum in decem, in viginti certaminibus vincat animam, et prosternat: similiter et anima procedente tempore unica vice victrix peccati existat : iterum si sustineat anima, neque laxetur, paulatim incipit plus audere, et augeri, triumphosque referre de peccato. Verumtamen etsi in his adhuc recognoscitur crimen, usque dum perveniat ad virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vincatque mortem. Scriptum est enim : « Novissima inimica destruetur mors [1], » et hoc modo superior evadit, et victor mortis. Si vero, quem-

[1] Cor. xv, 26.

admodum diximus, respondeat aliquis: «Non scortor, non adulteror, non sum avarus, sufficit mihi.» Hic tres partes decertavit, et a vigesima abstinet : peccatum non decertavit contra totam animam, sed victum sæpe remansit.

IV. Oportet igitur contra omnia pugnare, ac colluctari. Animus enim, sicut sæpe diximus, bellator est, et inditam habet vim contradicendi cogitationibus. Si vero dicas potentiorem esse vim contrariam, atque in hominem prorsus dominari, injustum facis Deum, qui condemnat naturam humanam. Quare obedivisti Satanæ? Quando robustior est, et cogendi quædam vis, multo majorem, fortioremque illorum confidentiam, quam animæ fecisti, Et mandas mihi huic non obedire? Tanquam foret adolescentior, et habeat pugnam [1]....... condemnatur. Cur victus fuisti. Hoc magnæ iniquitatis est. Unde nos dicimus : «Obsistendi virtutem habere animum, atque æquilibrium.» Anima autem, quæ Deum inquirit, auxilium invenit, ac defensionem, et retributione digna efficitur. Nam lucta, et certamen in pari virtute posita est. Ipsi gloria, et potentia per infinita sæcula. Amen.

SERMO.

De reprehensione.

I. Quisquis aliorum corruptelam reprehendendam suscipit, nullam prorsus turpitudinis notam subeat necesse est. Quisquis judicium in alios exercet, caveat ne suorum operum testimonio reus statuatur. Quisquis demum errantem corripit, caveat ne virtute vacuus omnino sit. Non

[1] Deest aliquid.

enim perfectum integritatis exemplar ille est qui non prius studet semetipsum corrigere. Quæ dum mecum memoria repeto, cum omnium reprehensione dignus sim, non quod me culpa vacantem, aut ex flagitiosorum hominum grege secretum existimem, censoris partem factitandam aggredior, sed potius ita agendum duxi, ut memetipsum erudiam, cum exploratum apprime habeam supremi me Judicis esse animadversione dignissimum. Quid audeo igitur censorem agere? quia videlicet nec impios ipsos ab hoc munere eximendos fore arbitror, quorum silentium procul dubio ipsa esset correctione culpabilius. Etsi autem mea mihi crimina cæteros arguendi libertatem adimant, hanc tamen ex mea audacia interioribus auxiliis freta utilitatem assecuturum confido, ut si alios corripiam, mea possim crimina, pura et incorrupta consuetudine emendare.

II. Hæc profecto laudabilis exercitatio plurimum cuipiam prodesse potest. Non enim parvi res est momenti, ut dum alienis incommodis medemur, domesticis etiam languoribus prospiciamus. Quare, fratres amantissimi, salutaribus hisce unguentis proprias unusquisque cicatrices, prout vulnerum gravitas exigit, obliniat; medicinæ siquidem vis nihil sanis obest corporibus, nec infirmos corruere patitur; imo postremos istos, quantumlibet cicatricosos prostratosve bene sperare jubet. His gestis, ne gravetur curationem suos in sodales derivare; quin potius Deum hac in re imitari omnium virium contentione annitatur, qui nunquam humanis languoribus occurrere prætermisit. Quicumque istiusmodi provinciam capessit, id eo potissimum agat, ut devios in rectum callem adducat; sic enim nullam referet ex sua censura vituperationem, neque minima eidem turpitudinis infamiæque nota inuretur. Ne, si fratrem corrigas, virga utaris; nam qui corripit percu-

tiendo, se ipsum vexat. At si increpando sanaveris, proximorum doloris ac meriti socius eris et particeps.

III. Optimi quique medici, si forte in morbum incidant, salutem ut adipiscantur peculiarem curam adhibent ac diligentiam. Nec ideo ullo pudore, aut verecundia impediuntur, quominus efficacissimis remediis sibi subveniant. Habet hic censor quilibet, unde exemplum sumat et sedulitatis ad ægritudinem expellendam, et patientiæ ad perferendam objurgationem. Valde siquidem dedecet, ut si et ipse corrigatur, ab alienis vitiis corrigendis abstineat. Curandum potius illi est, ut cum lenitate quadam æquabili sese ad suorum fratrum ingenia effingat, eosque Christo lucrifaciat. Medicos inspiciat, qui sive sani sint, sive ægri a suæ artis sociis curari non dedignantur. Quare si bene vales, fratres curato; si vero ægrotas, ne curationem averseris. Quod si ita te gesseris, pro certo habe te tuosque socios ad optimam esse valetudinem perducendos. Quemadmodum autem dum peccas, tibi non minus, quam sociis officis, quibuscum communis tua est jactura et detrimentum, ita si tibi tuoque fratri opem tuleris, duplicem inde fructum hauries; ipsi enim lucrum obveniet amplissimum, tibi merces æterna constituetur.

IV. Promixorum itaque utilitatibus, charissimi fratres, mutuo inserviamus, et novo hoc vigore superaddito, in piis operibus confimabimur; tempus est enim pœnitentiæ, ideoque orationibus non intermissa consuetudine insistamus, Modicum quid temporis iis curis detrahamus, quæ nos nimium in terram deprimunt. Omnia tempora ad agrorum culturam apta promiscue non sunt. Huic nimirum exercitationi non inter armorum strepitus, sed pacatis rebus indulgere licet. Ad pœnitentiam vero, etsi plerique divinis tantum sub flagellis excitentur, tamen quietis etiam temporibus aditus aperitur. Quam pulchre opus proprio res-

pondet tempori! Semina ipsa, quæ in terræ visceribus conduntur, nos satis instructos reddunt, omne opus a temporis opportunitate sumendum omnino esse.

V. Ecce terra divino furore quatitur, pœnitentiam omni studio amplectamur, et quoad vires possunt nostræ, jejuniis assuescamus; centuplum enim accipiemus. Assidui in oratione simus, quæ est veluti vitis, cujus fructus plenus est suavitate. Animos virtute compleamus nostros, ut templa sint Deo digna. Enimvero si princeps hospitio excipiendus nobis esset, ædem decenti cultu et apparatu instrueremus. Quidni igitur animum ornare deceat, cum non homini, sed Deo habitatio præparetur? His cognitis, tu nunc omni industria enitere, ut templum Deo non ingratum tuo in pectore extruas, tuque ejus custos sis et sacerdos; nec dubites ei ministrare; et quoniam ipse pro te pontifex, sacrificium, et victima factus est, cor illi tuum in altare, in holocaustum offer cunctis sordibus expiatum. Turpe namque est et indecorum, Dei domum aliqua vitiorum labe contaminari.

VI. Cæterum gratum Deo nunquam erit tui pectoris domicilium, quandiu iracundia, furor, superbia, libido, invidia denique ibi, suo veluti in cubili delitescunt. Age igitur insitam hanc vitiorum segetem evellito, quæ charitati impedimento est, ne suas ibidem radices defigat. Reliquas, si quæ adhuc resederint, fæces pravasque animi affectiones extrudito, quarum locum odoratæ virtutum species impleant, et frequens orationis usus rosarum liliorumque vices suppleat. Omnes itaque nostræ conscientiæ latebras mutuo detegamus, sicque improbus adversarius gravi cum tristitia ac dedecore a nobis abscedet. Postquam vero nostris rebus debita cum sedulitate consuluerimus, deerrantem fratrem arguamus, nostramque objurgationem non parva utilitas consequetur. Nihil sit, quod nos ab hoc mu-

nere avocet aut retardet, secus enim nec vitiosus ab incepto deterrebitur, nec a nocendo dæmon quiescet, cum fraudes foveri suas videat; nec medicina poterit ægritudinem depellere infirmo corpori non applicata.

VII. Id efficit in hominum animis reprehensio, quod aratrum in terra, quam scilicet ea ratione scindit perstringitque, ut infructuosa quæque germina circumquaque pullulantia funditus extirpentur; ita plane hoc unum objurgatione sua reprehensor sibi statuere debet, ut lac purum a sordenti quavis materie disgreget, perniciemque ex prava consuetudine profluentem avertat. Ista, de qua agimus, objurgatio adolescentibus præcipue pernecessaria est, quos utpote vitio suapte natura deditos, nisi seniorum prudentia in officio contineret, facile esset, ut in sua pravitate marcescerent. Sicuti etiam nec percussores, aut interfectores finem unquam cædibus facerent, nisi eos censorum gravitas, pœnarumque formido coërceret. Quis non videt quantum conveniens sit, ut una cum nostris alienos errores corrigamus, cum ex hactenus dictis utraque correctio utrobique salutaris sit ac fructuosa? Rursus nisi undequaque grassantem criminum luem acriter insequeremur, neminem præterit, quam longe lateque impudentissimorum hominum licentia esset progressura, et non modo privatas domos, verumetiam universas terræ plagas inficeret.

VIII. Nihil nos tenebrarum principis potentia moveat, quæ infirma adeo est, ut unius animi viribus persæpe cedat. Quo magis ergo hominum vires in se totas conversas sentiens trepidabit, cum istæ nequeant cum immanissimi illius monstri temeritate ullo pacto comparari? Hanc tantam ejus imbecillitatem incredibilis quædam audacia supplet, quæ si forte ignota vobis usque adeo extitit, ex ejusdem satellitum pervicacia probe intelligetis. Singuli

enimvero diebus sacris imprecationibus potentissimisque nominibus jactati, in hominum corpora violenter illabuntur, e quibus pulsi, obsistunt, iisdemque corporibus, cum quibus nullam habent necessitudinem aut conjunctionem, firmissimis veluti aggeribus ad suam petulantiam jactitandam utuntur. Nonne hæc omnia insignia sunt audaciæ atque impudentiæ monumenta? Quod si tantum eminent, tantumque habent roboris diabolicæ fraudes præstigiæque, longe dæmone fortior erit quisquis easdem facile superat, qui si forte suis eumdem viribus prosternere nequeat, tunc illo se debiliorem ostendit, ejusque tyrannidi cogitur subjacere. Si quis roget quomodo fieri possit, ut homo dæmonem obterat, cum is nulla sit materiali substantia concretus, neque humanis oculis spiritualia objecta intueri liceat, hoc ideo accidere sibi persuadeat, quia sua dæmonem facinora frangunt, eumdemque maleficiorum suorum conscientiæ exanimant, ita ut vix præ metu consistat. Dum autem suam audit nuditatem, infamiam, ignominiam in vulgus propagari; tantum inde ruborem percipit, ut diutius ibidem immorari non possit.

IX. At non ita nobiscum se gerit nostrorum errorum reprehensor, cui nihil gratius, nihil jucundius accidit, quam nostris egestatibus opitulari. Dolendum igitur non est, si nos libere arguat, cum id non ad propriam nobis famam detrahendam agat, sed ad ea removenda, quæ nos infamia dignos efficiunt. Et sane qua ignominia non appetitur infelicissimus peccator, cujus est in sectandis voluptatibus insolens ostentatio? Hanc vero ignominiam si opportunis negligat remediis delere, vituperatione dignus fit; quemadmodum et medicus ille inscius imperitusque, qui pro salutaribus mortifera conscribit. Hinc est, quod cum peccator de suis criminibus redarguitur, dæmon verens, ne admonitus ille resipiscat, verecundiam quamdam ipsius

in mente imprimit, qua stulte putat indecorum esse, si aliis error innotescat suus, aut aliena sibi sit increpatio subeunda. Gravissimum insuper ejusdem auribus repræsentat medici nomen ea ratione, ut vulnus diu neglectum nullis queat curis seu fomentis obligari.

X. Jam vero si medicorum curationem respuimus, quonam pacto amissam valetudinem recuperabimus? Et si in medicum, qui nos sanare optat, insanimus, quam nobis utilitatem obventuram arbitramur? Ne, quæso, diabolicis afflatibus assentiamur, dum nos a prudentibus integerrimisque viris consulendis dissuadet, ne illi nos labentes sustineant. Potissimum vero caveamus ne oblatas nobis admonitiones torvo supercilio et ad ultionem contorto recipiamus; tunc enim atrocissima nobis clades in judicio relinqueretur. Ad nefaria insuper admittenda, eaque latebris involvenda nos stimulat. Fingere edocet, ut in nostra ejus etiam fallacia lateat. Nec cessat superbiam nobis insinuare, cum suæ arrogantiæ, cujus causa dejectus e cœlo fuit, imitatores homines habere gaudeat.

XI. Totam hanc vitiorum turpitudinem callidus ille superinducto quodam simulatæ humilitatis velo obtegere docet, ut amari ipsius latices dulci isto condimento mitigati ab incautis facile perpotentur. Vera falsis admiscet, ut quod integrum in homine superest, corrumpere facilius possit. Ovinam pellem superinduit, ne oves ex unguibus evadant suis, et animi dolorem, quo tanquam in speculo nostrorum scelerum gravitatem perfecte intuemur, nobis adimit, ut mentem in iniquitate curvatam diutius retinentes, nostras eluere maculas negligamus. Ne nostra igitur in lucem nequitia aliquando prolata, ipsius etiam dolus publice innotescat, impurissimus ille fraudum molitor mutuam correptionem capitali quodam odio et aversione prosequitur. In hominum insuper animis fœdissima illa bellua pertinaciam

inserit, quæ eo sibi majus lucrum parit, quo majora infert hominibus detrimenta. Languore quoque ac desidia animum inficit, ut ipse in sua inertia oscitantiaque callida cito assentatione capiatur. Huic stupiditati miram superaddit procacitatem, qua eo dementiæ miseri deveniunt, ut admoniti omnem pudorem excutiant, et amicum ipsum omni contumelia insequantur.

XII. Innumeris deinde dolis homines instruit, ut si forte se vitiis tradant, non iis desint excusationes, quibus de sua se purgare malitia possint, et rei quanquam sint, fictis tamen strophis suam innocentiam rudi vulgo venditare glorientur. Ex quo mercium genere duo sibi hostis lucra comparat; alterum, ut decepti mortales scelera sceleribus nectant; alterum, ut errorum enormitatem variis modis obnubilent. Quam quidem enormitatem eo facilius a sociorum oculis avertunt, quod uberrima ipsis verborum copia inesse solet; ex quo fit, ut mira eloquentia, seu potius loquacitate ad suam causam perorandam polleant, et congesto verborum fuco humanam intelligentiam eludant. Infantibus ab ipsis prope incunabulis petulantiam, senibus metum affert, quo ingenita ipsorum tarditas ac segnities confirmetur, et dum impotentiores quotidie ad vitæ emendationem fiunt, de meliori exitu desperent necesse est.

XIII. Audacibus quibuscumque infamiam objectat, reprehensoribus terrorem. Quamobrem neuter medicina illa utitur, quæ utrumque posset saluti restituere. Ipsa eorum viscera depascit, superficiem vero inanibus ornamentis depingit, ut non immerito sepulcris comparentur, quæ licet eximiam extrinsecus formam et elegantiam exhibeant, intrinsecus tamen horridam tabem fœtoremque continent. Speciosis eos nominibus cohonestari sinit; interim vero præcipites in scelus agit, et dum ex una parte nominum decor elucet, ex altera peccatorum deformitas squalet. Quod

si quispiam ab iis nomen sciscitetur, quo in lustralibus baptismatis undis insigniti fuere, comperiet statim idipsum, instar velaminis, eorum maculas obumbrare, et quod extrinsecus auro splendidius apparet, intrinsecus tenebris ipsis tetrius esse atque obscurius. Sub hac autem decora venerandaque imagine, et sub cœlestibus istis characteribus subdolus hostis vilissima aliqua metella auri vice occultavit, ut ludicra horum simulacrorum specie illusus quilibet in insidias proclivius impingeret.

XIV. Perexiguus quidem est proborum hominum numerus. Sunt vero plurimi, qui sapientum nomen aucupantur, revera tamen a virtute longissime absunt. Forum corruptis abundat judicibus, qui pretio, non æquitate sententias ferunt, quorum tanta est dementia, ut non modo ad sacra societatis jura violanda, sed etiam ad aliorum facultates usurpandas vesana auri cupiditate rapiantur. Quis profecto non doleat nos sub insignibus, quibus inaugurati sumus, nominibus tam turpiter deerrare? Quis lacrymas contineat, animadvertens homines sacrosanctis hisce nuncupationibus uti non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam? Hinc est, quod insignis scelerum magister dæmon sanctissima ista, quibus nominamur, vocabula, nobis impressa, non invitus tolerat firma hærere, neque ulla vicissitudine permutari; ne quis ab ipsorum immutatione nos et accusandi et increpitandi ansam sumeret. At nihil dæmoni gratius, nihil utilius accidit, quam ut dignitates terrenusque fastus in omnium animis vigeant. Ne inconsulto quidem; nam quis cordatus adeo est, ut dynastas, aut judices objurget, vel pastores, aut primates reprehendat, vel legislatoribus jura præscribere non vereatur? Quis tam procax discipulus, qui propriam audeat præceptorem instruere, ne dicam asperius admonere? Dubitari igitur nequit neminem prorsus reperiri, qui proterviam nostram coar-

guat in eminenti fastigio collocatam, quæ jamjam impune peccandi licentiam obtinuisse videtur.

XV. Jamvero si nulli fas sit, citra audaciæ notam illustres nobilitate viros, quantumbilet nequissimos improbissimosque corrigere, quis non videt quanta hinc confusio ac perturbatio oriatur, dum nulla habita ratione sanctissimorum, quæ gerimus, nominum, quæ data nobis a Deo sunt, ut ex ipsorum sanctitate pie vivere disceremus, ipsa ad liberius delinquendum adhibeamus, et vitia, quæ prius nostro in corpore inquilina esse videbantur, nunc validius confirmata, et veluti propugnaculo quodam tecta, sibi loci proprietatem imperiumque vindicent? Quid mirum autem, si dissolutio jus et fas omne deleat, dum eos ipsos patronos defensoresque habet, penes quos sunt ad licentiam refrenandam flagella? Quid mirum si virtus exulavit, dum pulsa veritate, fraudulentia justitiæ anteposita, copia improbis fit, ut aliena bona exhauriant, legesque sanctissimas pro sua singuli libidine perfringant, et integri, qui supersunt, judices a vitiosorum malitia punienda impediantur? Fraus nostra hac ætate tutissima tranquillitate gaudet, quia nimirum suam judices severitatem pudoris et modestiæ magistram relaxarunt. Nequit enim integra morum disciplina consistere, nisi severitas vigeat; quam si judices deponant, suis omnes provincias excursionibus depravatio infestabit, et non tam universæ terrarum regiones, verum et flumina, et pelagus ipsum peste ista teterrima corrumpentur.

XVI. Nihil autem ad corruptelam excitandam aptius est pecunia, quæ vigilantes leges soporat. Qua de re quis obmurmurare seu libere loqui audeat, cunctis munerum spe silentibus, cum nullus sit tam iratus judex, quem non auri splendor mitiget? Nullus litium æstimator, quem fautorem pecunia non habeat? Nullus denique tam integer censor, qui largitionibus corruptus arguendi onus dimittere dubi-

tet? Ea est omnium in divitum ac principum captanda benevolentia sollicitudo, ut satis sibi fecisse opinentur, si postquam semel eorum favorem obtinuerunt, eumdem sibi diutius retineant; cujus tuendi causa in loquendo parci ac verecundi adeo sunt, ut in ipsorum vultum oculos defigere metuant; nec vident, animarum direptorem eo altius frontem erigere, quo humilius oculos censores inflectunt.

XVII. Nullam rem aliam plenioribus exoptant votis lupi, quam ut pastores somno deditos inveniant; quia dum ipsi gregis custodes sopori indulgent, illi dulcem faucibus cibum, nemine perturbante, subripiunt. Non aliter si animarum pastores desideant, nec gregi sibi commisso advigilent, ratum est eumdum in summo discrimine positum misere periturum. Proh! quam cædis avidus leo est! Quantum lupi ovilem lanienam inhiant! Hoc interest lupum inter et leonem, quod leo dum venatur, plurimas conterit dilaceratque belluas; at lupus, etsi paucos carpat agnos, summam tamen dissipationem infert gregibus, nec famelici ipsius dentes suam possunt aviditatem exsaturare. Idipsum sane improbis judicibus evenit, qui licet omnia late oppida latrociniis rapinisque compleant, eorum tamen nec expletur, nec satiatur cupiditatis vis. Et quamvis socios jam pene emulserint, hos tamen immanissimos carnifices auri species, ceu furor vindictæ cupidos, adeo excæcat, ut ad ultimam usque calamitatem insæviant. Quapropter cupiditas fumo non inepte comparatur, cujus exhalatio per omnes undique partes effluens huc illuc spargitur, usque dum penitus dissipetur. Fumus oculos verberat, cupiditas mentem exturbat.

XVIII. Quod si officinas ingrediare, hic vero præcipuum domicilium malitiam retinere dixeris. Hic ex mutuis contractibus multiplicatam audies ad fraudem eloquentiam,

qua hujusce sæculi venditores abundant, ut emptores promiscue omnes fallant, eosque ad victui necessaria ingenti coëmenda pretio inducant. Ne mirum si postmodum hujuscemodi iniquitatum mercatores ab justitiæ administris furti crimine plerumque postulentur, cum eo tota ipsorum garrulitas et industria tendat, ut quibusdam veluti usuræ gradibus id ad centesimum numerum provehant, quod unius assis pretium non excedit.

XIX. Vinum Deus in vites infudit, idque hominibus gratis impertivit; idem fraudulentissimi caupones aqua corruptum adulteratumque quamplurimo vendere non erubescunt; idcirco cupas flagitiorum officinas esse nemo non intuetur. Nec in vino tantum, sed et in oleo fraus invenitur; aquam etenim, seu quemvis nullius pretii liquorem ibi commiscent, sicque vitiatum olei scyphum emptori porrigunt eo felicius circumvento, quod ne dolum quidem animadvertere possit aut suspicari. Fraus insuper in mensuris eminet, quas malitiose tractant, agitant, incurvantque, ea mente, ut aliquid sibi proficuum supersit. Quibus et similibus illusiobus duplex flagitium miseras præsertim viduas decipiendo admittunt; alterum, quod in jacturis versutiam enutriunt; alterum, quod in lucris æquitatem frangunt. Dum mensuras eradendo diminuunt, robur malitiæ adjiciunt, dum sibi vindicant quod in mensuris superest, venerandas justitiæ leges labefactant.

XX. Pares istorum hominum temeritati pœnæ in extremo judicio constituuntur, si fides sacris est Litteris adjungenda. Evangelicis namque verbis sic admonemur : « In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis [1]. » Nec vero putandum est sapientissimum rerum Artificem, cui tota Oceani latitudo cognita apprime est, ignorare quas adhibuerunt in mensuris fraudes, ut proximum deciperent, et quas

[1] Marc. IV, 24.

in ponderibus, cum sua virtute altissimos quosque montes sustineat. Optimus omnium Moderator pelagi confinia ac limites definivit; at nostri judices præpostere se gerentes, ne mensuras quidem brevissimas statuere noverunt. Quid plura? Hyemis æstusque tempora sapientissimo inter se ordine disposuit; judices vero rapacitati unice intenti ita legum ordinem perperam miscent, ut venditores nullam teneant in emptione ac venditione rationem.

XXI. Hanc Deus ob causam homines ad suam imaginem condidit, ut ipsi ad Dei pariter, quantum fieri posset, similitudinem accederent, et quemadmodum res ille creatas elegantissimum in modum disposuit, pari ipsi ratione sua omnia opera ad eumdem tanquam ad propositum finem dirigerent. Sed, o insignem hominum stupiditatem! qui tam longe a supremi Artificis intentione discrepant, ut cum ipsum inter et creaturas perfectissimum sit consensionis vinculum, nullam contra sibi methodum in agendo constituant. Rectissimo enimvero gradiuntur cursu naturalia omnia; leges autem confuso quodam instituto pervertuntur. Humana dementia, quæ nullos habet limites, nullis concluditur repagulis, non suorum modo operum ordinem, sed et perpetuum illum rerum sibi mutuo succedentium ductum a Deo sapientissime præstitutum omnino tollere enititur. Hinc est, quod nobis acriorem in dies judicii suppliciorumque materiem coacervamus, quibus nequeunt cætera creata subjacere. Dierum item, noctiumque imperturbabilis meatus nostram probe erudiunt inscitiam stoliditatemque; idipsum præstant continentes alii aliis se excipientes dies noctesque, quæ cum sibi reluctari appareat mortalium oculis, dum sese invicem trudunt, nihilo tamen minus solida fruuntur tranquillitate, nec ullæ dissensiones indissolubilem eorum nexum rescindere valent aut relaxare. Siculi etiam cœli luminaria, tametsi cum alterum alterius locum occupat,

invicem dimicare quodammodo videantur, ob suam tamen æquabilitatem et constitutionem nullis dissidiis agitantur; imo potius conversiones suas indicibili celeritate et compositione exercent. Mutua autem rerum contentio nihil orbis pulchritudinem imminuit. Officit-ne dies, cum noctem effugat, seu cum nox diem? Patet itaque in intermissa ista colluctatione ac successione, cœlestia luminaria certis infixa sedibus cum ipsius mundi motu congruere, et in inferiora ista corpora mirifice illabi. Nec tibi, velim, in mentem veniat, si alteri loco cessit, cœleste corpus injuste erga socium se habere, deque pari eidem benevolentia referenda nihil esse sollicitum; quandoquidem a quo mutuum accepit, mutuum et illi postmodum reddit.

XXII. Horum igitur luminarium natura æquitatis bonitatisque divinæ similitudinem mirifice repræsentat; bonitatis nimirum, cum illatam sibi vim patienter sustinent; justitiæ vero, cum alterum alteri locum præbens, injuriam ipsi compensare videtur. Quod si alterum quiete potiatur, non ideo sodalem oblivioni tradit, quin potius alterius lumine illustratur. Cœlestium corporum societas non ea est, qua homines inter se coëunt, quæ tam prava est tamque fraudulenta, ut perpetuum potius dissidium jure dixeris. Et ut vera fatear, is est hominum mos, ut si ad altiorem conditionis gradum provehantur, inopem socium implorantem eorum auxilium prorsus deserant; non enim cogitant eam ob causam Deum cœlestium luminarium dispositionem nostris oculis subjecisse, ut in illis, veluti in exemplari quodam ordinatam vivendi rationem inspiceremus.

XXIII. Interim deficientem caducarum istarum rerum naturam nobis contemplandam proposuit Deus; liberam tamen potestatem tribuit, ut ipsarum dispositionem, salva nostræ voluntatis libertate, imitaremur. Nos vero earum concinnitatem admirabundi laudamus, sed a recto illarum

ordine deflectimus. Si easdem interdum violentiæ impetu pene opprimi accidat, aliquando tandem certamen deserunt; at nos quo magis fratres extroquemus nostros, eo majori scelere inflammamur. Non mirum ergo si divina in illis bonitas atque æquitas eluceat, in nobis autem versutia tantum ac malitia commorentur. Astrum alterius vices egregie supplet; at nos nec fratrum vires supplemus, nec iis de nobis optime meritis gratiarum aliquid referimus, quibus etiam parvum ad vitæ sustentationem subsidium commodare denegamus, tametsi ingenti divitiarum copia affluamus. Sin autem mutuum nos quidquam accipiamus, nusquam ad illud reddendum inducimur. Itaque mutuum accipientes, ingratissimi sumus, mutuum dantes, incredibili pravitate cumulamur. Adde insuper quod nos in mutuis factitandis, præter infinitas cautiones, sortem etiam cum anatocismo exigimus. Quibus ita se habentibus, quisque videt quanta sit hujusmodi contractuum improbitas et injustitia.

XXIV. Divitum fructus plenus est acerbitate, quæ si mundi hujus divitibus tempestive nota fuisset, nunquam profecto mentem ac extorsiones convertissent, nec pristinam inopiam suam cum præsenti facultatum abundantia commutassent. Laqueos undequaque extruimus, ut usuras usuris adjiciamus. Novas excogitamus artes, ut majus quotidie emolumentum trahamus. Sacra ipsa, proh scelus! auro violare non perhorrescimus, et ad episcopale culmen Angelis ipsis formidandum, pecuniis obrepimus, quod quidem una cum aliis id generis muneribus concupiscimus non ad æquitatem exercendam, sed ad avaritiam satiandam nostram, et aliorum facultates commodius ingurgitandas. Nullam operam, nullam industriam prætermittimus, ut quieti nostræ quomodocumque prospiciamus; nec nos movet, si ultricem Dei justitiam ad iracundiam concitemus,

quæ raptoribus non modo minas, sed et pœnas acerrimas intentavit.

XXV. Nostras Deus cupiditates intra æquitatis septa coërcuit, extra quæ ne modice quidem egredi concessum est, æquissimasque mensuras statuit, quibus dolos facile detegeremus. Ipse in animi interiori æde forum extruxit, judiciaque ibi haberi præcepit, ut iniquitas in medium prolata, nostris ex cordibus propulsaretur. Templum ædificavit, ut ibidem integritas habitaret. Sed, o miseram hominum conditionem, quorum virtus tantis fulta auxiliis, adhuc vitiorum sarcina urgetur! Quis stupeat, si in hisce, quæ Deus tot beneficiis ornavit, domiciliis fraus tam tenaciter hæreat; dum quæcumque infami ac perdito homine propria sunt, eadem omnia illic radicitus insita esse dignoscuntur? Et ne videar mentita et falsa jactitare, quis inficiari valeat, artifices in ponderum ac mensurarum distributione insidias, veluti insuccensa fornace, conflare? Quis neget judices, quorum est improbitatem persequi, judicia pactionibus depravare.

XXVI. Ipsi sacrorum pulvinarium ministri, puritate ac pietate projecta, in otio mollitieque dies terunt suos. Frumentarii quoque sub exiguis mensuris laqueos recondunt; nam ipsorum mensuræ, quæ extrorsum prægrandes apparent, introrsum per angustum circuitum comprehendunt, ita ut dum effunduntur, mirari non desinat emptor, qui falsa sub imagine illusum se esse conqueritur. Quid plura? Eo devenit istorum impudentia atque voracitas, ut ovium vellera dividentes, luporum illorum nequitiam superent, qui immaculati Agni tunicam scindere ausi non sunt. Nec enim simplices emptores animadvertunt mercatorum fraudem lupis similem evasisse; quandoquidem, quæ ex luporum unguibus immunis evasit vestis, horum non effugit aviditatem.

XXVII. Omnia susquedeque ab hominibus eversa sunt atque contaminata, adeo ut purissimæ etiam undæ contactu sordescant nostro, et in ipsis iniquitatem perpotemus. Ecce sacrosancti, aquibus animæ justitiam hauriunt, fontes sanctificati sunt. Hos scelestissimus dæmon commaculat, ut peccata nitidis hisce undis deleta in nobis iterum reviviscant. Callidissimus hostis ea in nos arma retorquet, quibus ad ipsum confodiendum communiti fuimus. Quare in ipsis undis, in quibus sordes immergere nostras contendimus, latitans adversarius, reliquum, si quis adhuc in nobis residet divinæ charitatis ignem penitus extinguit; et sic ex balneis, quæ ad salutem confirmandam adhibemus, ultima nobis detrimenta proficiscuntur. Quicumque in baptismate expiati sunt, viam sibi ad æternam felicitatem patefecerunt, quam nemo unquam citra baptismi lavacrum acquirere, seu invenire potest.

XXVIII. At dicito, sodes, si quis baptismate regeneratus denuo a virtute recedat, quis nostrum ea præditus est pietate, ut erranti viam monstret, et pereunti suffragetur? En harioli palam divinant; en venefici audacter præstigia exercent. Æquitatem uno verbo ex hoc mundo ejecimus, eamque in cœlum relegantes nullum hic locum, ubi consistat, ipsi reliquimus. Eheu nos infelices, qui justitiam illuc transcripsimus, ubi vindicis personam induta non cessat nostrorum criminum pœnas a divino Judice postulare! En apertis codicibus peccata nostra omnia ex ordine percenset, tamque longius orationem provehit, ut hæc nullum terminum habitura videatur. Senum crimina perlegit, qui sub ipsis quoque interitus faucibus deliquerunt; puerorum item vitia, in quibus enutriti sunt pari rigore persequitur. Juvenum corruptelam ac libidines, eorumque in conviviis intemperantiam pervulgat. Adulterorum nefaria recitat maleficia, qui propriis uxoribus spretis, alie-

nos thalamos invaserunt. Puellarum impudentiam notam toti Beatorum cœtui reddit; anuumque pravas artes exponit; quæ sterilis ætas, etsi ad prolem edendam inepta sit, est tamen ad turpia perpetranda fœcundissima.

XXIX. Infantium nativitatem certi dies mensesque præcedunt; nulla autem temporis mensura sceleribus præfinitur. Justitia interim incœptam causam continuans meretricium infamiam obscœnitatemque pronuntiabit; mox ad vetularum sortilegia deveniet, quæ ad turpissimam disciplinam liberos ipsæ informabant suos, sibi vero impudicum amorem conciliabant. Haruspicia, hariolationesque earum animos affatim corruperunt. Hæc sordida consuetudo a Chaldæis primum derivata, ingentem iisdem quæstum detulit. At miserum horum lucrum plurimá damna consecuta sunt; suos enim viros facultatibus spoliaverunt, sibi ipsis dolores ægritudinesque conflarunt, et diuturna superstitione orationis usum abs se prorsus rejecerunt, quin aliquando cogitarent se precum ope felicitatem filiis conjugibusque asserere potuisse. Testem habeo meæ assertionis Hebræam illam fœminam Esther, quæ ex orationis frequentia suam venustatem, gratiam, sceptrum, Judæorumque salutem recognovit. Hinc est, quod mansuetudine, abstinentia aliisque virtutibus Assuero magis placuit, quam pretiosis odoribus, formosior humilitate, quam unguentis illita, aut calamistrata coma regis oculis apparuit. Regem ipsa ad se traxit, non ipsam rex; atque inde contigit, ut quam semel benevolentiam conjuges ambo susceperant, in eadem tenacissime perseveraverint.

XXX. Rebeccam præterea venerabilem fœminam, morum castigatione maxime commendandam habuit Isaac. Plurima sunt veterum illorum Patrum exempla, qui mulierum verecundiam multo pluris quam externam pulchritudinem faciebant, qui non ab earum lenociniis, sed a

virgineo candore atque modestia, non a fucatis oculis, sed ab ipsarum verecundia irretitos se esse profitebantur. Rectam indolem, non artificiosos calceos commendabant, nec prolis ubertatem, sed in fontem ac religiosam vivendi regulam exoptabant. Nonaginta Abraham annis Saram, licet infœcundam sincere adamavit; invisa vero illi Agar fuit, quod una cum liberis nequitiam progigneret. Sara in ipsa sua sterilitate nihil faciebat, nihil cupiebat, quod non esset summa cum probitate conjunctum.

XXXI. Quanquam vere sapientissimi illi Patres integerrimas suas uxores admodum diligerent, non illas tamen ita diligebant, ut earum errores suo assensu comprobarent. Ipsorum amori consentiebat summa quædam vigilantia, qua uxorum gesta circumspiciebant. Si amor in hujusmodi vestigatione quidquam prætermisisset, prudentia corrigebat. Profano cuilibet amori Dei delectionem anteferebant, cujus naturam ac perfectionem post longam experientiam tunc noverunt, cum et Deum amarent, et vicissim ab illo amarentur. Ex veteribus non defuerunt, qui creaturas ultra honesti ordinem deperirent. Quod certe amoris genus vituperabile est, cum Deus unicus cordium amor creatis a se rebus anteponatur. Salomonem appello, qui nimium præceps in extranearum mulierum amores irruit; ejusdem rei exemplo pariter esse potest ægyptiaca illa mulier, quæ Josephum obscœno amore ad libidinem incitavit.

XXXII. Audi quisquis ades, et summam, quam potes, diligentiam adhibe, ut ex hactenus allatis justorum exemplis, mutuaque eorum charitate laudabilem vitam instituas, atque inde discas neminem insano studio prosequi, nec indecenti ulli amori acquiescere; utrumque enim turpe tibi est et ignominiosum. Toto semper pectore incumbe, ut tuus omnis amor Deum uti finem respiciat, isque nulla

terrenæ affectionis impuritate vilescat. Dei amor noxas excludit; terrena vero affectio noxas nec videt, nihilque in ipsis a se arcessendis elaborat.

XXXIII. Huic præ cæteris providendum omnibus est, ne distorta et prava erga uxores, aut alios sibi quantumlibet charissimos affectione, ab erroribus corrigendis impediantur. Id refutant illustria antiquorum Patrum exempla, quorum hic nonnulla subnectimus. Uxoris peramantem extitisse Jobum nullus audet in controversiam vocare : tamen postquam imprudenter locutam mulierem animadvertit, quamvis ulceribus macieque extabesceret, eamdem de sua stultitia ac deliratione acriter increpavit. Rachelis amantissimus Jacob fuit; verum hic amor non levitatis aut vanitatis erat, sed sodalitatis atque prudentiæ. Quamobrem ubi Rachelem sibi liberos flagitantem audivit, ipsam de sua ambitione tali responso corripuit : « Num pro Deo ego » sum, qui privavit te fructu ventris tui [1] ? » Quæ sane duriuscula objurgatio fœminam in amoribus moderatiorem reddidit, et in petitionibus cautiorem. In petitionibus quidem; nam laudatorum verborum vis eo potissimum spectat, ut solus Deus bonorum omnium fons sit et origo, ob eamque rem prolis fœcunditas non erat ab homine requirenda, sed ab ipso bonorum auctore humiliter imploranda. Neutiquam proinde dolendum nobis est sive preces Deus admittat, sive rejiciat, sed mens debet nostra ad divinam semper voluntatem accedere.

XXXIV. Res est minime dubia Deum esse mortalium amantissimum studiosissimumque, cujus charitatis indicium est manifestissimum continuata illa auxiliorum et providentiæ series, qua humanam imbecillitatem egestatemque sustentat. Tantam tamque sublimem erga nos benevolentiam in odium conversam sentiunt quicumque nil

[1] Gen. xxx, 2.

sibi triste ex suis maleficiis accidisse temere prædicant. Quos Deus amat corripere solet et castigare. Quod etsi quotidiana experientia constet, non desunt tamen ad rei veritatem comprobandam antiquitatis monumenta. Moysem qui intuetur, in eo expressam divini amoris imaginem cernit. Atqui in divino isto amore tanta æquitas fuit, ut quæ laude digna gessit, Deus comprobaverit; vitia vero dura in ipso animadvertione reprehenderit. Davidem insuper sibi rebus omnibus conjunctum mirifice complexus est; verum intima istiusmodi consuetudo nihil obstitit quominus turpiter lapsus, divinæ indignationis acerbitatem experiretur. Unde duris sub flagellis expiato scelere, posteritati insigne prudentiæ exemplum ad imitandum reliquit. Nec audiendi sunt, qui correptionem, utpote aliquid acerbitatis præferentem cum charitate minime cohærere, ideoque non omittendam modo, sed abominandam esse dictitant; quasi ægrotum ii oderint, quorum curæ omnes in hoc unice evigilant, ut ipsum sanent. O sinceri amatores, qui pereuntes amicos deserunt! O præclari medici, qui ne ægrotum exturbent, ipsum perire malunt, quam convalescere! Ergo-ne terram oderit agricola, si diutius infructuosam indefessa exercitatione ad frugem reducat?

XXXV. Jacobum, in cujus mentionem nuper incidi, uxorem ob infœcunditatem reprehendisse credendum non est; sed potius ob ineptam quamdam opinationem, qua se Deo gratam esse putabat, dum interim omnem assequendæ prolis fiduciam deposuerat. In hoc stat prudens conjugum virtus, ut mutuum amorem mutua correptione confirment. Hinc animadversione dignæ sunt insidiosæ illæ uxores, quæ sub amoris tegmine malitiam involvunt et artificia. Talis nempe amor ubi insidet, ibi plurima vitiorum seges pubescit. Absit hoc ab uxoribus malum, ut virorum benevolentiam impudico ornatu, aut veneficiorum ope sibi con-

cilient. Hujus enim furfuris mulieres inter adulteras a Deo optimo reputantur.

XXXVI. Nostras Deus animas arctissimo sibi amoris nexu conjunxit, eo plane ordine, quo Rebeccam Isaaco Abrahæ filio in uxorem copulavit, ob eamque rem intolerabilis est earum infidelitas, quæ præstitam viris jurejurando fidem toties abruperunt. Quod injuriæ genus æque odiosum est, ac si in divinam ipsam majestatem directo impingeret. Hæc autem, quam viro denegant, fides cui tandem devolvitur? Nempe furi prædonique scelestissimo; Deus vero infami simulacro, aut hariolo injuriose postponitur.

XXXVII. Quotquot itaque me auditis, mulieres, cavete ne propter impudicitias a Deo recedatis, nec adulteriis vestros thalamos contaminetis. Omnem date operam, ut unicus sit vobis vir, et vestra omnis fiducia in Deo tantummodo collocetur. Videte ne callidissimi serpentis astu circumveniamini, cui nihil gratius accidit, quam ut vestri conjugii puritatem non tam pestilentissimo halitu, quam veneficiis, immundisque balneorum lotionibus labefactet. Quod si suis vos artibus aliquando irretitas teneat, tunc vestras mentes ad veneficia, quæ sanæ sunt libidine enormiora convertet, ut quibus scortorum familiaritas displicet, fascinationum placeat exercitatio, et sic connubia vestra nunquam peccato careant et ignominia. Quis siccis oculis intueatur tot christianas conjuges præstigiis deditas, in balneis sordentes, chaldaïcæ superstitionis tenacissimas, quibus nulla est ad facinus verecundia? Cunctas dæmon fefellit, in fraudem induxit; nec conjugum tantum, sed et puellarum, integerrimarumque virginum corpora passim corrupit vitiavitque.

XXXVIII. Hæc præcipua ea sunt, quibus communis adversarius fœminas oppugnat, artificia. Pergam modo in-

sidias hominibus ab eodem instructas retegere, quos, si præsentes sint, ad scelus adigit; si absentes, pravis implicat cogitationibus. Nos valido armorum apparatu invasit, ut vinceret ac profligaret. Quosdam ingluvie, quosdam vero arrogantia expugnat. Famelicos intemperantia, jejunos segnitie, impuros libidine, castos invidia superat. Homicidas ferro jugulat; loquaces lingua, inertes operum deformitate perdit. Impigros, si qui sunt, voluptatis stimulis sauciat; lascivos veluti lutulentos sues in cœno agitat; mansuetos denique inordinato quodam studio et anxietate sollicitat.

XXXIX. Hic perditissimus hostis, ut vidit suas Deum divitias hominibus elargientem, ærarium etiam patefecit suum, muneraque ex illo de prompta singulis dispensavit. Fastum aliis, aliis cordis duritiem, nonullis aliorum contemptum, nonnullis ludibria ac subsannationem obtulit. Aliis sociorum oppressionem, aliis oculorum immodestiam dedit, et ipsos sinceritatis azymos nequitiæ fermento coinquinavit. Castitatis cultores incontinentiæ aculeis perstrinxit, integrasque mentes suavibus blandimentis ad voluptatem illexit, et velis remisque contendit, ut qui virtutem sectabantur, ad vitia confugerent; quamvis, ut vera fatear, non desint qui ipsius potentiam deriserint, ejusque perfidiam omnium oculis subjecerint.

XL. Superbos per triumphum ovans ducit, ab humilibus vero proculcatur. In helluones libere insultat, sed a jejunantibus funditur. Laqueos undedaque disseminat, in iisque aptandis operosius incumbit, quin ex suo labore minimam molestiam capiat, dummodo vel unicam animam lucrifaciat. Eheu nos infelices, quibus cum metuendo dimicandum est gigante, qui fere nunquam discedit, quin nos in terram stratos prius videat! O beatos fortunatosque, qui immanem hanc belluam obtriverunt? ecce enim eorum capita regali diademate coronantur.

XLI. Istud porro regale diadema, et immarcescibilem coronam gloriæ nobis ut plurimum præcidit caducarum rerum inordinata cupiditas. Insidiæ ubique sunt inextricabiles; nostra tamen improbitas huc illuc libere volitat. Exitium undique paratur nostrum, nos mollitie diffluimus, et florum arborumque amœnitate distenti, cogitationes omnes in hortorum cultura ponimus. Nostros animos auri fulgor ædiumque magnificentia fascinarunt, ideo excidium sponte quærimus et amamus, nullumque adversario negotium facessimus, ut volentes irretiat. Quia dignitates supra modum affectavimus, nobis violentiam intulimus, ut vel inviti in laqueos incideremus.

XLII. Laborat primo dæmon, dum malorum operum semina in nos jacit; postmodum vero assuetas suo jugo cervices pro libito flectit. Væ nobis, qui ab hoste vilissimo per summam socordiam tarditatemque vincimur! Proh nos iterum atque iterum beatos, si audacissimum hoc monstrum, viribus autem pene destitutum conteremus! Nullus timori locus inest; oculos enim retorquere in nos potest, mordere autem non potest. Quæ diabolica infirmitas ex ejus calliditate clarius arguitur; nam si viribus valeret, ad quid tot fraudes, tot versutiæ, tot machinationes, nisi ut hæc suppleant, quæ virtuti desunt? Agesis modo, quisnam non florentem eum dixerit, penes quem stat plena vincendi libertas, adeo ut tum victoriæ adeptio, tum hostis ruina ab ipsius tantum voluntate pendeat? Heroïbus ob adeptam victoriæ palmam debentur triumphus ac corona. At tanto honore jure optimo privantur, cum desides palmam victoti cedunt. Suas dæmon vires a voluntate desumit nostra, cui eadem videtur inesse virtus, quam olim Moysis habuerunt manus, Israëlitis cum Amalec decertantibus; quas usque dum ad cœlum erectas tenebat, vincebat Israël, easdem si modice inclinaret, cuncta prospere Amelecitis

procedebant. Qua sane divina historia nihil est ad rem congruentius. Cum enim ex superius dictis tota hostis fortitudo ab humanæ voluntatis arbitrio capiatur, sequitur ut ipsa possit hostem vel frangere, vel roborare. Quibus ita se habentibus, nulla excusationis venia dignus est quicumque de acceptæ cladis acerbitate conqueritur. Quorsum enim robur adversario præstitit? Cur ipsum, cum liceret, conterere prætermisit? Non est igitur quod doleamus, dum nos nostra libertas opprimit, dum ferro concidimus nostro, dum nostra prætereuntium rerum cupiditas nobis laqueos ad perniciem innectit. Hæc, de qua loquor, cupiditas exitium illud est, quod sordidus inferni incola in thalamos ipsos castissimos intulit, cujusque causa sanctissimorum virorum animus ex sublimi domicilio depulsus est, et in terram demersus. Perfidus insidiator fragiliores adortus viros, disjecit pessumdeditque; cautos vero mercatores non ita; horum namque naves pretiosis onustas mercibus, nec scopulos nec procellas metuere; ideo secundis ventis cursum tenentes suum, in portum feliciter appulerunt.

XLIII. Ad summam Deus perfectionem mortales extulit, ut Angelos, quibus naturæ ordine pares esse non poterant, spiritualibus virtutibus imitari conarentur. Purissimos hosce ordines eo consilio providentissimus ille sanxit, ut humana infirmitas angelici honoris studio conflagraret. Quod cum dæmonem minime lateat, totis viribus lacertisque instat, ut nos ex illustri ista dignitatis sede deturbet, et ad imas abyssi fauces deprimat. Hoc quam crebro accidat, consulite illibatas quasque virgines, castas conjuges, et insignes pietatis fama viros. Hi omnes sursum velociter tendebant; jamque cœlum pervasuri, communem nacti sunt hostem, qui omnes ab incœpto cursu revocavit, præsentiumque voluptatum ponderibus pressos, ad terram præcipites traxit. Nobiscum vero, qui humi prorsus infixi

nusquam cœlum suspeximus, aliter se gerit. Lubricum ancepsque fingit ad cœlum iter, ac si illuc nos insistere, aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix possemus; sicque efficit, ut mens nostra objectis difficultatibus territa, nihil sublimis, nihil divini cogitet, proindeque ad possessiones ædes oblectamenta pecunias cæterasque ludicras sollicitudines se totam convertat. Præsentis, absentisque lucri esca avaritiam nutrit suam. Hinc pericula in viarum compitis, pericula in mari, nullibi demum inveniri potest locus, in quo procul a metu quilibet consistat.

XLIV. Est in mercatoribus, sive hi in portibus, sive intra domesticas officinas degant, ipsa lucri aviditas auctoramentum usuræ. Cæteri omnes sive juga, sive valles accolant, omnia ad lucrum referunt; tantaque est hominum stoliditas cæcitasque, ut deficientes auri acervos mira quadam anxietate custodiant; veritatem vero fidam itineris sociam ejiciant. Cæterum non quidquid cupimus licet. Varia multiplexque hominum natura variis diversisque affectionibus impellitur. Hæc affectionum disparitas indita cuique ab auctore naturæ est, ne una eademque vice singuli deperderentur. Nec propterea interiori omni impulsui obsistendum est indiscriminatim : fugiendum solummodo quidquid impurum sapit, utpote quod dæmoni præbet, quibus nos superet, vires. In hoc stat plenæ summa victoriæ, ut contra calcitrantes stimulos insistentes, eos cogamus rationi omnino parere.

XLV. Sunt, qui luxuriam fugiunt, ventri tamen intemperantius indulgent. Alii furtum oderunt, sed arrogantiam amant. Alios auri studium detinet, a libidine vero abhorrent. Alii delicias spernunt, sed ebrietati dediti sunt. Quidam ab adulterio procul absunt, sed simulationem in visceribus medullisque condunt. Hic nugis delectatur, ille contumeliis; hic jurgia seminat, muneribus ille corrumpi-

tur. Est, qui vitio aliquo superior existit, cum in alio assidue volutetur. Hic ab una est reprehensione remotissimus, in alia autem turpiter versatur. Qui laqueum unum evadit, in alterum offendit. Vitia quippe sunt innumerabilia. Homines paulatim decipiuntur, et ex parvis principiis ad maxima crimina deveniunt.

XLVI. Cum in servitutem quempiam redigere sibi hostis proposuit, mature inspicit, in quod vitium pronior ipsius natura propendeat, ut dum propriis vinculis oblectatur, perpetuo in servitute maneat. Scit enim versutus et callidus adversarius, si nos ingratis vinculis obstrinxerit, fore ut, illis celeriter confractis, in libertatem nos vindicemus. Quamobrem jucundos cuique injicit laqueos, ut illos libentius retineat. Potest tamen, divina opitulante gratia, mens sese ex inimici retibus explicare. Quod quidem perraro accidit, quoniam, quæ nos obstrictos tenent, vincula diligimus atque osculamur, et servitute ipsa inflati tanquam liberi exultamus. Qui invidia æstuat, quia a libidine remotus est, se liberum credit; et calumniator, quia rapinas aversatur, se probum existimat. Sua plerique vincula ignorant, nec quomodo vincti teneantur animadvertunt, ebriorum instar, qui vino madidi ac temulenti, nec vinciri se sentiunt, nec vincula ipsa perspiciunt.

XLVII. Contemplare igitur, sodes, nexuum, qui te premunt, naturam; nam si duri ii sint atque tenaces, eosdem insanissimum esset consilium contemnere; si vero leves, cur non ipsos disrumpis? Quod si te in hoc domestico bello non ita gesseris, illi, qui certamen spectant tuum, te uti desidem irridebunt; mollibus quippe nodis resecandis impar cum fueris, ex gravioribus non ita facile te evasurum vident. Tibi itaque in hisce difficultatibus constituto unicum orationis effugium relinquitur; qua si opportune utaris, infirmus quanquam sis virtuteque carens, vincula

omnia, aranearum telæ instar, cito dissipabis, tuoque lictori illudes, qui scelerum conscientia tortus amissam dolebit, quam frustra hominibus adimere tentaverat, libertatem. Quapropter, quos potens fortissimaque constringit manus, propriæ imbecillitatis excusatio defendit; nulla autem venia dignus est quicumque ab imbelli timidaque vinciri se patitur.

XLVIII. Quid modo dicendum de nobis est, qui, amissa toties libertate, mutuo in nostram servitutem insultamus? Omnes dæmon exsibilat, nec injuriam curamus : sub iniqua gemimus tyrannide, quæ tamen nobis est ipsa libertate dulcior. Nos in tetro dæmonis poculo mersi nihil laqueorum asperitate commovemur; sicque fatuis ipsis dementiores sumus, qui funiculis obligati aliquod præferunt tristitiæ indicium, quod tamen longe a mente abest nostra servituti quotidiana jam consuetudine assuefacta. Proh! quam ingeniosum est nostri venatoris artificium! Nos siquidem tam delicate nectit, ut ne levem quidem percipiamus doloris sensum; quin et pro dolore dulcedinem sentiamus. Venenata, quibus nos ferit, jacula mira cum suavitate conjuncta sunt, qua nos languidiores facti, omnia ad corporis commodum referimus, et nostra nobis manu mortiferum laticem propinamus.

XLIX. Præda onustum quotidie cernimus adversarium; nos ejus fraudes nec timemus nec evitamus. In hoc potissimum tota hostilis calliditas incumbit, ut dum inextricabilibus impedimur retibus, solutos omnino esse nobis persuadeat. Hinc ubi nos ad veræ lucis serenitatem, divinæ gratiæ ope reviviscere accidat, bonum quasi mancipia fastidimus; facti autem liberi ac domestici Dei, ad pristinæ servitutis ignominiam revertimur. Alienum putamus nostræ esse dignitatis virtuti famulari; unde ad vitiorum clientelam deficimus, et charitate des-

pecta, ad invidiam confugimus. Quo cognito, dæmon, qui parem in astu habet neminem, facilem nobis ad malum sternit viam; illam vero, quæ ad vitam reducit, impedimentis obsidet, ne ullus eamdem iterum repetat. Beatus ille merito censendus est, qui, cum in præceps urgeretur, nunquam a recto tramite declinavit. Beatus, qui dexteram tenuit, nec ad lævam respexit; ipsum enim justissimus Dominus ad dexteram suos inter familiares collocabit. Latet scilicet sub dextera et sinistra certum nostræ religionis sacramentum. Ejusmodi enim nomina in hominum memoriam reducunt binas illas sedes, quas ipsi erunt aliquando occupaturi. Et quemadmodum justi ad dexteram constituti ad lævam transire non poterunt, ita nefas est te nunc de sano curriculo deflectere, animumque ad iniquitatem transferre. Quod si aliter feceris, fere non dubito quin et tu in illorum numero propediem recenscaris.

L. Te non ignorare arbitror dæmoni nunquam in dextera se recipere licere; quorsum ergo ipsius amicitiam tam cupide appetis? Certum hoc tibi sedeat tuam insaniam, quam modo tam stolide ostentas, te ad lævam quantocius adducturam. Tunc vero, quas leves, quasque letales contraxisti noxas, suo quæque ordine disponentur; et quamvis unica tantum labe sordesceres, totus tamen ad sinistram expelleris. Ii profecto prudentes cautique sunt dexteræ filii, qui assiduo cavent, ne cordis munditiem impuri afflatus e sinistro latere exhalantes corrumpant, et innocentiam labefactent. Hic scopus est, quo totæ adversarii artes referuntur, ut nimirum nos vinctos suum ante currum ducat, et cum sociis suæ partis sectatoribus ad lævam compingat. Deus autem multifariam nobis ad se vocatis gratum statuit jugum; neque patitur, ut supra id quod possumus tentemur, sed virium, quas nobis tribuit, rationem habet; pro virili igitur niti quisque debet, ut,

quam cupit mensionem, eam studeat bonis sibi operibus comparare.

LI. Quo tempore tabernaculum ab Hebræis constructum fuit, singuli tum divites, tum pauperes aliquid muneris offerebant. Pro suis quisque copiis largiebatur, alius aurum, alius argentum, alius berillos, alius margaritas, pauper pilos aut pelles; fœminæ locupletes sericum, inopes viduæ tincta vellera; atque ita universus tabernaculi apparatus ex singulorum largitionibus conflatus, omnium munificentiam commendavit; Deus enim, ad quem hujuscemodi oblationes spectabant, tam pauperum, quam divitum, tam peccatorum, quam justorum vota suscipiebat, Id enim propositum sibi in animo erat, ut ostenderet se, quemadmodum oblata ad suæ habitationis constructionem probabat dona, sic preces et jejunia, nulla ætatis aut conditionis habita ratione humaniter admissurum. Spirituales proinde hostias materialia præfigurabant signa, ut invisibilia, per ea, quæ fiebant, intellectu conciperentur. Tauros deferebant divites, egentes vero pullos columbarum; maximum tamen oblationi pondus sincerus offerentis animus adjiciebat. Tunc enimvero grata minus Deo munera accidebant, quæ ab justis oblationum Domino perfunctorie solvebantur. Quo quisque justitia magis ac diligentia præstabat, eo gratior Deo aderat oblatio. Quod evangelica illa vidua obtulit duorum denariorum munus, gratissimum Deo extitit, pretiique tenuitatem animi integritas compensavit; nullam autem vim apud Deum obtinuit talentum divitis, quod fuerit a charitate destitutum.

LII. Siculi ergo inimicus noster variis nos occasionibus perdere ac devorare conatur, ita diversis totidem Dominus rationibus studet ad salutem perducere. Duorum denariorum munusculum beatitudinem donanti attulit; duo verba mordacius in socium jacta animam persæpe occidunt; et

quemadmodum latro unico confessionis verbo paradisi factus est civis; sic unica obtrectator calumnia fit perditionis filius. Moysis soror Maria, unica obtrectatione prolata, lepra nivis instar undique scatuit. Tales si pœnas mulier Prophetissa persolvit, quas iis constitutas esse dicemus, qui tot calumnias, tot blasphemias libere effutiunt? Adde quod Maria nihil protulit, quod esset a veritate alienum. At quia imprudenter sese in loquendo gessit, multam merito subivit, ut hinc discas tibi nefas esse, quamvis vera fatearis, sodalium tuorum æstimationem cujuspiam infamiæ maculis conspergere. Quem juste reprehendis, ne clanculum maledictis lædas. Seu palam, seu occulte fratrem corripias, cavendum tibi est ne tuorum verborum aculeis ipsius nomen obscures. Inutilis enim est justitia illa, cui dolus et malitia admiscetur. Sanctitas improbatur, quæ conjunctam habet impuritatem; inanis est castimonia, quæ mollitie diffluit, et fides præstigiis deturpata dignitatem amittit suam. Irrita est illa concordia, in qua simulatio apparet; despicitur liberalitas et oratio, cujus est jactantia comes; informe jejunium redditur, si cum livore aut indivia copuletur; vana est dilectio, quam immoderatum studium rerumque naturalium affectio sollicitat.

LIII. Perspice, amabo, quæ tuis objicit oculis hæc rerum patens universitas; et quæ in sacris regesta sunt Codicibus expendenda tibi operosius sume, et statim comperies deformem fieri veritatis elegantiam, quando cum improbitate versatur; mortiferum esse cibum, in quo aconitum latet; carnem alioquin mundam, communem immundamque evadere, propterea quod superstitione fœdatur. Ab externis interiora dignoscenda sunt; quæ sibi vicissim respondere oportet; aliter enim rectus partium ordo pervertitur. Id clare in mox laudata muliere constat, cujus exterior immunditics interius crimen manifestavit.

Ex aperta ipsius turpitudine occultum patuit scelus, ex illius pœna didicimus, quam turpe flagitium si obtrectatio; ex carnis corruptione vidimus, quam graviter detractoris animus sauciétur, et ex corporis ægritudine nobis animi languores innotuerunt. Ab exteriore homine se ipsam reformare didicit; nam quia fraterni illa fœderis jura perfregit, exterior corporis depravatio et fœditas, turpificati animi symbolum erupit, quæ singulorum membrorum a proprio corpore defectionem domesticumque dissidium excitavit.

LIV. Discamus itaque et nos quam Deo placeat concordia, et mutua benevolentia. Nam sicut plagæ nobis displicent, sic Deo invisa maxime est humanæ societatis corruptio. Ideo humanum corpus ob diversa vitia variis subjectum est morbis et immutationi, nostràque nobis membra inimica quodammodo efficiuntur, quia nempe nos a Deo fratribusque nostris desciscimus. Claudum perspice membrorum obliquitate peccatorum causa æquissime punitum; curatum autem, cum dolens ipsorum veniam consecutus est. Hujus infirmitatis causam si quæris, hæc certe non alia fuit, quam ipsius in Deum diffidentia, divinorumque præceptorum violatio. Et quoniam enormem constantissimo Dei amori, qui validum est nostræ mentis vinculum, injuriam fecit, idcirco in tot calamitates incidisse condoluit. Tunc infirmitatem agnovit suam, cum interior mentis labor ad corpus trajectus est, divisa inter utrumque concordia. Vix ac per unicum crimen divinam societatem abdicavit, ejus statim membra commota sunt, et in hominis perniciem conspirarunt; quorum exemplum secutæ interiores partes periculosam seditionem fecerunt.

LV. Hæc omnia ad evidentiam experta est soror Moysis, de qua mox agebam, quoniam sanctissimum fratrem pro se ipsa deprecantem omni contumelia perstrinxerat. Exi-

miæ fratris virtuti neutiquam parcens sordida tabe putruit; et cautior ulceribus facta, sero hominis, quem carpserat, virtutem agnovit; ejusque probitatem admirari altius cœpit, cum ipsius precibus ad pristinam redacta est pulchritudinem. Errorem corrigens suum Dei colloquium promeruit, et in ipsa pœnitentia flagella omnia conquieverunt. Quæ prius propius Deum attingere rebatur, remotissime ab ipso dissitam se esse vidit, et quæ plurimum accepisse putabat, fumum hausisse intellexit. Justus igitur Judex in contumeliosam Prophetidem merito animadvertit; detestatur enim linguæ procacitatem, quæ insipientibus solet esse ingenita mulierculis. Plurima Moyses signa et miracula ediderat; et tamen parumper lingua lapsus excidit e terra promissionis. Ingens periculosumque pelagus ipsum itinere prohibere non valuit; at unicum verbum temere prolatum ei tanquam murus obstitit, ne progrederetur. Si verbulo offendit Moyses, quem Dominus Pharaonis Deum constituerat, quo magis cœlestis regni aditum tua tibi linguæ petulantia occludet?

LVI. Ignis quamplures devoravit sacerdotes [1], quoniam cum re justi essent, verbis seditiosos se esse indicabant. Dum itaque tales tantique viri talia perpessi sunt, quibusnam flagellis suppliciisque torquebimur, nisi ignominiosum detrahendi institutum deseramus? Qui moysis honestatem laceraverant, hos omnes aut terra absorpsit, aut pontus ingurgitavit; impuros vero et adulteros integros incolumesque reliquit. Insignis ille exercitus dux, in cujus manu rex Syriæ Benadab incumbebat, pœnas inconsultæ loquacitatis dedit, cum populi pedibus in porta conculcaretur [2]. Et si, ipso admonente Domino, de omni verbo otioso reddenda est in judicio ratio [3], quid dicendum de contumelioso? Interim dum diabolus de hominum ruina, quam sibi inju-

[1] Lev. x, 2. — [2] 4 Reg. vi, 17. — [3] Matth. xii, 36.

riosis inferunt conviciis, exultat, majora molitur, sexcentasque alias nocendi artes insidiosus excogitat. Alios ut ære alieno obrutos detinet, alios ut sponsores pro alteris inducit.

LVII. Experientia ipsa nos satis docet hominem hominis sæpe causa interire, et qui nihil debet, communem habere cum debitoribus partem, Quo exemplo justorum impiorumque crimina patefiunt; justus in propriis rebus culpa vacat, in alienis vero non item. Si quis enim, eo præsente, veritatem seu oppugnet, seu irrideat, aut honestum quempiam virum vituperari audiens taceat, nonne vides hujusmodi sub silentio malitiam fraudemque delitescere, cum inepta sua taciturnitate impactas calumnias uti veras comprobare videatur? Id præcipue in regum aulis quotidie contingit; proceres enim delinquentem ipsum objurgare non audent; quem si forte sanior quispiam increpitet, jure-ne, an injuria nihil refert, ii, qui adsunt, increpitantis sermonem abrumpunt. Huic si procerum quis assentiretur, seu accusationi duntaxat interesset, paris cum arguente criminis reus fieret, eodemque cum illo supplicio mulctaretur. Quare prior ob linguam, posterior propter auditum interiret.

LVIII. Aperit calumniator os suum, tu subito illius monstra incredibili aviditate arripis, quamque is ore intentat stragem, eamdem auribus tegis tuis. Quod ex auditu concipis letale fermentum, hoc se in animam dilatante, totus interius subverteris. Exinde enim, per quosdam veluti tubulos, serpens Evæ claustra perrupit. Hominum hostis aliena oratione ad perdendos verborum parcos multoties utitur, et quos proprio ipsorum ore non læderet, eos per aures enecat, unde qui vivens actu est, cogitatione perit. Malignis spiritibus vera licet confitentibus silentium imposuit servator Dominus; verax quippe cum esset, renuit

mendaces habere promulgatores; sed sui adventus veritatem voluit per veros nuntios propagari.

LIX. Cur dæmonem exaudire noluerunt Apostoli, quos tantis jam extulerat præconiis? Ne nimirum castæ aures obscœnarum vocum sonitu polluerentur. Si diabolicas laudes, ceu exitiale aliquod, sanctissimi viri effugerunt, multo magis convenit, ut calumnias ejuremus. Rursus, cum constet adversarii potum mortem sub sua dulcedine continere, hunc quis non dicam sorbere, sed primoribus tantum labris delibare non timeat? Veritatis specie incautos fefellit dæmon; ob eamque rem ne veritatem quidem ab eodem Dominus audire voluit. Fructuosas æque ac steriles plantas alluit unus idemque imber, malisque herbis prodest, qui ex se bonus est, humor. Quo anguis vescitur, dulcem cibum protinus in amarissimam aloëm vertit; qua si quempiam aspergi accidat, tristi nece pereat necesse est. Pari modo veritas, quæ ex mendaci ore prodit, parum a fraude distat; dum prima cortice suavitatem ferens, intus acerbum celat ad simplices capiundos absinthium.

LX. Hujusce rei exemplo sit Judas Iscariotes, qui sub oris osculo et lingua pacem assimulante dolum texit, propriumque Dominum ac Præceptorem, qui cordis consilia noverat, nefarie prodidit. Si igitur mendax Creatorem ipsum seducere aggressus est, tu-ne de ipsius fidei sinceritate tibi blandieris? Adulantem nemo non videt, nisi admodum est excors. Projice, quæso, letiferum poculum tibi in immundo vase oblatum, cum non sit, qui lutulento cyatho labia admovere non horreat. Nullus equidem, si stupidos excipias, fallacibus credit strophis, quas non modo sancti oderunt viri, sed etiam ipse sanctitatis auctor Christus Jesus, qui obtulit semetipsum immaculatum Deo, mendaci vero aurem præbere noluit: acetum cum felle mixtum gustavit, aure autem non percepit dolum. Os pro-

ditori osculandum præbuit, at mendaci responsum non dedit. Tu quoque os tuum exosculandum maledico porrige, aures autem ne accommodes; nam si a perfido accipis osculum, hoc ejus perfidia condemnabit; sin autem mendaci assentiaris, certe verborum lenociniis cedes.

LXI. Satius tibi erit, si veneni et odorem et gustum evites. Quid fumum abs te arcere tantopere contendis, mendaci autem ultro adhæres? Ingratus tibi est male olens situs, et prope mendacem assides? Tibi nocet fumus, irrisoris exhalatio non officit? si nugæ ipsæ ac scurriles joci vitiosi interdum sunt, cur innocens putandus erit contemptuse t subsannatio? Singula corporis membra a noxiis omnibus diligenter servanda sunt, proindeque si corpus a libidine remotum est, lingua etiam verecunde loquatur; nam qui continentiam servat, mentiri potest, et calumniari. Si tuis e membris unum valeat, aliud laboret, totum corpus ægrotare dicitur. Hoc tibi ex similitudine a militibus mutuata clarius innotescet. Nonne totum militis corpus ferre protegitur? At si per tenuem aliquam rimulam sese jaculum insinuet, exanimatus illico miles concidit. Cum itaque mors per angustas loricæ scissuras penetret, cur non ipsa per latas aurium fenestras penetrabit? Ingens profecto est aurium hiatus, in quem scilicet mors ingressa cunctos animi sensus profligavit, et adhuc insatiabilis perseverat.

LXII. Sepibus vectibusque muniendæ sunt aurium fores, ne valeat calumnia introire. Magna vis calumniæ inest, nec ideo contemnenda quasi animum interficere nequeat. Ex volucrum aucupio disce haudquaquam spernenda esse, quæ videntur parva. Accidit enim, ut avis in laqueum incidens, parvula hæreat ungue, quin aliquid illi prosit alarum remigium. Summa unguicula, quæ nullius momenti est, capulo comprehensa, etsi reliquæ corporis

partes liberæ sint, totum tamen corpus impetitur. Idem in morbis patet, quos omnes singillatim enumerare quis valeat? O quoties levibus æger spretis, in gravissimum atque insanabilem morbum incidit! Quod natura ipsa plane ostendit, idipsum sacræ Litteræ testantur, gravibus scilicet, levibusque culpis statutam esse a Deo pœnam. Docet Apostolus homicidas, fures, maledicos, adulteros, ventri deditos, nunquam Dei regnum assecuturos [1], sed omnes justo Dei judicio æterna hæreditate spoliandos. In sacris etiam Prophetarum Codicibus notatum habemus levia crimina grave mereri supplicium. Quod ut scias, qua de causa Chanaan in maledictionem incurrisse putas? Nonne quia Justum irrisit [2]? Certe nullo alio graviori facinore damnatus est; sed ob leve ludibrium asperrimam illam sententiam pertulit.

LXIII. A rerum, quæ contigerunt, experientia doctus, Apostoli verbis sedulo animum adverte. Si propter audacem risum tantam sibi calamitatem intulit Chanaan, quis non subsannationes, tot malorum causas, aversetur? Justus enim ille a benedictionibus excludens Chanaan, et maledictioni addicens, judicium innuit, quod fiet illis, qui derisionibus delectantur. Si te ad inane gaudium calumniator alliciat, cave ne abducaris; nam Chanaan sub ipso gaudio sibi execrationem attraxit. Sapientissimum audi Salomonem te de irrisionis pravitate commonentem, quodque sub ipsa latitat explicantem; inquit enim: « Qui irri» det hominem, exprobrat factori suo [3]. » Hominis derisio Creatorem ipsum afficit; tu, quod in risu patet, solummodo animadvertis; quid autem in illos fraudis ac doli sit conditum ignoras.

LXIV. Justus ille Noë dolum agnovit, eumque inscio Chanaan minime retexit. Benedictionis beneficio filium

[1] 1 Cor. vi, 10, — [2] Gen. ix, 25. — [3] Prov. xiv, 31.

exuit, ut et tu, perspecta risus malitia, fratrem illudere desinas. A regno Dei maledicos exclusit Apostolus; sique placet, derisorum jacturas persequamur. Quid egit, aut in quonam peccavit Semeï filius Jemini? Num adulter erat? num latro? num patriæ hostis? Minime quidem; sola convicia in Davidem vibrata reum ipsum statuerunt. Proh! quam pessimum est tale vitium, ex quo calumnia profluit, qua verum cum falso promiscue consuitur. Hinc ex animo dolore percito contumelia oritur, quæ sagittæ instar gratis innocuos transfodit. Hoc venenatum telum in Davidem jecit Semeï, regem de Saülis cæde immerito insimulans; cum cæteroquin suam Saül incolumitatem a Davide obtinuisset. Quapropter juste de falso crimine damnatus est calumniator; qui cum terminos sibi a Salomone præscriptos transiliisset, reatum solvit, et cum linguam justum in hominem exacuisset, acutum in se gladium expertus est, atque ita tum in hoc sæculo, tum etiam in altero supplicium pertulit. Quis igitur linguam cohibere renuat, cujus mordacitatem duplex supplicium manet? Hac duplici pœna Apostolus in supra citato capite mulctandos maledicos, helluonesque asserit uti et mœchos et homicidas. Propter gulæ intemperantiam primogenita vendidit Esaü. Habes et tu primogenita tua, mentis nempe sinceritatem; cave ne tantum tibi honorem voracitas diripiat. Excellens est hominum dignitas; at quis crederet? Re minima et vili se ipsos produnt. Sinceritatem, dum puer es, ne extrudas; aliter stulti Esaü imitator eris. Audi rem stupore dignam, quomodo nempe verba factis præstiterint, et fides naturam superaverit. Primogenituræ munus, quod nullo modo eripi posse videtur, Esaü loquela abstulit, licet is crederet invisibiles benedictiones sensibilibus non amitti cibis. Quæ per carnem primogenita tribuuntur, Jacob per spiritum accepit. Quare obsecratio et fides natalium vicem supplevere;

corporea enim primogenita in spiritualia admirabili prorsus mutatione translata sunt. Nec est, cur genitricis uterus repetendus ambobus foret, ut exinde ad lucem denuo emergerent; nam si ita se res habuisset, videre nemini non licuisset Jacobum egressum primogenitum tot benedictionum præsidio ac comitatu, quarum jura tunc sibi jam comparaverat, cum fidelis benedictiones paternas per fidem impetravit.

LXV. Mira sane emptorem inter et venditorem intercedit disparitas. Hic damnum neglexit, hic autem utilitatem sensit. Indebitum naturæ contractum mercatores pueri sanxerunt. Esaü vendidit quod dimittere naturaliter non poterat; emit Jacob quod sibi assequi non licebat. At quomodo Esaü primogenita alienavit, quæ deponi nequeunt? Aut quomodo Jacob obvenit, quod ab Esaü inseparabile erat? Quod si mercatura, quam pueri isti exercuerunt, adeo naturam superat, ut explicari non valeat, quis audeat ineffabilis Unigeniti generationem investigare?

LXVI. Dic mihi rursus, cur Jacob a Manasse in Ephraïm transtulit primogenita? Nonne, ut illi gloriam et decus accresceret? Primogenitura muneribus eximiis, et innumerabilibus cumulata est. In hac baptisma descriptum est, in hac fides est obsignata, hæc sanctitatem enuntiat, et castimoniæ figuram gerit. Hanc pretio mercatus est Jacob, eamque gratis Ephraïm transcripsit. Qua quidem in re nec Manasses culpandus est, nec ascribendum Ephraïm justitiæ, nec largientis auctoritas vituperanda. Quis ex vulgo Largitorem arguat, e cujus sola liberalitate prodeunt quæcumque nobis conceduntur dona? Quæ penes ipsum est potestas absolutissimumque rerum omnium dominium hic apertissime demonstratur. Quisnam divinæ ipsius voluntati parere abnuat, aut resistere non vereatur?

LXVII. Nullus sit ergo, qui primogenita reprehendat. Quod si Judæi id facere audeant, reprehendant prius, quod Manassæ adempta fuerit. Nam qui ipsam abstulit, in nihilo peccavit, cum plenam hac super re potestatem habuisset. Eamdem porro ab iis repetivit, ut sui judicii æquitatem manifestaret. Quod si jure argui nequit Jacob, quod a Manasse, viro cæteroquin integerrimo, primogenita repoposcerít, quomodo quisquam ausit illum reprehendere, qui ut justus Judex primogenitura Judæos deicidas orbavit? Neque vero in tanto pretio habendum erat Jacob munus, ut primogenituræ valorem exæquaret, et tamen jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esaü primogenita extorqueret. Cum enim jurejurando se obstrinxisset, noluit dejerare, ne forte fidei violator, et perjurus communiter haberetur. Pactioni mendacem inter et veracem stetit mendax; quo magis tibi standum est promissis illis, quæ in angustiis positus adjunxisti? Esaü ab iis, quæ cum detrimento suo pepigerat, recedere noluit, et tu fœdera, quæ pro salute tua pepigisti, audes violare? Herodes, quod in perniciem suam promiserat, servavit; et tu, quod æternæ vitæ gratia promisisti, non servabis?

LXVIII. Agitedum, fratres, et non solum a pravis abhorrere operibus satagamus, verum ea omnia verba, quæ nos in malum inducunt, vitare curemus; nam et verba, ut audistis, suo effectu non carent. Unum quidem verbulum primogenitura spoliavit Esaü, nec non in illius idem dominium introduxit atque constituit Jacob. Cædis instar est contumelia, et lingua non minus nocet, quam gladius : cogitatio et sermo impudicus inquinat, ut adulterium. Occulta simulatio tanquam laqueus tendit insidias, pravum consilium veneno perniciosius est accipientibus. Quod si verbis Esaü suam amisit primogenituram, num quispiam suam labefactare castitatem loquendo non pote-

rit? propriam utique quisque probitatem animique candorem deturpabit, si animum habeat mendaciis et dolis implicitum. Iterum si infidelis uno tantummodo verbo a religione desciscere potest christiana, siccine ore fidelis eam non reparabit profitendo? Quæ in medio proferuntur verba, reipsa executioni mandantur; improba deliberatio perinde atque opus malum damnatur. Oculorum immodestia nos ad impudica inducit facinora. Dum iracundia ut gladius ferit; invidia telo gravius vulnerat, exitii foveam calumnia struit.

LXIX. Malas cogitationes fugiamus, cogitata non aliter ac facta censentur; bonis igitur cogitationibus delectemur, quibus operum merces proposita est apud eum, qui consilia cordium explorat; operis instar consilium est; in eo enim arbitrii nostri ratio nititur. Quemadmodum autem voluntas in Deo ipsa est operatio, ita nostram voluntatem, quasi actionem excipiet Deus. Suum quæque res contrarium habet: lux tenebris contraria est, amaritudini dulcedo, vigilia somno, satietas inediæ. Qui fecit hæc omnia, nihil reliquit, cui non contrarium adjunxerit. Si mortalis homo arte sua contraria inter se componit, et adversus laborem quietem admovet, remediaque et medicamenta terra marique conquirit, ac suam cuique morbo, ut res tempusque postulat, prudenter adhibet curationem, nec non cætera necessaria sibi providet, quanto magis immortalis ille rerum omnium procreator Deus ordine suo cuncta disposuit, atque ita moderatus est, ut in promptu sint, quibus se quisque ab inimicis et adversis defendat?

LXX. Habes igitur arma, o homo, quibus adversus omnes hostes et adversarios tuos utaris; hæc tibi ad salutem data si spreveris, victus, in judicii die, quomodo te excuses non habebis. Adsunt nobis contra illius machinas varia armorum genera. In nos ille si tela ignita contorserit,

habemus et nos orationis clypeum inexpugnabilem; quod si illecebris nobiscum decertans aucupari nitatur, ad jejuniorum inaccessibilem arcem confugiamus. Si pravæ invidentiæ bellum intulerit, sociam in pugna animi dilectionem assumamus. Si nos iniquitate captivos ducere conabitur, ad justitiam confugientes saluti nostræ consulamus. Si te per malitiam vulnerare studuerit, ad fraternam accurrito charitatem: si te per arrogantiam oppugnabit, humilitatem opponito : si adversus te corporis cupiditatem incitaverit, temperantiæ thoracem induito. Si te lasciviæ sagittis petiveris, galeam sumito castitatis. Si nos divitiarum cupidine stimulaverit, paupertatis habemus beatitudinem : si gulæ vitio nos adoriatur, jejunii alas assumemus. Et quoniam invidia eversionis est causa, præsto aderit charitas, si velimus, quæ corrigere possit et ædificare : ut enim illi sua sunt arma ad oppugnandum, sic nobis adsunt ad imbecillitatem defendendam nostra. Si ut captivans adveniat, in promptu sunt, quæ nos tuebuntur, fortissimæ arces : si ut Pharao induretur, adest, quæ illum pessumdabit, divina vis atque robur. Si Ægyptiorum instar persequatur, adest mare, quod eum submerget. Si in terra laqueos celaverit, eos Dei misericordia deteget. Si ceu Goliath minitetur, et infremat, haud longe abest illius debellator David filius. Si ut Sisara elatus intumuerit, per Ecclesiam e medio tolletur. Si ut Sennacherib bello nos premat, sacco et cinere superabitur. Si tyrannum babylonicum fuerit imitatus, sanctus non deerit Daniel. Si ut Naaman efferetur, sunt, qui eum proculcant, jejuni. Si luxuriæ flammam accenderit, aderunt qui castum Josephum imitentur. Nullus ejus conatus a nobis non dissolvetur, nulla sunt illi vincula, quæ non disrumpantur a nobis. Nulli sunt morbi, nulla vulnera, quibus sua non adsint remedia et medicamenta :

quam ille rubiginem obducet, cui discutiendæ non sit fornax præparata?

LXXI. Ecquod ille damnum intendet, cui repellendo non adsit auxilium? quas parabit insidias, quæ nobis non sint manifestæ? quam machinam molietur, cui evertendæ non sint idonei vel idiotæ? quas afferet vires, quæ nequeant vel a fœmina superari? Fornaces instruxit, at illas pueri extinxerunt. Lacum effodit, at eum Daniel contempsit, Quales libidines agitavit unquam, quas non compescuerint Josephi commilitones? Epulas paravit, at eas neglexere Ananiæ comites. Superbiam sevit, at illam Moysis humilitas conculcavit. Auro Naaman adulatus est, at illud sprevit Elisæus. Simon pecuniam obtulit; sed meritam in illum Petrus sententiam pronuntiavit: « In suo inhabitavit Apostolo Christus, et in suo Satanas auditore commoratus fuit. »

SERMO.

De amore pauperum.

I. Huc agite ergo, fratres, contemnamus hæc momentanea, omnemque cogitationem æternis illis bonis, nobis promissis, defixam habeamus. Studeamus hoc, priusquam advesperascat, nostraque hæc panegyris solvatur. Faciamus nobis amicos ex mammona iniquitatis: pro testibus multos pauperes acquiramus, a quibus nobis oleum emamus, præmittamusque: illi namque oleum pro lampadibus vendunt, quales sunt viduæ, orphani, impotentes, debiles, claudi, cæci, leprosi, et quotquot præ foribus Ecclesiarum consident pauperes: hos foveamus juvemusque; nam judicem ipsi nobis conciliant. Caveamusque ne

nostrum ab iis vultum avertamus, qui nos adeunt; quin et hilares potius obviam illis occurramus; ad infirmos autem emittamus : quod priori majus erit. Unusquisque in Ecclesiis de pauperibus, atque peregrinis inquirat, offendensque eos, suis excipere studeat ædibus, et reficere. Ante omnes etiam alios cupidos, quisque pauperes sibi præripere studeat. Etenim cum paupere domum una ingreditur Christus, qui propter nos factus est pauper : « Talibus » enim hostis promeretur Deus [1]. » Quod si, « Qui Prophe» tam accipit, mercedem Prophetæ accipiet [2], » quam ergo mercedem accepturus est, Christum ipsum suscipiens? Perspicuum sane id, quod scriptum est : « Quæ oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascende» runt [3]. » Qui pauperem suas in ædes induxerit, Christum ipsum secum adduxit, qui ait : « Beati misericordes [4]. » Qui miseretur pauperis, Deo ipsi hoc totum ad usuram tradit, qui dixit : « Quod fecistis uni ex minimis hisce, » mihi fecistis [5]. » Qui peregrinum suo sub tecto excipit, Christum ipsum suscipit dicentem : « Filius autem hominis » non habet ubi caput reclinet [6]. » Hæc et his similia, pœnitentiæ sunt fructus, corona, exultatio, ac Christianorum gloria, Non glorietur sapiens in sapientia sua, aut potens in potentia sua, aut dives in divitiis suis : sed quicumque gloriatur, in Domino glorietur.

II. Gloria vero Christianorum, Dei præceptum est. Gloria Christianorum, Apostolorum, et Prophetarum doctrina. Gloria Christianorum, humilitas animi est, spiritalis paupertas, atque obedientia. Gloria Christianorum, psalmodia cum compunctione. Gloria Christianorum, pœnitentia cum lacrymis. Gloria Christianorum, mansuetudo, et quies, omnibusque se submittere, ac reverentiam tri-

[1] Hebr. XIII, 16. — [2] Matth. X, 41. — [3] I Cor. II, 9. — [4] Matth. V, 7. — [5] Id. XXV, 40. — [6] Luc. IX, 58.

buere. Gloria Christianorum, pedes fratrum lavare. Gloria Christianorum est, dicere socio : « Peccavi tibi, ignosce mihi. » Gloria Christianorum, advenarum et peregrinorum est receptio, atque compassio. Gloria Christianorum et salus est, semper mensa sua pauperes, orphanos, advenasque excipere : hanc etenim domum Christus sua nunquam præsentia destituet. Gloria Christianorum est, non sinere solem occidere super iracundiam suam, neque inimicitia adversus aliquem obdormiscere. Gloria Christianorum atque corona est, tribulationes sufferre, et non indignari : talisque amicus reperietur illius, qui dixit : « Quoniam tribulatio vestra convertetur in gaudium [1]. » Gloria Christianorum est eos, qui in carcere sunt, visitare; cujusmodi sunt, qui in speluncis ac montibus terræque cavernis versantur; sicut verum decet discipulum illius, qui ait : « In carcere eram, et venistis ad me [2]. » Gloria Christianorum est, semper meminisse Dei, magnique diei judicii. Et cur non majora affero? Gloria Christianorum, et laus, salusque, rectæ fidei confessio est, et non condescendere, aut suffragari contraria sentientibus : verum servare mandatum et depositum immaculatum, irreprehensibile, nullaque hæresis fæce pollutum atque permixtum, usque ad apparitionem Domini nostri Jesu Christi. Hunc siquidem videns Dominus, dicet : « Ecce verus Israëlita, » Christianus scilicet, in quo dolus non est [3]. » In his oportet nos gloriari, fratres, et non in curribus, et equis, potentiis, atque divitiis.

[1] Joan. XVI, 20. — [2] Matth. XXV, 36. — [3] Joan. I, 47.

SERMO.

De humilitate.

Ejus, qui habet veram humilitatem, signa atque indicia sunt hujusmodi : Putare se ipsum scelestissimum omnium peccatorum esse, neque ullum fecisse bonum in conspectu Dei ; incusare se ipsum omni tempore, et loco, et operatione ; neminem fallere, ac existimare nullum esse in terra se turpiorem, aut improbiorem, sed omnes semper commendare, et laudibus prosequi ; minime judicare, aut spernere, aut obloqui unquam contra alios ; silere semper, et præter jussum, aut necessitatem nihil loqui. Cum vero fuerit interrogatus, et loquetur, aut necessaria causa urgente verba facere, seu respondere, placide, et quiete, ac raro, tanquam coactus, ac pudore suffusus, respondere ; in nulla re de se comparationem facere ; contra neminem contendere, sive propter fidem, sive propter aliquid aliud ; verum si bene loquitur, dic etiam tu : « Certe. » Si vero male disserit, tu videris. Habere subjectionem, atque execrari propriam voluntatem tanquam perniciosam rem ; habere obtutum suum semper in terra ; habere ante oculos suos mortem ; non otiosa, neque vana loqui, aut unquam mentiri ; majori non contradicere ; patienter ferre injurias, opprobria, damna cum hilaritate ; odisse quietem, ac laborem præoptare ; minime quemquam irritare, aut ferire conscientiam ullius. Hæc sunt indicia animi vere demissi : et beatus, qui hæc habet, quia jam ex hoc appellatur domus, et templum Dei, Deusque in ipso habitat, et regn cœlestis hæres factus est. Amen.

SERMO.

De humilitate et superbia.

I. Qui in aciem descendit, et victoriam hosti extorquere cupit, illustribus sanctæ humilitatis armis, veluti lata insignique lorica se muniat. Adversarii telum superbia est; hac potissimum ille cum progenitore nostro Adamo, et ejus posteris decertans vicit. Humilitas vero Christi telum est, quo ipse adversus dæmonem usus fuit, et cujus vi tyrannidis solio eum dejecit deturbavitque : illa ornati tectique tot divini Numinis cultores, immortalem sibi gloriam compararunt. Nec mirum, cum ipsa soleat unicuique quantumlibet imbecillo victoriam ac triumphum afferre. Nulla ergo interposita mora felicissimum hocce telum corripite, Christiani omnes, hoc pro certo habentes vos ita et palmam adepturos, et cœlorum regno potituros; cujus si in vestrum animo cupiditas residet, oportet ut humilitatem amplecti studeatis. Hæc compendiosior via est, hæc janua, per quam ad gloriam ingressus patet, hæc scala, cujus gradibus ad cœlum ascenditur. Humilitate comite immortalis Dominus e siderum vertice in terram descendens saluberrimum humanæ reparationis opus aggressus est; perque ipsam mortales e profunditatis abysso ad superiorum incolarum sedes gradiuntur. Ipsa præstante, bona possidentur; ipsa sustinente, discrimina evitantur.

II. Ipsa conciliante, Deus hominibus propitiatur; quia illius precibus multò facilius annuit, quam victimis cæterisque id genus oblationibus. Hac justi magis perficiuntur, pœnitentes beneficiis cumulantur. Hac reus quilibet ab-

solvitur, neque ullus est tam improbus peccator, qui non denuo gratiæ restituatur. Hic fons est et origo, unde bona uberrime effluunt ; ex superbia vero nihil præter angustias calamitatesque emanat. Quisquis humilitate præditus est thesaurum omnibus divitiis redundantem possidet; qui vero inaniter inflatur, is profecto ærumnis gravissimisque molestiis misere exagitatur. Humilitate peccatores perditissimi perfectionis apicem attingunt, a quo tamen superbia dejecti in fraudem turpiter impelluntur.

III. Quæ ut ita se habere luculentissime pateat, breviter admiremur dæmonum egregiam pulchritudinem, qua in ipsa creatione a Deo Optimo Maximo mirifice exornati præclarissimum sui spectaculum faciebant. Tantus profecto illis inerat splendor, ut nulla species, si divinam exceperis, excogitari posset ornatior, aut elegantior. At, quis crederet? Superbia non modo hisce dotibus expoliavit, verumetiam portentosa eos deformitate ac turpitudine inustos gehennæ incendiis perpetuo addixit. Contra vero, quis latrone scelestior? Attamen vix humilitate monitus se reum fassus est, statim æterna sibi tabernacula promitti audivit. Fatendum igitur est nihil inveniri tam sordidum, quod humilitate non expurgetur, nihil tam sanctum, tamque integrum, quod superbia non labefactetur.

IV. Quid plura? Ipse Dominus virtutum omnium principem charitatem esse constituit. Quis tamen charitate præstat, nisi prius humilitate excelluerit? Quicumque igitur inflammari charitate expetit, ad humilitatem confugiat necesse est, quæ non charitatem minus, quam fidem, spemque ipsam divino quodam privilegio comprehendit. Jejunium ipsius tantum beneficio ad justitiam disponit. Virgines hujus præsidio suam integritatem facillime tuentur. Ipsa eleemosynis vim tribuit, ejusque consilio supremo sacrificia Numini immolantur. Jejunium nisi ab humi-

litate derivetur, non modo nullam vim obtinet, imo vitium potius quam virtus censetur. Eadem plane ratione pudicitia ipsa si sit ab humilitate sejuncta, parum prope a libidine differt. Eleemosynæ nisi humilitate suadente erogentur, divino prorsus suffragio carent. Insuper nec sacrificia divinis Spiritus respicit, si humilitate destituantur. Iners ac somniculosus optimo jure habendus est quisquis sine ipsa vigilat atque orat. Qui vero demisse de se audit, quamvis graviter dormiat, ejus oratio Deo est acceptissima. Humiles etiamsi humanæ naturæ fragilitate in errores incidant, admissa crimina exiguo possunt labore detestari. Superbi autem justitiæ non modo jacturam faciunt, sed, quod deplorandum magis est, eo infelicitatis deveniunt, ut dura cervice Spiritui sancto obsistentes in ipsa pervicacia ac sordibus misere contabescant.

V. Nullus est mortalium adeo inhonestus, cujus maculas misericordia, fons ille purissimis undis diffluens humilitatis gratia abluere deneget. Et ut vera fatear, adulteram illam, cujus aperta in sacris Litteris mentio fit[1], sedulo animadvertite. Infinitis misera sceleribus obstringebatur, quidve consilii sibi capiundum esset ignorabat. In tanta animi perturbatione humilitatem complexa, ad Christi pedes sese abjicit, et veniam dolens poscit, quam piissimus Parens non modo impertitur, verumetiam digito ipso absolutionem obsignatam in Evangelii acta publice referri jubet. Hinc rei gestæ memoria præterquam quod in toto terrarum orbe huc usque viget, in cœlis etiam plausibus celebratur. Hæc porro beneficia, quæ sane maxima sunt, non aliunde nisi humilitatis beneficio fortunata mulier impetravit.

VI. Præterea nihil superbia detestabilius, nihil Deo injuriosius accidere posse ipsa Evangelii auctoritas gravissimis hisce verbis ostendit; « Omnis qui se exaltat, humilia-

[1] Joan. VIII, 3 et seqq.

» bitur[1]. » Et alibi : « Quod hominibus altum est, abomina» tio est ante Deum[2]. » Quapropter qui cœlestis regni amore flagrat, oportet ut humilitatem omni studio diligat; ipsa enim suapte natura homines ad justitiam trahit ac prope impellit. Qui justitiam appetit, immoderatum factum et arrogantiam cohibeat, cui in more positum est virtutes in clientelam vitiorum demittere. Quid? Experientia ipsa constat, peccatores pervicacissimos ad virtutem exiguo labore rediisse statim ac ad humilitatem confugerunt. Contra vero honestissimi permulti ex quo inflari cœpere, virtutum omnium longo sibi tempore partarum lacrymabilem se jacturam fecisse conqueruntur. Vos nunc, fideles omnes, Christum veræ humilitatis exemplar inspicite, cujus mansuetudinem non admirandam modo, sed et imitandam vobis proponite, cum sine ipsa fieri nullo modo possit, ut Deo placeatis. Quicumque humilitatem possidet, Christum reipsa possidet; qui vero superbiam, suo in sinu immanissimum monstrum, dæmonem videlicet, fovet. Qui humilitatem diligit, facile est ut Deum diligat; qui vero superbiam deperit, divinum sibi ipsi odium indignationemque concitat. Si quis amplam de hoste victoriam referre cupit, humilitatis armis utatur, quibus si eum instructum diabolus cernat, formidine perculsus fugam e vestigio capiet. Quisquis demum Domino pergratus fieri velit, humilitate amictus incedat; ut is tam præclare ornatus divinis amplexibus, et gratulationibus excipiatur, atque in cœlesti beatorum aula ad maximos honoris gradus ascendat.

VII. Cum igitur humilitatis vis tanta sit, ut qui ipsa septus in aciem descendit, spe victoriæ frustrari non possit, felix sit oportet, qui ipsa fortissimo veluti propugnaculo communitur. Ipsa enim et ab humanis cervicibus impendens exitium facile arcet, et infinita propemodum commoda

[1] Luc. XIV, 11. — [2] Id. XVI, 15.

omnibus præbet : puros integrosque animos a scelerum contagione removet, et sectatores suos divinis muneribus cumulatos, splendidissimi thalami hæredes instituit. Humilitas præterea Abelem in victimam Deo gratissimam obtulit ; Enoch in cœlum abripuit, atque ab humanæ mortalitatis conditione excepit ; Noachum a communi naufragio incolumem servavit, et Melchisedech ad summi pontificatus apicem extulit.

VIII. Ipsa Deum inter et Abrahamum arctum necessitudinis vinculum sanxit, ex quo nimirum Patriarcharum ille principatum recognovit ; ipsa ferrum in Isaacum strictum compressit, Jacob paternam benedictionem conciliavit, Josephum opulentissimo regno præfecit : Moysi, ob rerum gestarum magnitudinem, immortalem famam asseruit, Aaroni supremum sacerdotii culmen, Josuë principatus auctoritatem detulit, Davidi sceptrum, Gedeoni victoriam, Nephtali robur tradidit ; Ezechiam diuturna ægrotatione prope confectum pristinæ valetudini restituit. Eliam igneo ad cœlum curru extulit ; Elisæo spiritum, Samuëli oleum præstitit ; Esaïæ superiores species contemplandas objecit ; Jonam a maris fluctibus exemit ; e lacu leonum Danielem vindicavit : ac uno verbo priores posterioresque sanctisimos quosque viros extulit, et illustravit. Quæ cum ita sint, humilitatem, quæ fons est, unde quibusdam veluti rivulis fausta nobis omnia uberrime promittuntur, avide arripito quicumque christiano nomine præfulges, hoc pro certo habens, illam veras tibi divitias atque opes allaturam. Ipsa facilem tibi ad Deum aditum sternit ; te Angelorum consortio participem efficit ; occultissima quæque mysteria, quæ humanæ rationis imbecillitate percipi nequeunt, apertissime explanat ; nec non hebetatam mentium aciem miro sapientiæ lumine collustrat. Ipsa tumentium fastum deprimit, tuæ gloriæ indefessa vigilat, intentatam tibi perniciem

depellit, puris animum cogitationibus excolit, eoque sua studia omnia respiciunt, ut te ad perfectionem adducat.

IX. Si pronus ad iracundiam sis, ad mansuetudinem revocat; si te aut æmulatione, aut obtrectatione, aut impudentia trahi animadvertat, statim pullulantia ista vitiorum capita radicitus amputat. Ibi lætitiam alacritatem quietem immittit, ubi antea turbulentissimæ tempestates excitabantur. Te, o Christiane, omnium amore studiisque dignissimum, et, quod sane maximum est, Deo gratum efficit et amicum. Incredibilem tuo ex aspectu voluptatem Beati omnes percipient, immanissimus autem tenebrarum princeps, tuæ felicitatis invidia fractus, in luctu ac squalore misere jacebit; omnesque illi, qui diuturnis irarum fluctibus æstuarunt, magnam ex tua serenitate doloris materiem capient; persuasum nempe iis erit te eo præstantiæ ac felicitatis, humilitate auspice, devenisse, ut eidem nihil jam adjici posse videatur. Tam sublimem itaque perfectionis gradum conscendunt quicumque sese prius humilitate depresserunt, humilitatis profecto jugum suave est, cui quisquis cervicem subdit, viam sibi ad beatitudinem expeditissimam parat.

X. Quamobrem jugum istud amplecti quamprimum velis : quinetiam mittens manum ad aratrum altius sulcos imprime, nec retro respicias, ut gratus Deo tuus sit labor, et cœlorum regno aptus censearis. Ne si peccatorum sarcina graveris humilitatis jugum respuas, falso tibi persuadens novum tibi onus accedere, quandoquidem humilitatis jugum non modo criminum pondus, quo unice gravaris, imminuit, verumetiam prorsus tollit ac removet. Si vitam cupis deliciis omnibus refertam ducere, eas humilitate assequeris ; si honores expetis, illa, uti sacræ Litteræ passim testantur, te maximis cumulabit. Si pudicitiam adamas, ipsa excubias agente, in tuto erit; si sanctitatem optas,

ipsa largietur; si perfectionem, per ipsam acquires; si denique sublimitatem, hac duce celerrime attinges.

XI. Hæc via est ad gloriam facillima, hæc cœlorum janua, jucunditatis mensa, bonorum origo, benedictionum fons, et spes, a qua nemo unquam decidit, aut deturbatur. Hac rei absolvuntur, improbi expiantur, errantes in viam redeunt, lapsi ad virtutem assurgunt. Hac duce sibi proposita, pugnantes triumphant, triumphantes coronantur. O præclaram humilitatem omnium laude studiisque dignissimam! O beatum illum, qui tantam hospitem exceperit! miserum, qui amiserit! Beatum inquam; nam si abjectus jacet, mox in sublime feretur; si inops, locupletabitur. Age nunc, Christiane, et ea, qua decet, sedulitate, virtutem, de qua sermo est, inspiciens, singula non modo ipsius ornamenta, sed et illorum virorum, qui ipsius ope insignes evaserunt, seriem æqua, si potes, ratione recense. Quæ posteaquam tibi optime perspecta erunt, te ipsum graviter argue, quippe qui de te superbe sensisti; et hinc disce inanem tuum fastum cum vera humilitate commutare. At quoniam ex me sæpe sciscitatus es, ut te de armis ad communem hostem jugulandum idoneis, certiorem redderem, tibi libentissime morem gessi; quinimo de præclara tua indole atque ingenio mirifice lætatus sum, quia nimirum studiosa te victoriæ cupiditate flagrare satis intelligo.

XII. Qua de re insignis illius ducis oraculum, qui mortis atque inferorum jactantiam feliciter compressit, e vestigio consului, et in ejus veluti armamentarium ingressus, plurima instrumenta ad teterrimam belluam delendam aptissima comperi. Horum primum mihi occurit jejunium; id enim gladius est, qui nunquam frangitur. Deinde verecundia, mundities, sanctimonia, quibus totidem veluti jaculis immane monstrum misere confoditur. His paupertas adjungitur, illa scilicet, quæ vanas possessiones opesque res-

puit; quo quidem telo non leve hosti vulnus infligitur; charitas quoque, et pax mihi objecta, quorum vim cum formidolosissimus ille sustinere nequeat, faciem alio convertere præ nimia confusione compellitur. Vidi etiam vigilias clypeorum instar : orationem effusum veluti pallium, nec non singula justitiæ opera suo quæque ordine mirum in modum disposita, alacrem ad pugnam exercitum optimo jure appellari posse existimes. Cum vero tacitus animo mecum ipse pervolverem, quibusnam potissimum armorum generibus uti mortalium unicuique satius foret, nulla humilitate magis consentanea reperi. Itaque, missis cæteris, quæ tibi addere possem, de hoc uno te probe monitum velim, ut scilicet, si diuturnum certamen, in quo de perpetua tua salute agitur, victor conficere optas, nunquam extra humilitatis septa egrediaris, nec manus conseras, quin prius tuæ incolumitati hisce armis opportune prospexeris. Enimvero cum fraudulentissimo tibi hoste habenda res est, cui nihil gratius accidere potest, quam te imparatum atque inopinantem adoriri.

XIII. Quæ igitur, divina opitulante gratia, tibi arma proposui, ea ipsa sunt, quibus invictissima Beatorum agmina hostem solo exæquarunt. O maxime felicem, qui humilitate suffultus in certamen irruit! Divinum itaque hominum Præceptorem, cui humilitas tantopere in deliciis fuit, quique illam omnibus tam vehementer commendavit, sua ut ipse humilitate te protegat, et vires ad hostium conatus elidendos efficacissimas suppeditet, obsecrare ne desinas. Et quoniam ad ipsum unice spectat humilitas, quæ modo mihi supersunt attentius audi. Cum humilis plane non sis, esse tamen ne tibi stolide blandiaris. Ne sermonem inutilem effundas, nec probris, aut conviciis tuum adversarium incessas. Audi tacens pro reverentia, et senioribus demisse obsequere. Ne tuæ prudentiæ innitaris, sed tuorum fratrum consilium frequenter adhibe. Ne ven-

tri immoderate indulgeas, et somno ad quietem, non ad dissolutionesm utere. Orationibus, precibus, aliisque pietatis operibus sedulo incumbe, in quibus si tuam operam ac diligentiam collocaveris, et præ omnibus humilitatem colueris, fiet profecto, ut criminum veniam consequaris, et divini Numinis perpetua contemplatione in æternis sedibus perfruaris.

XIV. Jamvero quotquot in terris vivimus, egregias Altissimo laudes exhibeamus, qui ad homines delapsus, humilitatem ab universo prius orbe exulantem, restituit, nosque instructos satis reddidit, qua ratione ipsius nobis subsidium comparare possimus. Patrem etiam totis viribus celebremus, qui mortales tanto Reparatore donavit; nec non divinum Spiritum, a quo enixe efflagitabimus, ut sua nos virtute ad humilitatem perducat. Ille autem, cujus gratia hæc habita oratio est, clementissimus Dominus, victoriam justitiæque coronam pro sua misericordia nobis omnibus impertiatur. Si quis demum preces pro misero oratore fundit, illi, quæso, acceptæ sint, qui cœlestem atque terrestrem molem admirabili consilio ac providentia moderatur.

CAPITA C.

Quomodo quis humilitatem sibi comparet.

I. Initium fructificationis est flos, et principium humilitatis est subjectio in Domino. Fructus vero obedientiæ est longanimitas. Longanimitas autem charitatis fructus est; at charitas perfectionis vinculum existit. Perfectio autem, observatio mandatorum Dei : « Præceptum porro Domini

» lucidum, illuminans oculos [1]. » Cæterum oculi illuminati vias iniquorum effugiunt. Sit ergo tibi humilitas sedes et pallium responsionis. Loquela autem clara sit in salutatione in charitate Dei. Ait enim Salvator : « Estote perfecti, si- » cut Pater vester cœlestis perfectus est [2]. » Unde enim clara esse queat superbia, quæ est inobediens, nec vult audire quemquam, aut ab aliquo persuaderi; sed proprio sensu ducitur? Humilitas vero obediens est, persuasu facilis, mitis, honorem parvis æque ac magnis deferens. Quam qui possederit, credo eum a Domino mercedem accepturum simul cum vita æterna.

II. Si bini unam eamdemque cellam inhabitaveritis, diligenter vobis ipsis attendite, scientes Dominum esse in medio vestrum. Ipse enim dixit : « Ubicumque congregati » fuerint duo aut tres in nomine meo, ibi ego sum in medio » eorum [3]. » Etsi enim nos, velut indigni, non videmus ipsum; ipse tamen, ut Deus, etiam cogitationes ac opus cujusque novit et intuetur [4] : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

III. Audivimus Sapientiam dicentem : « Homini forni- » cario omnis panis dulcis : non fatigabitur donec comple- » verit. Homo qui transgreditur lectum suum, dicens in » animo suo : Quis me videt? Quem vereor? Tenebræ cir- » cumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circum- » spicit me : peccatorum meorum non memorabitur Altissi- » mus. Oculi hominis, timor ejus : nec intelligit infinitis » partibus oculos Domini lucidiores esse sole, circumspicien- » tes omnes vias hominum, et intuentes absconditas partes. » Antequam crearentur, omnia sunt ei cognita; sic et post- » quam perfecta fuerint. Hic in plateis civitatis vindicabitur, » et ubi non putavit, apprehendetur [5]. »

[1] Psal. XVIII, 9. — [2] Matth. V, 48. — [3] Id. XVIII, 20. — [4] Psal. XLIII, 22, et Hebr. IV, 12. — [5] Eccli. XXIII, 24-30.

IV. Dilecte frater, si pietatis ac religionis studium delegeris, attende, ne forte malignus, sub pietatis prætextu, alienam tibi cogitationem suggerat atque inducat ; id est, inanis gloriæ atque superbiæ, ut dum non vis cum fratribus laborare. Operare igitur, sicut et cæteri confratres tui concorditer, pietatemque tuam serva. Nam pigritia pietatem evertit, nomenque contumeliosum possidenti illam affert. Conjunge ergo studio atque scientiæ pietatem, et verus religiosus eris.

V. Charissime, si tibi humilitatem comparaveris, diligenter attende, ne forte per insidias in viam te alienam traducat inimicus, dum aliquid suorum ipse suggerit. Sicut ait Sapientia : « Non dicas : A Domino abscondar, et ex summo, » quis me audiet? In populo magno non ero in memoria : » quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? » Ipse vero adjungit, dicens : « Ecce cœlum cœli Domini est ; » abyssus et terra in visitatione ejus commovebuntur : mon» tes simul, et fundamenta terræ, cum conspexerit illa, » tremore concutientur[1]. » Oportet ergo humilitati fidem conjungere, ut humilitatis sulcos rectos efficere possis.

VI. Frater quidam ingressus est cœnobium, cupiens fieri monachus : voluit autem manere in eadem cella cum seniore. Et post aliquot dies, a cogitationibus impugnatus, dixit : « Nequeo manere cum hoc fratre. » Alius autem frater admonebat eum, dicens : « An si incidisses in barbaros, traditusque alicui barbaro esses, dicere posses : « Nolo cum illo versari? » Et hæc audiens frater, compunctusque verbis istis, pœnitentiam egit, dicens : « Ignosce. »

VII. Dixit rursus : « Qui cupit fieri monachus, nec potest contumelias ac contemptum pœnasque sufferre, nequit esse monachus. »

VIII. Si quis solitariam vitam amplexus sit cogitatione

[1] Eccli. XVI, 16-19.

simpliciori, conatur ei inimicus libertatem et impudentiam adjungere. At si pio ac religioso animo ad monachum venerit, suggerit etiam huic; et siquidem sit juvenis, per speciem pietatis suppeditat studium et alacritatem ad ea exercenda, quæ præstare non possit. Qui autem vere timet Dominum, neque a prima cogitatione, neque a secunda se abripi patietur. Si vero etiam dæmonum fraude præoccupatus fuerit, timor Domini, quem in veritate dilexit, cor ejus illuminabit, ut ambulet per viam rectam. At qui impudens est et inverecundus, nondum credit fore judicium : sicut neque superbia elatus et arrogans, et qui non propter Deum colit religionem ac pietatem; magnum quippe se ipsum existimat. Si ergo te turbet affectio propriæ existimationis, dic ad eum, qui te impugnat : « Longe recede a me cogitatio mala. Quis ego sum? aut quam virtutem excolenti mihi ista suggeris? » Sanctorum alii lapidati sunt, alii secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt [1]. Sed quid dico de hominibus iisdem affectibus obnoxiis : quando ipse universorum Dominus crucem propter nos subiit, confusione contempta? Ego autem, qui ætatem omnem vitæ meæ in peccatis traduxi, quam in die judicii rationem reddam? » Et sic a te superbiam fugabis. Si autem et bene egeris, hoc non propriis ascribendum viribus puta, secundum illius dictum : « Non ego autem, » sed gratia Dei mecum [2] » Si porro etiam impudentia te vexet, opera tua tecum expendens, dicito : « Tantis ego malis sum obnoxius, et quo pacto audebo aperire os meum. Domino dicente quod etiam de verbo otioso reddituri sint rationem homines in die judicii [3]. » Convenit igitur procidere Domino secundum eum, qui ait : «Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac et Jacob, justique seminis eorum; qui fecisti cœlum et terram cum

[1] Hebr. XI, 37. — [2] 1 Cor. XV, 10. — [3] Matth. XII, 36.

universo ornatu eorum; qui vinxisti mare verbo jussionis tuæ; qui, claudens abyssum, sigillasti eum terribili et glorioso nomine tuo; quem cuncta reformidant, ac tremunt a facie virtutis tuæ : quia immensa est magnificentia gloriæ tuæ, et intolerabilis ira comminationis tuæ super peccatores, immensaque ac impervestigabilis misericordia promissionis tuæ. Tu enim es Dominus misericors, longanimis, et multarum miserationum, ac super hominum malitia dolens. Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, cum justus Deus sis, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, Isaac et Jacob, qui non peccaverunt tibi; sed super me peccatorem posuisti pœnitentiam, quia peccavi super numerum arenæ maris. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, et non sum dignus oculos attollere, atque intueri altitudinem cœli; » et quæ sequuntur, ut et timor ipse atque obsecratio repellant a te impudentiam.

IX. Frater quidam vanis impugnabatur cogitationibus, quasi jam aliquem in virtutibus fecisset progressum. Qui cum vellet superbiæ cogitationem superare, ad lebetem succensam admovebat manum, sic secum loquens : « Ecce ardes, nolo amplius superbire. » Videmus enim quod, cum tres pueri in medio ardentis flammæ consisterent, nullus eorum elato corde fuerit, sed multa cum humilitate Deum collaudantes, glorificarunt in medio fornacis, dicentes : « In animo contrito, et in spiritu humilitatis suscipiamur » coram te [1]. » Tu autem in relaxatione ac remissione consistens, superbis et extolleris? Atque ita superbiæ dæmonem superabat.

X. Si inventus fuerit homo laboriosus, atque abundantius ac diligentius virtutes excolens, nemo ipsum contemnat; sed tales complecti oportet : quoniam et Deo accepti sunt, et conventui utiles. Persuadeantque id nobis duo illa

[1] Dan. III, 15.

castra, Hebræorum nimirum, et Alienigenarum, ac David cum Goliath in singulare certamen descendens[1] : simulque qui naufragio maris perierunt, et qui salvati sunt propter Justum inter eos repertum, sicut scriptum est : « Ne timeas, Paule : Cæsari te oportet assistere : et ecce » donabit tibi Deus omnes, qui navigant tecum[2]. »

XI. Frater quidam, postquam habitum accepisset, de exeundo e cœnobio impugnabatur, adducebantque ei cogitationes exemplum ejusmodi : « Considera, aiebant, horti olera, et vide quod nisi ex areola plantas extraxerit, qui hunc excolit, alioque in loco inseruerit, in altum non excrescent. » Frater ergo cogitationi responsum dabat tale : « Numquid penitus evellit hortulanus ex area, quæ in ea sata sunt? Nonne sinit in sulco, respondebat, quæ nutrire potuerit? verumtamen quæ evelluntur, non ita sunt in tuto, ut ea, quæ in loco remanent. Esto igitur et tu unus ex iis, qui non evelluntur. » Atque ita, cooperante gratia, vincebat cogitationem.

XII. Charissime, si in cœnobio vitam quietam delegeris, vide ne forte injiciat tibi cogitatio versutiam, quæ amaritudinem augeat, dum tecum cogitas et dicis : « Multa quidem mercede hic dego, at cibus meus nullus est. » Ne igitur propter escam relinquas opus Dei. Nam si ejusmodi cogitas, non amplius secundum charitatem ambulas. Quin potius salutarem audiamus vocem, quæ dicit : « Quis putas » est dispensator fidelis et prudens, quem constituit domi- » nus super familiam suam, ut det illis in tempore escam? » Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, in- » venerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super » omnia, quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit » piger servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus ; » et cœperit percutere conservos suos, et edere, et bibere

[1] I Reg. XVII, 12. — [2] Act. XXVII, 24.

»cum ebriis; veniet dominus servi illius in die, qua non »expectat, et hora, qua nescit; et dividet servum illum, »partemque ejus cum hypocritis ponet [1]. Ibi erit fletus, et »stridor dentium.» Relinquamus igitur Domino, et non judicemus conservum nostrum, quem communis dominus constituit dispensatorem. Omnes ei rationem reddituri sumus, reddetque singulis secundum opera sua [2].

XIII. Frater quidam dixit: «Precabar Deum, ut gratiam largiretur operi manuum mearum :» totumque ex eo cœnobium, sive monasterium, nutriebatur. Nonne gaudium mihi in hoc erat?

XIV. Œconome, Apostolum dicentem audisti : «Qui »præest, in sollicitudine [3].» Et, «Nemo adolescentiam »tuam contemnat [4].» Vide ergo ne forte sensualiter adhortatione utaris. Ait enim alibi : «Neque ut dominantes »in clero. sed forma facti gregis. Et cum apparuerit Prin»ceps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coro»nam [5].» Rursusque dicit : «Imitatores mei estote, sicut et »ego Christi [6].» Superbia enim a fidelibus aliena est, secundum illud : «Deus superbis resistit, humilibus autem »dat gratiam [7].»

XV. Charissime, si spiritus acediæ molestus tibi fuerit, ne abstraharis acediæ tædiique cogitatione; sed in quo te Deus constituit loco, persiste, memor desiderii, quod erga Deum habebas, quando ab initio ad januam monasterii advenisti : idemque desiderium usque ad finem retineamus, ne forte superveniat nobis quod dictum est : «Et co»medit Jacob, et saturatus est, recalcitravitque dilectus, »incrassatus, impinguatus, dilatatus : et dereliquit Deum »factorem suum, et recessit a Deo salvatore suo [8].» Sustine

[1] Luc. XII, 42-46. — [2] Matth. XVI, 27, et Rom. II, 6. — [3] Rom. XII, 8. — [4] 1 Tim. IV, 12. — [5] 1 Petr. V, 3, 4. — [6] 1 Cor. XI, 1. — [7] Jacob. IV, 6, et 1 Petr. V, 5. — [8] Deut. XXXII, 15.

igitur Dominum interea, quemadmodum pugil vincens percutientes se per patientiam. « Qui enim sustinuerit usque in finem, hic salvabitur [1]. »

XVI. Frater quidam erat novitius in cœnobio, et semper tacebat, loquendi libertatem sic sibi adimens. Dicebantque de eo connovitii : « Non ex religione tacet, sed quia loqui nescit. » Alii vero dicebant : « Minime, sed dæmonem habet. » Quæ cum audiret frater, non respondebat iis, sed gloriam in corde suo dabat Domino.

XVII. Frater quidam dixit : « Hanc humilitatis cogitationem petii a Domino, ut cum frater meus rem me agere jusserit, tacita mecum cogitatione dicam : « Hic est dominus meus, illum ausculta. » Et si alius frater, dicam iterum : « Hic domini tui frater est. » Sin puer, denuo dicam : « Audi filium domini tui. » Sicque cogitationibus alienis resistens, quiete faciebat opus suum, gratia cooperante.

XVIII. Facientibus aliquando fratribus de nocte accessorium quoddam opus, quidam eorum frigore vexatus, rediit ad cellam suam : alius autem obmurmuravit ei. Miserunt ergo fratrem, qui illum accerseret. Abiensque frater ab iis missus, reperit eum graviter laborantem. Cui ipse : « Sciscitantur fratres quo pacto valeas, et de opere tuo ne sis sollicitus : nos pro te laboramus. » At ille : « Meminerit charitas vestra, quod et ego una vobiscum cupiebam laborare ; sed infirmitate mea impedior. » Reversusque ad eos, qui miserant ipsum, retulit iis gravi intensoque morbo laborare fratrem, dixisseque sibi quod et ipse una vobiscum cuperet intendere operi.

XIX. Frater quidam, cum novitius esset in cœnobio, impugnabatur a cogitationibus, causa laboris. Responditque, dicens : « Serve nequam, jam venditus es : et quid po-

[1] Matth. x, 22.

teris efficere amplius? » Et præbebat ipsi consolationem Dominus.

XX. Comedentibus aliquando fratribus, surrexit frater, qui vas vivarium daret : quod accipiens quidam senex, et aquam nimis calidam cum vino permixtam inveniens, dixit : « Combussisti me, fili. » Ut ergo ad cellam suam frater abiit, se ipsum percussit, dicens : « Nonne, si viri alicujus austeri servus esses, et hoc fecisses, e vestigio ille carnes tuas plagis excepisset? Ne igitur negligens sis. »

XXI. Beatus ille monachus, qui servat mandata Domini, et trium istorum satagit, ut scilicet vacet orationi, operi, et meditationi. Scriptum enim est : « Vacate, et intelligite, » quoniam ego sum Deus [1]. » Et rursus : « Pauper sum ego, » et in laboribus a juventute mea [2]. » Et iterum. « Et in lege » ejus meditabitur die ac nocte [3]. »

XXII. Si videris fratrem suam negligentem salutem, ne scandalizeris super fratris socordia : sed neque imiteris ipsius ignaviam. Te ipsum castum custodi. Si vero alter alterius onera non portamus [4], quo pacto gratiam inveniemus coram Domino? Hoc studeamus, ne offendiculum aut scandalum fratri ponamus. Qui enim in nulla re fratrem scandalizaverit, magnus vocabitur in regno cœlorum.

XXIII. In quocumque tandem loco consederis, vide ne salutem tuam neglexeris. Scriptum est enim in lege Moysis : « Si venundatus tibi fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, » serviet tibi sex annis, et septimo dimittes eum liberum » abs te. Si autem dicat ad te : Non exibo a te, quoniam di- » lexi te, et uxorem tuam; quoniam bene ipsi est apud te : » assumes subulam, et perforabis aurem ejus, et erit tibi » servus in æternum; et ancillæ tuæ similiter facies [5]. » Mo-

[1] Psal. XLV, 11. — [2] Id. LXXXVII, 16. — [3] Id. I, 2. — [4] Gal. VI, 2. — [5] Exod. XXI, 1 et seq. Deut. XV, 12, et 16, 17.

nache, renuntiasti vitæ mundanæ, dimissus es liber, Christus te libertate donavit. Noli amplius diligere servitutem vani sæculi, ut non fiant novissima tua pejora prioribus[1]. Verum serviamus ei, qui libertate nos donavit, Christo : quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

XXIV. Charissime, si in loco celebri consederis, vide ne superbia vincaris, neque mente spernas fratres, tanquam ex miserando cœtu constarent. Solus enim Dominus novit occulta cordis. Ne tu quidem in foliis elatus inveniaris; illi autem fructus tenentes; quin potius quanto pluris es, eo magis te ipsum humilia, et coram Domino gratiam invenies. Quoniam magna est potentia Domini, et ab humilibus glorificatur.

XXV. Charissime, si sub obedientia Patris spiritualis constitutus fueris, cave tibi ipsi terminum imponas, dicens : « Impossibile est hoc vel illud agere. » Nam si non feceris, rursusque si coactus egeris, inobedientiæ notam non effugies. Quare divinæ te ipsum gubernationi relinquas oportet. Non enim eædem in anima cogitationes perseverant. Sin autem acciderit imperari quid nobis ultra vires, non iracunde præpositi resistamus imperatis; sed deprecatione atque obtestatione, præfecto quod supra vires est, submissa voce denuntiemus. Resistamus autem peccato usque ad sanguinem.

XXVI. Oportet præpositos diligenter considerare singulorum subditorum mensuras, memores Domini dicentis : « Qui fructificat, et facit alius quidem fructum centesi» mum, alius sexagesimum, alius autem trigesimum[2] : » ut unusquisque in suo ordine placeat Deo.

XXVII. Frater, si egressus cœnobio, solitariam mansionem elegeris, et post multum temporis revertaris unde exieris; sic cogitationem demitte, quasi nunc primum

[1] Matth. XII, 45. — [2] Id. XIII, 8.

monasticam vitam ducere incipias, et obtinebis requiem. Et non ad diem duntaxat pietatem colas, et postea absque ea vivas; sed omni tempore tecum sit humilitas, et invenies requiem.

XXVIII. Tale quid inter fratres accidit. Si pietate frater profecerit, alium fratrem ex negligentioribus, qui molestet eum, armat inimicus; facit autem ut et quieti vacans pro stultitia sua ei respondeat. Quæ dum sic geruntur, clamat alter et ait : « Ohe pium et religiosum. » Et exacerbatione cessante, incipit pius adversis cogitationibus tanquam jaculis peti; et dicit : « Perdidisti pietatem, ecce turpiter ac præter decorem egisti coram fratribus, et nunc cur ita negligentem te præbes? Vide ne velut infirmum atque abjectum opprimat te. Scriptum est enim : « Et cum perverso per» vertis [1]. » Ac rursus : « Ne subjicias te viro fatuo [2], » ne simul abripiaris ab iniquitate. » Non enim tantum substernere jubet, sed et maxillam percutienti præbere : unde et Apostolus admonet dicens : « Noli vinci a malo, sed vince » in bono malum [3]. » Ipseque Dominus præcepit. « Si quis, » inquit, te percusserit in maxillam dexteram, præbe ei et » alteram [4]. » Sic cum perverso non oportet perverti, neque pedibus peccati subjici. Scriptum est enim : « Amen dico » vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est pec» cati [5] : » Et nisi in talibus cogitationibus opposuerit se frater adversariis, nequaquam in virtutis eum tramite sinent; sed continuo iracundum atque pugnacem, ac percussorem, moribusque barbarum reddent; neque se ipsum ædificantem, sed et aliorum animas pervertentem. Sin autem pœnitentia ductus, honestam vitam amplexus fuerit, prudentior ad luctam efficietur, ut qui jam ipsa detrimenti experientia didicerit.

[1] 2 Reg. xxii, 27. — [2] Eccli. iv, 31. — [3] Rom. xii, 21. — [4] Luc. vi, 29. — [5] Joan. viii, 34.

XXIX. Duo fratres in vigilia linum sectile abscindebant, unaque mox chorda abscissa, cœperunt cogitationes alterius cum ipso trahentis commovere eum adversus fratrem suum. At hic volens superare iracundiam, et non contristare fratrem suum, quando vidit abruptam fratris sui chordam, ipse propriam quoque abscidit : et sic inter se ambo concordes permanserunt, surrexeruntque absque offensione mutua. Et non cognovit frater quid alter frater egisset.

XXX. Frater quidam vigilia lectitabat; volensque finire caput, protraxit aliquantulum. Unde alius monachus contra eum murmurare cœpit, dicens : « Audivit surgendum esse, et non surgit. » Et alius ad eum : « Nonne si prandium paratum esset, mandassetque nobis præfectus largius adhibendum esse potum, voluptatem inde caperemus ? » Quo audito, pœnitentia ductus frater, « Ignosce mihi, » dixit.

XXXI. Frater fratri dicebat : « Cur ita cito lancem aufers, nec sinis nos comedere ? » Ad quem frater : « Ego servus sum, et quod mihi majores mei faciendum mandant, id facio. » Et hoc audito, frater dixit : « Ignosce mihi. »

XXXII. Existimo expedire fratribus præfectum in se curam omnem subditorum suscipere, ac fratres curis et distractionibus vacuos reddere in cunctis; maxime vero ab ingruentibus sæcularibus : ut soli orationi mens fratris vacare possit, et ut instar palmæ tonsus, studiose ad sublimitatem consurgat virtutum. « Corrumpunt enim, inquit » Apostolus, mores bonos colloquia prava [1]. » Magnum quippe animarum naufragium, in quo regulæ et rectæ vitæ institutiones non vigent.

XXXIII. Monache, si accesserit ad te monachus, sive sæcularis quispiam, noli supra vires occurrere ei, ne post fratris discessum doleas de bonis, quæ tibi consumpsit : sed appone quod tibi Dominus largitur. Melius est enim

[1] 1 Cor. xv, 33.

apponere olera cum charitate, quam mille esculenta cum tristitia : « Hilarem quippe datorem diligit Deus [1]. » Hæc autem dico, frater, non ut vobis præcidam hospitalitatem ; sed ut accepta sit oblatio vestra, secundum eum, qui dicit : « Hospitales invicem sine murmuratione [2]. » De hospitalitate autem non opus habetis, ut quid scribatur vobis : nostis enim hanc multis virtutibus esse majorem. Etenim hac patriarcha Abraham Angelos hospitio suscepit. Per eam Lot justus in subversione Sodomorum non periit [3]. Per hospitalitatem similiter et Rahab cognomento meretrix non interiit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace [4]. Ait enim Salvator : « Hospes eram, et collegistis » me [5]. » Et, « Beati misericordes, quoniam ipsi misericor» diam consequentur [6]. »

XXXIV. Charissime, si ad te venerit frater quispiam, amboque pariter steteritis ad persolvendam consuetam regulam synaxis, et hortatus fuerit fratrem dicere parum quid a pectore, ipseque semel atque iterum et tertio recusaverit, noli eum cogere ; sunt enim multi, qui non noverunt verbo prædicare virtutem, sed opere veritatem. Et sic cor fratris exhilarabis. Nam contentio virtuti non est conveniens, quin potius ad iram excitat.

XXXV. Si ægrotum visitas, vide ne inimicus inter vos suggerat sermones otiosos, aut detractiones, ne tuæ mercedis jacturam patiaris ; cum moris sit diabolo nocere uni per auditum, alteri vero per linguam. Sed ex divinis Scripturis consolari oportet laborantem, et ex passione Salvatoris, cui gloria in sæcula. Amen.

XXXVI. Charissime, si hospes accesserit ad fratrem tuum, quantum vires ferunt, congredere ei, ut hospita-

[2] 2 Cor. IX, 7. — [2] 1 Petr. IV, 9. — [3] Gen. XVIII, 19. — [4] Jos. II, 6, et Hebr. XI, 13. — [5] Matth. XXV, 35. — [7] Id. V, 7.

litatem adjuves : et Dominus diriget, secundabitque vias tuas.

XXXVI. Charissime, si egressus fueris cum fratribus tuis ad opus aliquod extraordinarium, auxiliare infirmiori pro viribus, quas tibi largitus est Dominus, sciens quod a Domino accepturus sis laboris et compassionis mercedem. Sin imbecillis ac debilis extiteris, noli multa dicere, atque imperare, et insolenter agere; sed tace potius, et quiesce. Et Dominus humilitatem tuam considerans, fidem faciet cordibus fratrum tuorum, ne amplius te gravent.

XXXVIII. Qui in solitudine vitam quietam degunt, eos, qui in cœnobiis commorantur, tanquam ab omni distractione immunes, beatos prædicant. Si vero a fratribus charitas abfuerit, tunc qui in cœnobiis sunt, solitarios felices judicant; maxime autem ignaviæ et acediæ dediti. At qui cogitatione perfectus est, inimici laqueos facile superat.

XXXIX. Prorsus sane gravis est morbus avaritiæ, ut omnium sit malorum radix [1]. Nosse igitur cupimus, in quo vitium istud eradicetur? In firma spe figenda in Deum ex toto corde et anima.

XL. Frater, si ad opus manuum tuarum velox extiteris, magna et multa et opulenta operando, noli in hoc efferri, neque imbecilliores fratres spernas. Non enim sic virtutem perfecisti; quin potius Dominum honora ac time, ut fortitudinem tibi usque ad finem largiatur. Quoniam vani ac stulti sunt, qui in propriis confidunt viribus. « Qui autem » gloriatur, in Domino glorietur [2]. »

XLI. Super fratris progressu non decet nos invidia tangi : membra enim corporis Christi sumus.

XLII. Monache, si præfectus tuus reprehenderit te, sive operis distributor de elegantia operis, ne ægre feras reprehensionem; quin potius bonam habere conscientiam

[1] 1 Tim. VI, 10. — [2] 2 Cor. X, 17.

studeamus, ut et emptor, et venditor utrinque gratias agant Domino. Dicamus autem cogitatione : « Nonne si ad vestimenta, vel vasa coëmenda abiissemus, de pulchritudine etiam laboraremus? » Quare nos quoque honestatis studiosi simus propter conscientiam.

XLIII. Nos vero, charissimi, tanquam quibus œconomia concredita est, infirmitates imbecilliorum feramus. Ait enim Saltator : « Non opus habent qui bene valent, medico; » sed qui male habent[1]. »

XLIV. Charissimi, si forte etiam præfecti nostri iniquiores in nos fuerint, quod absit; nos tamen bona conscientia iis, tanquam Domino, et non quasi hominibus, serviamus, scientes quod mercedem a Deo accepturi simus.

XLV. Prudentem, atque sincerum oportet esse monachum, ut quæ ab adversario ei struuntur cognoscat : ut alia quidem tanquam ridicula prætereat, alia vero per humilitatem, alia autem sale conditis verbis evertat[2].

XLVI. Charissime, si quem fratrem inimicus excitaverit, qui conviciis et maledictis te incessat, dicatque : « Perverse senex, aut extreme improbe : » patienter illatam feras contumeliam. Sin autem cogitatione, pacis gratia, sustinuerimus, loco, « Perverse senex, » dicetur, « Bone senex : » et pro, « Extreme improbe, Probissime. » Servum vero Domini non oportet contentiosum esse, sed blandum ac mansuetum erga omnes [3].

XLVII. Fratri cuidam suggerebat cogitatio tempore vigiliæ, dicens : « Requiesce hodie, et noli ad vigilias surgere. » At ille cogitationi respondebat : « Cogita te heri non surrexisse : hodie tibi surgendum est. » Et de opere aggrediendo, rursus ei suggerebat : « Quiesce hodie, et cras ope-

[1] Matth. IX, 12. Marc. II, 17, et Luc. V, 31. — [2] Coloss. IV, 6. — [3] 2 Tim. II, 24.

raberis. » Ille vero iterum respondebat : « Nequaquam ; sed hodie operare ; et de crastino erit curæ Domino. »

XLVIII. Charissime, si tibi amicitia cum aliquo fuerit, certoque constiterit eum vere timere Dominum, sicut ait Dominus : « A fructibus eorum cognoscetis eos [1], » ne de illo male suspiceris. Omni autem tempore sobrium ac vigilantem esse bonum est. Si quis vero tecum amicitiam fraudulentam inire voluerit cum libertate Deo non grata, ab ejusmodi te ipsum valde custodi, neque illo prorsus confidenter utaris, cum ejus confidentia Deo non placeat. Si autem occultum suum vitium risu aliquo cœperit prodere, simulans obedientiam, teque decipere voluerit, cave ne cogitationem ad illius insipientiam laxaveris, sed torvo eum aspectu intuere, ut bonum in te jactum fundamentum intelligat : sicque aut improbam suam mentem mutet, aut a te recedat.

XLIX. Charissime, vide ne forte dum virum te præbere vis adversus eos, qui operis tui labores rapere conantur, aliquis te ex insidiis astute decipiat atque supplantet : sed para cogitationem tuam, ut ad scopum ventum prospicias, ac instrumentum adornes, ut salvetur navis in portu vitæ.

L. Quis ficulneam plantat sibi ipsi, et non servat fructum ejus ? Quanto magis castitatem et temperantiam servare oportet. Odit namque Dominus libidinosorum hominum congressum : ac propterea scriptum est : « Horrendum » est incidere in manus Dei viventis [2]. » Aut quis aliquando ab aspide ictus, non custodit se a vicinitate atque accessu cavernæ ipsius ? Si autem post ictum antro ipsius manum admoverit, plagamque iteraverit, quis jam causa erit mortis ? venenata bestia, aut qui se ipsum non custodivit ? Tu autem intellige quod dictum est.

LI. Spiritus sanctus patefacit homini quænam sit via

[1] Matth. VII, 16. — [2] Hebr. X, 31.

bona, et quæ non bona : rursusque indicat ei quid in bona via paratum sit, et quid in mala occultatum : ut homo, cognita utriusque remuneratione, perniciem evitet. Sin autem post boni et mali cognitionem, sibi hic non caverit, quam in die judicii excusationem habere poterit? Superfluus vestium ornatus, et oculus sublimis ac vagus, et collum extensum, humerique retecti atque nudati, et pedes lascive ac vitiose directi, mortem conciliant.

LII. Beatus, cui aliorum ædificatio et salus curæ est, et nequaquam segregari se patitur a regno cœlorum cum hominibus scandalosis : sed erit habitatio ejus cum iis, qui Christo Domino grati et accepti sunt : cui gloria in sæcula. Amen.

LIII. Admone parentes tuos carnales, ne te frequentent. Dum enim illi coram te de tuis loquuntur, distrahunt cogitationes tuas ; simulque te incontinentem esse docebunt. Satis est semel vel bis in anno ab iis te visitari. Si porro inutilem illorum conversationem penitus præcideris, melius ages.

LIV. Immodica edacitas atque potatio pro temporis præsentia voluptatem continent : at die proxime sequenti, injucunditatem et dissolutionem menti afferunt.

LV. Si contigerit ut in morbum incidas, ne continenter parentibus tuis carnalibus perscripseris : neque ad auxilium mortale ac protectionem humanam confugeris : quin potius patienter feramus, expectantes misericordiam Dei, ut ipse nos gubernet per omnia. Est enim tempus, quando caro opus habet disciplina. In cunctis autem Domino placeamus [1], quoniam ipsi curæ est de nobis.

LVI. Frater quidam ægrotavit aliquando, sibique vim inferens operabatur : flens autem apud se ipsum in cella sua invocabat Dominum, ut sanitatem sibi donaret. Deinde

[1] 1 Petr. v, 7.

rursus intra se dicebat : « Hei mihi negligenti ! anima mea singulis horis infirmatur, et non est mihi curæ ; et ubi corpus exiguo morbo affligitur, mox cum lacrymis sanitatem a Domino deposco. » Dicebatque : « Domine Jesu Christe, sana animam meam et corpus meum, ut ne sim oneri fratribus ; non enim homo propriis, Domine, viribus sustentatur. Nisi tu, Domine, necessaria suppeditaveris atque sufficientia, nihil est homo. Verum, Domine, etiam sanitatem mihi inutili servo tuo concede, quoniam tu pœnitentium Deus es, et in me magnificentiam tuam ostendas. » Et cum adhuc instaret operi, sanatus est, dixitque illud Apostoli : « Cum infirmor, tunc potens sum [1]. » Quod in me quoque impletum est in veritate. Quando homo infirmatur, tunc et anima ejus supra modum quærit Dominum. Bona ergo disciplina est, si quis eam accipiens, gratias agit, dicatque talis : « Si bona a Domino suscepimus, mala cur non sustineamus [2] ? Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

LVII. Charissime, si sub regula vivas, non te vincat socordia, ut secunda vel tertia hebdomadæ otieris feria : ne per totam hebdomadam tribulent te cogitationes. Sic enim nonnullis contingit, qui in cœnobiis vivunt. Suggerit namque cogitationi monachi spiritus acediæ, secunda ac tertia feria hebdomadæ indulgendum esse otio, sinitque cum reliquis diebus opprimi cogitationibus usque ad tempus reddendi operis. Tu autem sobrius et vigilans esto in omnibus, charissime, ut nihil adversarius inveniat, quo te capiat. Enitere igitur, ut quotidie opus diurnum agas, et mens tua curis molestiisque non illaqueata, orationi vacet.

LVIII. Quando quis sæculari vitæ renuntians, egressus fuerit ad fratres, ipsi adhuc in novitiatu constituto suggerit inimicus desiderium ad habitum accipiendum intempes-

[1] 2 Cor. xii, 10. — [2] Job. ii, 10.

tive, ut frater nimiam ejus rei cupiditatem perferre non valens, fugiat stadium. Sin autem sustinuerit, donec habitum susceperit; tunc urget ipsum exire e cœnobio, et vitam in solitudine degere; hæc et hujusmodi menti ejus subjiciens : « Exi hinc, et vitam solitariam amplectere, ac parum sensimque operare : infirmus enim es, inquit, et molestias operis istius perferre non poteris. » Si autem egressus frater labores exercitationis monasticæ fortiter non pertulerit, plus æquo inde, vehementiusque laborare deprehenditur. Sin vero et infirmitas ipsi supervenerit, adhuc magis magisque eum, quod proprium locum reliquerit, pœnitebit.

LIX. Alteri porro fratri præbet tentator alacritatem ad exercitationem, et austeritatem disciplinæ usque ad arctissimam et severissimam vivendi rationem : et post modicum temporis, sive paucos post annos, incipit tentator ipsi longitudinem temporis ob oculos ponere, quodque gravis te maneat sufferendus labor, inquiens, ad finem usque in ea vitæ austeritate, ne et tandem tuum corpus viribus deficiat. Si autem anima fratris suam sitit salutem, non se tradit fraudulentis ejusmodi cogitationibus; sed admonitionibus atque consiliis virorum exercitatorum ac timentium Dominum obedit; aut mox a se similium cogitationum repellit insultus. Qui vero non sic virtutem colens, suum occultat morbum, et remittere exercitationem nolens propter consentientes inter se fratres, recedit e loco, ut pro libitu suum desiderium expleat : tales propriam sibi ruinam conflant, quod studio placendi hominibus virtutem exerceant. Non supra petram fundamentum eorum ædificatum erat, sed super arenam : unde pluvia descendente, fluviisque ac ventis spirantibus, et in eam per cogitationes irrumpentibus, corruit [1]. Nam dum videbantur virtutem possidere,

[1] Matth. VII, 25.

multa superbia inflati erant : quando autem exciderunt, desperationi sese tradiderunt, quod utinam non contingat. Scriptum enim est : « Numquid qui cadit, non resurget? » dicit Dominus [1]. » Et, « Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat [2]. » Qui autem secundum Deum vivit, etiamsi omni virtutis genere excultus sit, non tamen inflatur, neque extollitur; Domini magnificentiam secum perpendens, et quo pacto « Se ipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis [3] : » quin et se ipsum despiciet præ metu, secundum eum, qui ait : « Existimavi me ipsum terram ac cinerem [4]. » Virtus vero regali purpuræ est similis, quippe cui nihil alienum attexi potest. Qui ergo secundum Deum pie ac religiose vivere cupit, nequaquam in gravissimam ruinam incidet. Etsi etiam ut homo præter rationem commotus fuerit; Dominus tamen, qui novit ejus animum malitiæ expertem, cohortatione servorum suorum confirmabit spiritum ipsius. Admonitus autem, et repugnans, similis est equo ore indurato, ac frenum non reformidanti, donec sessorem suum præcipitem agat. Nam qui durus est corde, misere corruet.

LX. Qui suam salutem et opus in cœnobio negligit, exemplum inertiæ fit plurimis fratribus; qui autem salutem suam curat, magnam gloriam promerebitur in cœlis; quoniam forma religiosæ ac præstantis vitæ fuit, et negligentiorum fratrum promptitudinem ac virtutes assequendas excitavit. Quemadmodum enim in acie belli, qui primus init certamen, præ omnibus honoratur : ita etiam apud Deum in honore erit omnis, qui vigilanter opus Domini perfecerit.

LXI. Ne decipiat te cogitatio, monache, dum peccas

[1] Jer. VIII, 4.— [2] Ezech. XVIII, 32. — [3] Philipp. II, 8. — [4] Gen. XVIII, 27.

et agis quæ non licet, gloriandoque dicis quod, quæcumque mala egerit monachus, melior sit homine sæculari. Scriptum est enim : « Non enim qui se ipsum commendat, ille » probatus est, sed quem Dominus commendat[1]. » Tu vero primum tuas actiones examina, an revera vitam sub obedentia degas, dum ita teipsum exaltas : an concupiscentiam viceris, et paupertatem dilexeris : an detractionem oderis, et inanis gloriæ cupidus non fueris : an peccatum aversatus fueris, et voluptatem spreveris : utrum nullum afflixeris : an passiones superaveris : an contumelia affectus, non iratus fueris, et laudatus, non elatus sis : an Dominum totis viribus dilexeris, et proximum tuum, sicut te ipsum. Quod si hæc non servaverimus, quare ita magnifice de nobis ipsi sentimus ? Quod coram ejus bonitate deplorandum est, ut duritiem sanet cordis nostri, dignosque nos reddat inculpatam vitam degere.

LXII. Væ monacho illi, qui, pietate deperdita, vino se corroborat. Nam si sobrietatem hic non coluerit, oportet in novissimis eum amare plangere. Qui autem vias suas in Domino conservat, gloriam æternam hæreditate capiet.

LXIII. Non oportet terminum stricte nimis constituere adversus recenter instructos, ne a seniore ad alium ipsi deficiant, siquidem æquum judicetur a conspirationibus abstinere : nam variæ sunt diaboli insidiæ.

LXIV. Non decet indulgere puero, ut liberius agat cum fratribus : quin potius quietum et obedientem talem præbere se convenit in Domino.

LXV. Nefas est majores scandalo esse inferioribus, ipsisque exemplo esse pravæ conversationis. Quoniam scriptum est; « Væ qui potat proximum suum subversione turbida[2]. » Sed magis ipsi forma et exemplum esse debent fidelibus.

LXVI. Non oportet eum, qui salvari desiderat, attendere

[1] 2 Cor. x, 32. — [2] Habac. ii, 15.

erroribus aliorum, sed sibi ipsi. Nam scriptum est : « Ideo » contendimus sive præsentes, sive absentes, placere illi. » Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, » ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive » bona, sive mala [1]. »

LXVII. Si quis, sicut oportet, non obedit superiori, sufferat infirmitatem novitii, ut hac molestia restituat labores præteriti temporis, Apostolo dicente : « Debemus » nos firmiores sustinere imbecillitates infirmiorum, et non » nobis placere. Unusquisque enim vestrum proximo placeat » in bonum ad ædificationem [2]. »

LXVIII. Non poterit diu esse in uno loco monachus, neque requiem inveniet, nisi primum diligat silentium et continentiam. Silentium enim quietem docet, et assiduitatem orationis; continentia vero cogitationem ab omni distractione liberam reddit. Demum pacifica constitutio horum possessorem excipit.

LXIV. Tentationis tempore apparet probatio viri fidelis. Cæterum tentationis tempore non oportet deficere ; at potius orationibus recteque factis intendere. Quemadmodum qui per mare navigant, vehementibus procellis expositi, suam ostendunt diligentiam, magnamque vigilantiam, Dominum invocantes, sicut in propheta Jona scriptum habemus : « Et navis periclitabatur conteri ; et timuerunt nautæ, » et clamaverunt unusquisque ad Deum suum ; et jactum » fecerunt vasorum, quæ erant in navi, in mare [3]. » Quod quidem loco exempli sit facientis ad abdicationem rerum terrenarum. Nam quibuscumque spretis sæcularibus, pro sola vita æterna concertandum est, et nequaquam, ingruente nobis calamitate aliqua, desperare oportet. Videmus etenim Prophetam, cum in ventre etiam balenæ esset, suam haudquaquam salutem desperasse, sed precando dixisse :

[1] 2 Cor. xv, 9, et Rom. xiv. — [2] Id. xv, 1. — [3] Jon. 1, 4.

« Clamavi in tribulatione mea ad Dominum Deum meum, » et exaudivit me; de ventre inferi clamoris mei audisti vo- » cem meam. Projecisti me in profundum cordis maris [1]. » Non enim despicit Dominus eos, qui in veritate invocant eum. Unde et nos, tribulatione aliqua ingruente, confugiamus ad Dominum, secundum eum, qui ait : « Domine, in tribulatione recordati sumus tui. » Neque enim semper tranquillum est mare, fierique non potest, ut, absque tentatione, perficiamus præsentis vitæ cursum. Si vero fidem Domini tanquam clavum apprehendamus, in vitæ portum introducet nos, depulsisque molestiis, vitam et incorruptibilitatem induemus.

LXX. Charissime, si spiritus acediæ conturbet te, ne animo consterneris, sed deprecare Dominum, et præbebit tibi longanimitatem; factaque oratione, sedens recollige cogitationes tuas, et consolare animam tuam, secundum eum, qui dicit : « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas » me? Spera in Deo, quoniam confitebor illi, salutare vul- » tus mei, Deus meus [2]. » Et dicito : « Quid pigritaris, o anima mea? » non enim semper est nobis in hac vita commorandum. Audi dicentem : « Advena ego sum in terra, et » peregrinus, sicut omnes patres mei [3]. » Resolve animo eos, qui ante actis temporibus in eodem vixerunt monasterio, quod jam tu inhabitas; et nosce atque considera quod, quemadmodum illi ex hoc sæculo transierunt : ita et nos, quando Deo placuerit, oportebit hinc emigrare. Cæterum vita justorum post obitum incipit. Unde Propheta futuram vitam desiderans, ait : « Quemadmodum desiderat « cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad « te, Deus. Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei [4]? » Tanquam enim carcerem aliquem reputabant præsentem

[1] Jon. II, 3. — [2] Psal. XLI, 6. — [3] Id. XXXVIII, 13. — [4] Id. XLI, 2, 3.

vitam Sancti. Unde et alibi dicit : « Nunc dimittis servum « tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace[1]. » Sic etiam Apostolus desiderium habuit dissolvi, et esse cum Christo[2].

LXXI. Duo fratres senes sibi mutuo graves et molesti erant; contingit autem unum ex iis ægrotare, ad quem visitandum dum quidam frater accederet, rogabat eum senex, dicens : « Simultates et inimicitias gerimus ego et ille senex, et velim ut illum ad reconciliationem hortareris. Utinam autem et ego bonum quid alicui possem præstare. » Ad quem frater : « Jussu tuo, inquit, o abba, adhortabor. » Egressusque frater secum cogitabat : « Forte non sufferet adhortationem meam senex, magisque exacerbabitur. » Deo autem sic disponente, quidam ex fratribus affert ei quinque ficus et paucula sycomora. Eligensque frater ficum unam et paucula ex aliis, detulit seni in cellam ejus, dicens : « Forte quidam hæc seni attulit, dixitque mihi : « Accipe, et da illa tali seni. » Quibus auditis senex, obstupuit, dicens : « Ista-ne ad me misit ? » Ad quem frater : « Etiam, abba. » Iisque acceptis, dixit senex : « Bene venisti. » Discedensque frater a sene, ad cellam suam rediit, desumitque ficus cum pauculis sycomoris, ad alium etiam senem detulit : et facta coram eo pœnitentia, dixit : « Sume ista, abba, quæ mittit tibi ille talis senex. » Contracta autem inter eos pax est tribus ficubus pauculisque sycomoris, et non cognoverunt senes quid egisset frater. Ait igitur : « Reconciliati sumus? » At frater : « Ita, abba, tuis orationibus. » Dixitque senex : « Laus Deo. » Divinaque gratia reconciliati sunt senes.

LXXII. In cœnobio quodam, exigente necessitate ut frater in dispensatoris munere constitueretur, præfectus fratrem ad id elegit pro sua voluntate; qui jam relicturus

[1] Luc. II, 29. — [2] Philipp. I, 8.

cellam suam, commendavit supellectilem suam alteri fratri, dicens : « Si contigerit me destitui dispensatoris munere, consignes mihi eadem. » At ille promisit se redditurum. Et non post multum temporis reliquit frater œconomiam, dicens se in tranquillitate cellæ suæ quiescere malle, aitque ad fratrem : « Redde mihi quæ tibi concredidi. » At ille noluit præbere. Cumque videret frater eum irasci, neque velle quidquam præbere, tacuit. Alius autem frater hortabatur illum, dicens : « Fac charitatem : si quid tibi concredidit frater, ne eum suis prives, ne te forte judicium foras ejiciat. » Ad quem ille : « Nihil, inquit, quod ejus sit, teneo. » Et post dies quinque vel decem, admissa tentatione, qui vasa acceperat frater, cum magna tribulatione cœnobio excessit. Præfectum vero se hortantem ne discederet, contumeliis affectum reliquit. Unde œconomus, permissu præfecti, aperta ipsius cella, reperta vasa divisit fratribus. Paucis autem post diebus pœnitentia ductus frater, rediit ad locum suum, ubi apertam cellam reperit, vasaque sua diversis fratribus distributa. Quare vehementer doluit, nec diutius distulit ea recipere, quæ fratri illi fecerat.

LXXIII. Frater interrogavit fratrem quemdam, dicens : « Abbas jussit me ad pistrinum egredi causa pinsendi fratribus panem. Cumque operarii, inquit, sæculares sint, loquuntur indecentia, et non mihi expedit audire ejusmodi. Quid igitur faciam? » Cui ille respondit : « Nonne vidisti pueros litteras discentes gregatim, et quomodo singuli eorum propriis lectionibus studeant, et non aliorum, scientes quod suas magistro recitaturi sint, et non alienas? » Quod si a perturbationibus superaris, audi eum, qui dicit : « Omnia » probate; quod bonum est, tenete [1]. »

LXXIV. Qui sermones multiplicat inter fratres, multiplicabit pugnas et odium sibi. At qui linguæ temperat, di-

[1] 1. Thess. v, 21.

ligetur. Magnum quippe lumen animæ est, timor Domini, ex ea tenebras depellens, ipsamque mundam ac puram reddens.

LXXV. Fratres, nostrum post orationem opus amplectamur; quoniam merces proposita est nobis, si sine fuco et fallacia opus nostrum pertractemus. Nam qui ex contentione, aut sui ipsius amore, vel avaritia opus negligit, illud Scripturæ audiet : « Secundum opera manuum eorum redde » illis [1]. » Qui autem bona operatur conscientia, ut Deo, et non hominibus placeat; benedictam illam vocem audire merebitur : « Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti » fidelis, supra multa te constituam : intra in gaudium Do» mini tui [2]. » Cui gloria in sæcula. Amen.

LXXVI. Si sæculo renuntians, exieris de terra tua, et de cognatione tua, et quiescere te fecerit Dominus Deus tuus in loco, in quo deinceps tranquille ac pacate victurus es, vide ne illo in loco nomen tuum extollas, quamvis etiam princeps, ac valde magnus sis in terra tua; sed tecum ipse dicito, sicut Propheta : « Mendicus sum ego et pau» per [3], » ut Deus suscipiat te, atque exaltet.

INTERROGATIO.

LXXVII. Cur frater negligentem se præbet sedens in cella sua?

RESPONSIO.

Quandiu anima rebus inhæret terrenis, variæ cupiditates hujus sæculi et inanes voluptates, quæ in animam per cogitationes importantur, ejus firmitatem constantiamque labefactant atque dissolvunt. Unde fit, ut frater in cella residens, negligentior fiat. Si vero hunc mundum oderit cum fallaciis ejus, et se ipsum servum Domino præstiterit

[1] Psal. XXVII, 4. — [2] Matth. XXV, 21. — [3] Psal. XXXIX, 18.

in toto corde et anima; nequaquam prævalebit adversus eum negligentia; facietque deinceps opus suum cum animi jucunditate. Quod si ipsi cum inanis gloriæ cogitatione luctandum sit, hanc quoque servus Domini expellet, propriam naturæ infirmitatem expendens, et cujus donum sit, reputans : secundum eum, qui dicit : « Quid enim habes, quod » non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non » acceperis [1]? » Si vero certamen ei cum carnis infirmitate fuerit, non pavebit servus Domini, neque se ipsum a charitate Dei separabit, secundum eum, qui ait : « Quis nos se» parabit a charitate Dei? tribulatio? an angustia? an perse» cutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? » Sicut scriptum est : Quoniam propter te mortificamur » tota die : æstimati sumus, sicut oves occisionis [2] : sed in » his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Cer» tus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Prin» cipatus, neque Potestates, neque instantia, neque futura, » neque Virtutes, neque Angeli, neque altitudo, neque pro» fundum, neque creatura alia poterit nos separare a cha» ritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro [3]. » Cunctas porro passiones spiritus fornicationis consequitur atque comitatur. Fuge turpes sermones, et fugies cogitationes immundas.

LXXVIII. Si jusserint præpositi nos cum fratribus nostris ad extraordinarium aliquod opus egredi, prompti atque alacres accurramus, non contendentes cum negligentioribus. Nam qui potens est viribus, et non cooperatur, multis modis sibi ipsi damno est : primum quidem mercede se ipsum privat : secundo occasionem murmurationi præbet atque detractioni, dum suo ipsius amore opus aggreditur. Non oportet autem industrium ac diligentem fratribus segnioribus intentum esse. Nullus quippe messis tempore dicere

[1] IV, 7. — [2] Psal. XLIII, 22. — [3] Rom. VIII, 35-39.

solet : « Quia vicinus meus sibi alimenta non colligit, ideo nec ego mihi colligam : » sed unusquisque, dum tempus suppetit, alimenta sibi, atque pecoribus suis colligit, ut ab egestate se liberum immunemque conservet. Si autem in temporalibus tanta adhibetur diligentia, nonne multo magis ea opus erit in spiritualibus ?

LXXIX. Senes decet honore cæteris anteire, et infirmis compati bonum est. Senes porro sapientes, unguentum fratrum sunt ad stabilitatem animæ.

LXXX. Principium superbiæ est, nolle cooperari fratribus pro viribus. Convenientibus vero nobis ad opus, non multum est loquendum : sed opus urgendum, ad quod egressi sumus.

LXXXI. Inanis animi securitas generat superbiam : superbia autem mater inobedientiæ. Cæterum humilitas et mansuetudo suum possessorem in timore configunt Domini, tanquam columnam aliquam in templo Domini collocatam.

LXXXII. Non decet monachum ullam habere cum fœmina societatem. Ad eam vero, quæ virginitatem profitetur, prorsus ne accesseris, siquidem ullus in te carnalis sensus viget. Nam monachum in vino cum fœminis versari, idem est ac se in ignem projicere. Qui autem earum fugit consuetudinem, fugit tanquam dama ex retibus.

LXXXIII. Frater, sobrium te præbe ac vigilantem a juventute tua, ne te pœniteat in novissimis tuis. Vide ergo ne cor tuum homines zelaverit peccatores. Scriptum quippe habetur : « Noli æmulari in maligantibus, neque zelaveris » facientes iniquitatem : quoniam tanquam fœnum velociter » arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident. » Spera in Domino, et fac bonitatem [1]. »

LXXXIV. Charissime, si malæ conversationis sit frater

[1] Psal. XXXVI, 1-3.

tuus, admone illum, dicens : « Finem impone, frater; non enim tibi utilis est ista conversatio. » Affer autem ei exemplum aliquod eorum, qui lapsi sunt : hoc tamen modo, non quasi ejus, qui cecidit, errorem atque peccatum commemorans, sed ut præsentem juves, ut respiciens ad pericula consequentia, fugiat lapsum. Propone autem ei memoriam eorum, qui Domino placuerunt, et discerne ipsi utrorumque retributionem. « Et, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum [1]. » Sin autem in eadem voluntate atque opinione perstiterit, et ab aliis admonitus non paruerit, ea peragendo, quæ contemptionis sunt, subtrahe te illi, fusis pro eo precibus ad Dominum, secundum eum, qui ait : « Quod si quis » non obedit verbo vestro, per epistolam hunc notate : et » ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite » quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem [2]. »

LXXXV. Quis aliquando conspicatus alterum in semitam aliquam ingressum, et in illa periisse, non semitam illam fugit, ne in eamdem incidat calamitatem?

LXXXVI. Ne decipiaris, frater, saturitate ventris, et noli inebriari vino, in quo est luxuria : non enim tibi lucrum est, nisi in perficienda voluntate Domini.

LXXXVII. Serva, frater, castitatem corporis tui : quam si in charitate Christi custodieris, omnem facile virtutem perfecte exercere et assequi poteris. Nam qui in te inhabitat Spiritus sanctus, in te gaudebit, quod templum Dei, puritate ac recta voluntate adoleas; confortabitque te ad omne opus bonum. Hæc porro tria, instrumenta sunt excolendis virtutibus, ac divinæ puritati perquam accommoda : temperantia ventris, moderatio linguæ, et oculorum frenum. Si ergo duo servaveris; oculos vero non custodieris, ne distrahantur, firmam castitatem tenere nequibis. Quemadmodum enim aquæ ductus confractus deperdit aquas;

[1] Matth. XVIII, 15. — [2] 2 Thess. III, 14, 15.

ita et oculorum distractio mentem castam destruit. Si quando autem edendi cupiditas te invaserit, dic cogitationi : « Cogita, si heri hoc te cibo refecisses, nonne hodie jejunus surrexisses ? » Quod si tibi suggesserit, ut res inutiles scisciteris, dic cogitationi tuæ : « Puta jam te interrogasse, quodque proximus tibi responderit ; » et sile. Quod si evagationem mentis atque distractionem tibi suggesserit, dic cogitationi : « Propterea hic es, non ut alienam pulchritudinem perdiscas. Attende tibi, et negligentiam fuge, ut mens tua confixa hæreat in timore Dei, juxta illud : « Con» fige a timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis » timui [1]. »

LXXXVIII. Arbitror conducere monacho, maxime novitio, non exire e cella sine superhumerali, aut alio vestimento : id enim indecens esset. Siquidem nudo aliquo lebetone, sive cum colobio novitium incedere, monacho turpe est et indecorum. Scriptum quippe habetur : « Præ» cingere, et calcea te caligas tuas : et circumda tibi ves» timentum tuum, et sequere me [2]. »

Non decet monachum nimio affectu atque inordinate corpus lavare, vel pedes, instar voluptatis amatorum, qui per corporis elegantiam, vestiumque ornatum, sibi voluptates aucupantur. Sic pietatis studiosus per contraria contrariis resistit.

LXXXIX. Non oportet ad ostentationem hominum quidquam agere ; sed cuncta puro agenda sunt corde, tanquam Deo latentium et occultorum conscio, a quo etiam solo remunerationem speremus.

Non licet monacho peregrina proferre colloquia, præsertim tempore synaxis, ne impedimentum demus cæteris. Ecce fratres nostri laborant ; et nos vacui et otiosi sumus. Ipsi sacras audientes Scripturas, combibunt, instar terræ

[1] Psal. CXVIII, 120. — [2] Act. XII, 8.

pluviam sitientis; nos autem et intus versantes, extra cogitationibus distrahimur. Ipsi diligentes sunt et attenti; nos autem negligentes. Ipsi vigilant in orationibus; nos autem somno et inertiæ nos ipsos obstrinximus. Ipsi coronam acceperunt; nos autem in nostra permanemus ignavia. Ipsi Domino placuerunt; nos autem mundo. Quare et nos evigilemus, ut accipiamus. « Omnis enim qui pe» tit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperie» tur [1]. Quoniam suavis Dominus universis, et miserationes » ejus super omnia opera ejus [2]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

XC. Deum honora, charissime, et mandata ejus observa, et cito videbis longe post te relictos eos, qui te contemnunt atque despiciunt; si minus hic, at certe ibi. Serva igitur charitatem, ut pupillam oculorum. Lux et vita in ea sunt : serva eam. Gaudium est omnibus retinentibus eam. Divina est possessio, angelicaque dignitas; custodi eam. Si dilexeris eam, renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. Si servaveris eam, erit tibi exultatio coram Deo et Angelis. Si eam dilexeris, prosperaberis in cunctis operibus tuis. Si dilexeris eam, inhabitabit in te gratia Dei; eritque gratia instar fontis distillantis medicamenta hominibus, bonusque odor ejus cor tuum exhilarabit. Columna est omnium virtutum. Non est in ea dolor mortis. Justitiam, et fortitudinem, patientiam ac pacem edocet. Domus Dei est; eam serva. Ipse autem Dominus largietur nobis eam cum fructibus ejus. Cui gloria in sæcula. Amen.

XCI. Charissimi, diligamus invicem, et confundetur inimicus, qui non cessat adversus servos Dei excitare æmulationem atque invidiam. Nam qui inimici sequuntur consilium, videntes inter se fratrem ex animo grate servientem Domino, non ferunt; sed machinationes excitant, volentes eum per-

[1] Matth. VII, 8, et Luc. XI, 10. — [2] Psal. CXLIV, 9.

sequi, veriti ne vera pietate atque religione proficiens, fortior ipsis evadat. Et hic quidem persecutionem patiens, innocens recedit ex causa separationis : sed auctores culpa non vacant. Sic Joseph pro servo venundatus est in Ægypto [1]. Verum Deus, quem mente tenebat, ipsum non despexit : imo gratiam ac sapientiam coram Pharaone Ægypti rege donavit; principemque eum super Ægyptum et universam domum suam constituit [2] : et qui reprobaverant eum, ibant adoraturi eum cum muneribus, non solum ut fratrem, sed tanquam regem et dominum universæ terræ Ægypti. Nam scriptum est : « Dominus dissipat con» silia gentium ; reprobat autem cogitationes populorum, » et reprobat consilia principum : consilium autem Domini » in æternum manet [3]. » Rursusque ait : « Dominus mihi » adjutor, et non timebo quid faciat mihi homo [4]. » Servemus igitur nos ipsos, charissimi, ne quem ex pusillis istis scandalizemus; Domino et Salvatore nostro Jesu Christo affirmante; « Expedit enim ei magis, ut suspendatur mola » in collo ejus, et demergatur in profundum maris, quam » ut unum scandalizet de pusillis istis, qui in me credunt [5]. » Et iterum : « Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : » Amen quippe dico vobis, quia Angeli eorum semper vi» dent faciem Patris mei, qui in cœlis est [6]. » Propterea diligamus invicem, charissimi, ut cum viderit Dominus fidem, et unionem ad invicem, quam habemus ad timorem ejus, in nobis lætetur, sicut scriptum est : « Lætabitur Do» minus in operibus suis [7]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

XCII. Vigila, charissime, et attende tibi ipsi : multæ enim sunt insidiæ inimici. Si enim fratrem sobrietati ac vigiliis deditum conspexerit inimicus, alium mox ex ne-

[1] Gen. XXXIX. — [2] Psal. CIV, 21. — [3] Id. XXXII, 10, 11. — [4] Id. CXVII, 6, 7. — [5] Matth. XVIII, 6. Marc. IX, 42, et Luc. XVII, 1. — [6] Matth. XVIII, 10. — [7] Psal. CIII, 31.

gligentioribus adversus eum excitat, ut sæpe etiam manus inter se conferant. Deinde conciliata amicitia, eamdem confidenter inter illos auget fraudulentus : non quidem virtutis gratia, sed ut per ejusmodi amicitiam turbatis illorum mentibus, voluptatis affectum inter eos admisceat, fiatque ingens malum. Quare etiam posteaquam suam ipsi improbitatem damnaverint, tantum sæpe odium auget, ut abjiciant brevem illam, indecentemque amicitiam. Qui vero Deum timet, nunquam sine superna sapientia diliget : nam scriptum est : « Quæ autem desursum est sapientia, » primum quidem pudica est, deinde pacifica [1], » et quæ sequuntur.

XCIII. Si inter fratres commoreris, ne assuescas præcipere, sed exemplum te præbere potius iis in bonis operibus, obediens in iis, quæ ab alio dicentur tibi. Sin autem, exigente necessitate, loquaris, tanquam consiliarium te gere. Quod si alius frater dictis tuis contradixerit, ne movearis mente, sed voluntatem tuam, charitatis pacisque gratia, reprime. Si enim iram excandescentis dæmonis per mansuetudinem respuis, nihil adversum te poterit. Unde sic tibi contradicentem alloquere : « Ego quidem, benedicte, tanquam idiota aliquis locutus sum, sic existimans. Da mihi veniam; quoniam ignoranter locutus sum. » Sit autem quemadmodum ipse dixisti. Et in hoc retrocedet a te, re infecta, atque confusus, turbarum excitator diabolus. Nam contendere, ac propriam voluntatem sustinere, turbas excitat, et iracundiam insanabilem. Ira autem in sinu quiescit impiorum : et vis iræ ejus, ruina est ipsi. Unde et Apostolus admonet, dicens : « Servum Domini non oportet contentiosum esse [2]. »

XCIV. Apostolo dicente : « Sanctificatio vestra, ut » abstineatis vos a fornicatione [3] : » certamen non exiguum

[1] Jacob. III, 17. — [2] 2 Tim. II, 24. — [3] 1 Thess. IV, 3.

est inter sanctificationem et immunditiam : dum impudicitiæ cooperatores suggerunt ejusmodi, dicuntque : « Ecce nullus te videt, et quem vereris ? » Quibus cooperatores sanctificationis respondent : « Deus videt, et Angeli ejus adsunt : et quo pacto tu ais : « Quis te videt? At tentator : « Huc usque, inquit, neminem aspicimus. » Quem interrumpentes sanctimoniæ cultores : « Bene, inquiunt, dixisti, quod neminem videmus; nam scriptum est : « Excæcavit eos » malitia, et nescierunt sacramenta Dei [1]. » Propheta quoque clamat, atque dicit : « Intelligite insipientes in populo, » et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat [2]? » Et alibi ait : « Domine probasti me, et cognovisti me : tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam. Tu intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam, et » funiculum meum tu investigasti : et omnes vias meas » prævidisti : quia non est dolus in lingua mea. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua. Tu » formasti me, et posuisti super me manum tuam. Mirabilis » facta est scientia tua ex me : invaluit, et non potero ad » eam. Quo ibo a spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam? » Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ad ortum, et » habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua » deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi : Forsitan » tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio in deliciis » meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut » dies illuminabitur. Sicut tenebræ ejus, ita et lumen » ejus [3]. » Et alibi : « In ipso enim vivimus, et movemur, » et sumus [4]. » Et quo pacto tu dicis, quod nullus te videt? cum Dominus dixerit : « Amen dico vobis, quia si hi tacue-

[1] Sap. II, 21. — [2] Psal. XCIII, 8, 9. — [3] Id. CXXXVIII, 1-12. — [4] Act. XVII, 28.

» rint, lapides clamabunt [1]. » Hæc igitur tecum ipse reputa, et peccatum nequaquam dominabitur tibi, neque dolor peccati occupabit te; sed gaudium et pax tibi erit in Spiritu sancto. Quid enim peccatum est? Tenebricosus atque caliginosus dolor invadit, comitaturque operantes peccatum; sanctificationem vero gaudium et pax consequitur. Qui itaque quietus in cella sua degit, exultat in Spiritu sancto, instar infantis sub mamilla matris suæ. Deinde iterum superveniens gratia facit eum lugere ac flere, in memoriam ipsi peccata præterita reducens, ne nimio elatus gaudio offendat. Quin et lacrymis splendescit anima, cœlestia divino munere contemplans. Magnum quippe donum est sanctificatio in dilectione Dei, Domino affirmante : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [2]. » Ipse autem Dominus, qui fragiles excitat, et eos, qui animo sunt demisso atque abjecto, salvos facit et membra in peccatis inveterata per pœnitentiam reparat, immaculatum corpus nostrum cum anima et spiritu tueatur atque custodiat. Ipsi gloria in sæcula. Amen.

XCV. Si quietus vixerit monachus in sua cella, a multis turbis liberabitur. Qui puer est sensu, si ad turbas accesserit, non referet emolumentum : at qui cogitatione perfectus est, utilitatem percipiet. Cæterum quietam ac solitariam vitam degere, præstantius est. Exempli gratia, charissime, fratri per civitatem obambulanti occurrit tumultus hominum, dum hunc quidem ridentem videt, istum vero plorantem, illum dire jurantem, alium etiam blasphemantem. Et ejusmodi conspiciens frater, si mente sit infirmus, subito illud Pharisæi dictum in mente habebit : « Gratias ago tibi, Domine, quia non sum sicut cæteri » hominum [3] : » aut frequens etiam iisdem affectionibus commotus, discedet. Quare solitudo quieta maxime infir-

[1] Luc. xxi, 32. — [2] Matth. v. — [3] Luc. xviii, 11.

mioribus est utilis. At qui mente perfectus est, jam dicta intuens, obstupescit super longanimitate Dei, secum ita loquens : « Vides quanta sit divina patientia ! quandoquidem dum a nobis maledicitur et blasphematur, fert patienter, et non irascitur ; despectus sustinet, et non reminiscitur injuriæ. Cuncta nostris usibus suppeditat abundanter, erudiens, et misericordiam exhibens, omnesque nos ex multa benignitate sua ad pœnitentiam reducere cupiens. Ego vero quid faciam peccator ? quia cum terra sim et cinis, contumeliam sufferre nolo, imo ne verbum quidem a fratre asperius. Nam si contumelia mihi infertur, irascor : si preces mihi exhibentur, animo efferor. Hei mihi ! hei mihi peccatori ! Et his compunctus frater, abit glorificans Deum, ac dicens : « Gloria tibi, Deus. » Iterumque dico : « Gloria tibi Deus, qui solus bonus et benignus es. »

XCVI. Charissime, si quando impuræ mentem tuam perturbent cogitationes, non despondeas animum ; sed memineris miserationum Dei. Nunquam enim cui navigium commissum est, reprehendetur a possessore, ut dicat : « Cur passus es meam navim fluctibus impelli ? » sed, « Cur neglexisti, nec fluctibus obstitisti ? Cur vero et ad portum propositum, id est, divinam misericordiam, non confugisti ? » nam quando in nos insultus immundarum cogitationum suscitat inimicus, quas hominum aures ferre non possent, conversus vicissim dicit : « Periisti, non est tibi spes ulla salutis, » volens undis te desperationis demergere. Tu itaque cave fidas dictis ejus ; ne animam tuam desperatione afficias. Sed quantum illi desperationis timore animam gravant ; tantum nos spe futurorum bonorum sublevemus eam, divinæ commiserationis memores : ne nimium onerantes adversarii, animam cogitationibus demergant. Illis igitur ad nos dicentibus : « Periisti, nec amplius salvari poteris : » dicamus eis : « Nos cum Deum habeamus mise-

ricordem atque longanimem, non desperamus de nostra salute. Qui enim dixit non septies solum dimittendum esse proximo, sed usque septuagies septies [1], multo magis peccata dimittit expectantibus salutare ipsius. » Pulsi igitur hinc ipsi, in alio incursionem faciunt dicentes : « Cum Deum habeatis misericordem atque longanimem, et peccata dimittentem, cur non magis indulgetis voluptatibus sæculi, et postea pœnitentiam agite? » Nos vero eis respondeamus : « Quæ fecimus, fecimus : » nunc autem Scriptura attestante quod novissima hora sit [2], in quam horam, vel in quod tempus respicientes, desides et ignavi nostram salutem negligemus, malumque in conspectu Domini Dei nostri agere pro nihilo ducemus? Similis es enim viro sub arbore considenti, qui prospiciens immanes bestias gregatim adventare, sese in altum abripit, ita ut feræ ipsi nocere non valeant. Existima autem arborem, timorem Dei : eritque tibi gratia cooperatrix in omnibus ubicumque ambulaveris, et inimicos tuos substernes tibi.

XCVII. Sic in præsenti vita incedere oportet fideles. Si gaudium nobis acciderit, sive ex felicitate aliqua, sive ex beneficiis acceptis; vereamur non longe abesse tristitiam. Sin autem tristitia supervenerit nobis, speremus gaudium propinquum. Exemplum ab iis, qui per mare navigant, capiamus. Nam hi, insurgente in eos vento, ac tempestate aliqua vehementiore, non illico desperant suam salutem; sed resistunt fluctibus, tranquillitatem expectantes : qua obtenta, iterum procellas metuunt. Unde etiam assidue advigilant, ne repentina aliqua vis ventorum insurgat, quæ eos imparatos in mare deturbet. Sic et nos utrinque circumspectos esse oportet. Qui enim expectatur, si venerit, non ut novus, neque ut peregrinus ei supervenit, a quo excipitur : neque enim illum imparatum offen-

[1] Matth. XVIII, 22. — [2] I Joan. II, 18.

dit. Cum igitur tribulatio aliqua, vel angustia nobis acciderit, liberationem ab iis, et auxilium a Deo expectemus : ne forte dum longior est ac diuturnior tribulatio, si nulla spes nobis salutis supersit, mortem afferat. Similiter dum gaudium nobis obvenerit, angustias expectemus, ne ob nimium gaudium obliviscamur luctus.

XCVIII. Si compassionis affectu permotus, fratrem adhortaturus abieris ; priusquam tractes cum eo, quem cohortari statutum est, sic tecum cogita. Si te non audierit, noli irasci, neque perturbari : ne nocumento sit vexatio tua, et fratrem accuses. Si te auscultaverit, Deo redde gratias. Sin autem adduci non possit ut dictis tuis obediat, ne irascaris. Nam compassionis mercedem atque misericordiæ incunctanter a Deo recipies : quippe qui ob illius n men id feceris.

XCIX. Charissime, cœlestem thesaurum desiderasti, dignusque Domino fieri elegisti? Dicentem audi : « Si vis » perfectus esse, vade, et vende quæ habes, et da pauperi- » bus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, et sequere » me[1] : » Et rursum : « Qui amat patrem aut matrem plus » quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem » suam, et sequitur me, non est me dignus[2]. » Itaque nisi quis crucem bajulet, non poterit sequi Dominum. Postquam enim dixit : « Vade, vende quæ habes, et da pauperi- » bus, et habebis thesaurum in cœlis; » adjunxit, dicens : « Et veni, sequere me. » Non ergo solum renuntiationem, sed et probationem, quæ in ejusmodi succedere solet laboribus, præbe. Tunc enim præstantius certamen et lucta suscipientur cum adversario : qui si postea cogitationem dimovere valuerit a rerum cœlestium meditatione, novissima pejora reddet prioribus : ita ut qui large ac liberaliter suas

[1] Matth. XIX, 21. — [2] Id. X, 37, 38. Luc. XIV, 15, et Marc VIII, 34.

opes dispersit, vilissima deinde quæque audacius persequatur: et qui nuptias legitimas recusavit, fornicationis hunc et lasciviæ amatorem efficiat. Unde sane multa opus est vigilantia, donec ex hoc corpore, sive certaminis septo, excesserimus.

C. Charissime, si in congregationem fratrum ascetarum incideris, voluerisque versari inter eos, ut servias Domino, in omnibus te humilem præbeas, ut alios quoque, qui ex miseranda sæculari vita aderunt et adventabunt, tua honesta conversatio erudiat, suasque ipsi animas ad virtutum perfectionem excitent.

Quando ergo præfecti nos una cum aliis fratribus jusserint ad opus egredi, alacriter contendamus. Si porro dixeris: « Corpus meum non suffert labores, sicut rusticorum; » perspicuum istud est; non enim omnes æqualiter possunt onera ferre. Cæterum obedientem et promptæ voluntatis esse, concessum est omnibus. Ostende igitur propositum atque alacritatem tuam in veritate, et omnes te onere levabunt, videntes te illo ferendo parem non esse. Sed vide ne omnino te illo sublevari patiaris onere; verum interpella eos, dicens: « Ego quoque vobiscum partem habere cupio, » et cooperare iis pro viribus, quas tibi largitus est Dominus. Nam scrutator cordium, qui nos fecit, nobisque vitæ spiritum dedit, novit quas singulis vires attribuerit. Si enim post arreptam solitudinem contraria divinis mandatis egerimus, in vanitatem res tota resolvitur. Quod si subrepens inimicus concupiscentiam rerum præteritarum in mente tua seminaverit, vide ne ulla quidem ratione cum hujusmodi cogitationibus versari ac colloqui patiaris; nam præteritarum memoria rerum superbiam iis parit, qui temere ac sine ratione in earum cogitatione hærent. Quando porro spatium ac locum, superbiæ operibus perficiendis opportunum, in præsenti vita non obtinuerit; tunc

male affectæ menti ipsum tradit. Mala autem affectio, nosti quid sit? Passio ea est improba, ad iram provocans Deum, et homines exacerbans. Quo vero pacto gladius equi nervos præcidit, et sessorem dejicit : sic prava cogitatio vires animæ frangit, eamque tristitiæ tradit : tristitia vero corrumpit eos, qui in illam incidunt. Quis autem volens urbem ingredi, quæ stadiis triginta longe abest, ubi viginti novem confecit, unius tædio non ultra progressus est? hic quippe e propriis migravit, urbem tamen non ingreditur. Sicut enim qui venit undecima hora, mercedem plenam, non secus atque reliqui, qui pondus diei portaverunt, accepit : ita etiam qui operatus est usque ad undecimam horam, circa vero duodecimam cœperit pigrescere, et plantata evellere, cum illis non accipit; Domino et Salvatore nostro dicente : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus » erit[1]. » Et rursum : « Nemo mittens manum suam ad ara- » trum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum[2]. » Uxor enim Lot retrospiciens, in columnam salis conversa est. Unde etiam Apostolus præterita oblivioni demandans, ad ea vero, quæ sunt priora, se ipsum extendens, dicebat : « Mundus hic transit et concupiscentia ejus; qui autem » facit voluntatem Dei, manet in æternum[3] : » hospites enim sumus et peregrini in hac vita. Si vero, donec tempus habemus, operabimur in illo quæ sunt placita Domino, mercedem recipiemus. Posside igitur patientiam, frater dilecte; scriptum est enim : « In patientia vestra possidebitis ani- » mas vestras[4]. » Enoch ad ducentos annos, postquam genuit Mathusala, acceptus fuit Deo : et nos brevi hoc tempore pigrescimus?

Obluctare perniciosis cogitationibus, et dic cum illo, qui aiebat : « Cum Christo crucifixus sum; vivo autem,

[1] Matth. x, 22. — [2] Luc. ix, 62. — [3] 1 Joan. ii, 17. — [4] Luc. xxi, 19.

» jam non ego : vivit vero in me Christus [1]. Quid enim » proderit homini, si mundum universum lucretur, animæ » vero suæ detrimentum patiatur [2] ? Declinate a me maligni. » et scrutabor mandata Dei mei [3] : » Ecclesiaste clamante : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas [4], » post tantam opulentiam et gloriam. Non amplius vanitati labores meos offero, ut post meum obitum, alii hæreditatem adeant, et ego pœnam daturus sim ; sed offero labores meos bono et miserenti Deo, qui post mortem dat vitam, « Quique præpa» ravit diligentibus se quæ oculus non vidit, et auris non » audivit, et in cor hominum non ascenderunt [5]. » Eia itaque, charissime, « Viriliter age, et confortetur cor tuum, et sus» tine Dominum [6] : » et erit in pace obitus tuus. Illic videbis justos de tua salute lætantes. Illic recumbes in sinu Abrahæ cum Lazaro : paupertatem enim elegisti, tribulationem sustinuisti, opprobria æquo animo pertulisti, animi abjectionem non horruisti. Propterea excipient te cum gaudio in æterna tabernacula, ubi procul absunt dolor, tristitia et gemitus. Illic videbis vitam, et lumen verum, spem omnis creaturæ, Redemptorem animarum nostrarum, Dominum nostrum Jesum Christum, Regem gloriæ : et gaudebit cor tuum, et gaudium tuum nemo tollet abs te. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus custodiat nos omnes absque ulla macula : cui gloria in sæcula. Amen.

[1] Galat. II, 19. — [2] Matth. XVI, 26. — [3] Psal. CXVIII, 115. — Eccl. I, 2. — [5] I Cor. II, 9. — [6] Psal. XXVI, 14.

SERMO.

In illud quod dixit Dominus : In hoc mundo pressuram habebitis, *et de perfectione hominis.*

I. Dominus, ac Dominator noster Jesus Christus cupiens salvum fieri genus humanum, ac redimi a diaboli tyrannide, omnibusque terrenis vinculis nos liberare, ac gehennam effugere, cœlorumque regnum adipisci, tum per se ipsum, tum per sanctos Apostolos, et Prophetas angustiam in hoc sæculo atque ærumnam, et non esse nobis indulgendum rebus præsentibus, hortatur his verbis : « In hoc mundo » pressuram habebitis [1]. » Similiter et Apostoli dicunt, quod « Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum » cœlorum [2]. » Idcirco et afflictiones, et pœnas omnium Sanctorum, non minus quam sui ipsius in carnis dispensatione perpessiones, quas pro nobis peccatoribus passus est, in scriptis nobis tradidit, ut ex iis discamus non licere ei, qui vult salvus fieri, in otio præsentem vitam ducere, seu sine tentationibus, vexationibusque in hoc mundo manere : neque enim quis supplicium potest effugere, neque regno potiri, æternisque bonis frui, absque tribulationibus, et tentationibus. Optime enim scitis, dilectissimi, nemini concessum esse, ut æstate metat, nisi hyeme seminaverit, neque ut ex vite uvas decerpat, vinoque ipsius exhilaretur, nisi antea multa passus vineam plantaverit, fructumque ex ipsa proprio tempore expectarit. Sic et nos in hoc mundo, nisi renuntiantes carnis affectibus, ac cogitationibus, omnibusque terrenis rebus, et deprimamus nos ipsos, et affli-

[1] Joan. xvi, 33. — [2] Act. xiv, 21.

gamus, redigamusque in servitutem cum mundo, et secundum Apostoli doctrinam ambulemus, sicut ipse inquit: « In » multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in » persecutionibus, in plagis, in laboribus, in jejuniis, in » vigiliis, in fame, in siti, in frigore, et nuditate [1]. » Verum quorsum nunc singula recenseam? Si quis enim velit hujus perpessiones, ærumnasque enarrare, tempus ipsum deficiet, maritimas profectiones, et naufragia, molesta, ac periculosa itinera, latronum impetus, consanguineorum insidias, falsorum fratrum impressiones: cum infirmis quotidie infirmari, et quotidie commori. Hæc omnia tanquam de aliis enarrabat, proprios dolores publice exponens, hortansque universos per patientiam ad æternam vitam pervenire: demonstrando ei, qui salvus fieri cupit, aliam viam inire non posse. Ferme enim per ærumnas, ac tentationes omne suum tempus duxit Apostolus.

II. Nos vero miseri neque qualemcumque dolorem perferimus; sed remisse, ac molliter viventes, æterna bona nos consecuturos esse speramus. Et quonam pacto hoc fieri potest? Si enim qui terrenas divitias possidere cupiunt, omne periculum ac discrimen subeunt; quanto magis nos, qui cælestes opes adipisci, ac stabilibus deliciis perfrui exoptamus, molestos omnes labores spernere, atque periculum omne, et discrimen aggredi debemus? Nisi enim prompte, atque ex animo omnem laborem subeamus, et cum compunctione contritoque corde seminemus lacrymas, quomodo ibi metemus non flentes, aut quo pacto cum exultatione virtutum manipulos inveniemus? Non enim dixit Propheta qualemcumque colligere cum exultatione manipulos suos, sed eos, qui seminant in lacrymis, hoc est, qui in præsentia deprimunt se ipsos, et cum compunctione, et lacrymis contrito corde orantes Dominum, om-

[1] 2 Cor. VI, 4, 5, et XI, 27.

nem calamitatem, atque angustiam perferunt cum gratiarum actione. Hi æterna vita potiuntur, atque in gaudio in sæculum sæculi recreantur, neque enim iis, qui inconsiderate, atque ut res tulit, vivunt, tanta bona præparavit; sed iis, qui præcepta ipsius servant, et secundum illius mandata gradiuntur : nam gehennam non temere minitatus est, et reliqua supplicia, nisi transgredientibus sua mandata, et carnis affectionibus inservientibus, omnibusque diabolica opera sectantibus, qui Dei timorem a se ipsis abjecerunt, et nihil futurorum expectant. Isti supra dictis castigationibus addicuntur.

III. Quomodo igitur etiam nos effugiamus æternum ignem, et tenebras exteriores, et stridorem dentium, et vermem non dormiturum, et reliqua omnia interminata supplicia, qui in otio ac deliciis, in desidia, ac dissolutione, negligentiaque nostros dies consumimus, et sermonibus intempestivis, stultis, sordidis, obscœnisque indulgemus? Quo pacto æternum fletum effugere possumus, semper in risu, et negligentia totum nostræ vitæ tempus traducentes? Miseros enim Dominus pronuntians eos qui rident, et beatos dicens, qui lugent : « Væ, inquit, vobis, qui ridetis » nunc, quia lugebitis, et flebitis[1]. » Et : « Beati, qui lugent » nunc, quoniam ipsi consolabuntur[2]. » Cum igitur tempus habemus, convertamur ex toto corde nostro ad Dominum, ac cum fletu, et compunctione, contritoque corde oremus Dominum, sicut dicit Propheta : « Venite adore» mus, et procidamus ante eum, ploremus coram Domino, » qui fecit nos[3], » ut ex jam dictis malis nos eripiat, et suo cœlesti regno nos dignetur. Ita, dilectissimi, procidamus ante eum cum lacrymis, sine ulla verecundia petentes nostrarum animarum salutem. Prosunt lacrymæ hic, et peccati flammam extinguunt, nosque hic existentes, et ad

[1] Luc. VI, 25. — [2] Matth. V, 5. — [3] Psal. XCIV, 6.

eum conversos et suscipit, et admittit, et salvat, et suis æternis bonis nos dignatur; ibi vero non amplius; sed justum judicium, atque operum retributio. Nunc enimvero multam vim habet aqua lacrymarum; tunc vero ignis hominum opera probabit: nunc prodest animi dejectio, et luctus; eo vero nobis hinc profectis inutiles fient nostræ lacrymæ, et amare ingemiscemus, et plorabimus, dentibusque stridebimus, et nemo unus erit, qui nostri misereatur.

IV. Quid autem ipse faciam negligens, dissolutus, ignavus, hæc et dicens, et audiens, aliosque commonefacere audens, qui omnibus carnis illecebris addictum, pravisque cogitationibus mancipium me præbeo? Heu! heu! o anima! Quo pacto tuam salutem negligis? Quomodo te addixisti vanitati, et obligasti te ipsam terrenis rebus, minime recogitans te oportere sisti tremendo judicio? Versa animo terribilem Domini adventum, horrendum ipsius tribunal, fluviumque ignem. « Fluvius enim, inquit, egreditur a fa» cie ejus : millia millium assistebant ei, et decies centena » millia ministrabant ei [1] : » Ubi non solum operum rationem reddituri sumus, verumetiam discursuum, et cogitationum cordis : ubi omnia nuda, et aperta : ubi non potest patronus inveniri, nec munus offerri. Ubi celabimus tunc, quæso, cogitationes, et verba, atque operationes, quando Sancti coronantur, qui in hoc sæculo attriti sunt, atque exagitati; qui laborem omnem exantlarunt, et jejunia, et vigilias, et algorem, et nuditatem, et demersiones, et sexcentas calamitates, necessitatesque tolerarunt? Et in locis desertis errantes, in montibus atque speluncis, et in cavernis terræ, omnibus rebus temporalibus privati, et malis oppressi, qui semel se ipsos abnegarunt, et crucem suam portantes Dominum secuti sunt, nihilque terrenum

[1] Dan. VII, 10.

sapuerunt : qui in terris versati, atque in cœlis jus civitatis adepti, pro Christo tota die mortificati, hi æterna vita perfruuntur, et immortalitatis corona dignantur. Ego vero et mei similes conversati in hoc sæculo ad prædicta supplicia condemnati deducimur. Cur igitur negligentes, ac socordes sumus, et nos ipsos stultis, ac temporalibus rebus implicamus? Quid nobis proderit sæculi hujus possessio? Nonne potius nos condemnabit? Quid vero hominum gloria conducet nobis? Nonne promissam habet fœni combustionem, Propheta luculenter clamante : « Omnis gloria » hominis ut flos fœni [1]. » Quare igitur fallaces cogitationes sequimur, neque ipsos mundi vinculis solvimus, et dolo ratiocinationum? Utinam vero hactenus solum procederet malum : quando hæc ipsa delicta sunt, et impedimenta mandatorum Dei, argumentaque infidelitatis : cum dicat Dominus : « Quid proderit homini, si lucretur mundum » totum, et detrimentum animæ suæ faciat [2]? » Alibi vero cum rursus dicat : « Quomodo vos potestis credere, qui » gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo » est, non quæritis [3]? » Et rursus ad renuntiandum rebus possessis instituens nos, et volens a sensibilibus liberare : « Ne solliciti sitis, ait, animæ vestræ quid manducetis, » aut quid bibatis, neque corpori vestro quid induamini [4]. » Rationemque nobis attulit dicens : « Nonne anima plus » est quam esca, et corpus plus quam vestimentum [5]? » Et iterum avium nobis, et fœni dilucidius proponens exemplum : « Respicite, inquit, volatilia cœli, quoniam non se- » runt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater » vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis » volatilibus [6]? » Et denuo : « Considerate lilia agri, quo-

[1] Isaï. XL, 6, et 1 Petr. 1, 24. — [2] Marc. VIII, 36. — [3] Joan. V, 44. — [4] Matth. VI, 25, et Luc. XII, 22. — [5] Ibid. — [6] Matth. VI, 26.

» modo crescunt : non laborant, neque nent : dico autem » vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooper» tus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod » hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, » quanto magis vos modicæ fidei [1] ? »

V. Argumentum igitur infidelitatis, ut dixi, est vincire nos ipsis terrenis rebus. Atque utinam huc usque nobis culpa inesset; nunc etiam gravioribus nos ipsos malis implicamus : mercedes ex labore quærimus, et sexcenta mala, variasque pravitates excogitamus, in malitia, atque invidia viventes, in hypocrisi, et dolo, vanaque gloria, et superbia, obtrectationem, et odium, atque eis similia patramus, propria membra mordendo, et devorando. Et quod pejus est, his prædictis malis capti, sæpe et reliquorum judices sedemus, et proprias culpas lugere omittentes, alienas curiose, atque anxie inquirimus, et nostras trabes relinquentes, cæcutientesque in nostris malis, fratrum festucas nullius momenti consideramus, Dei timorem ante oculos non habentes, neque minas, quas iis, qui judicant, intentavit. Cum dicat Dominus : « Nolite condemnare, et non con» demnabimini [2]. In quo enim, inquit, judicio judicaveritis, » judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetie» tur vobis [3]. » Resipiscamus igitur, dilectisimi, neque nos reos faciamus judicii, et condemnationis, quam Dominus decrevit iis, qui temere, atque injuste condemnant. Et rursus Domino hortante : « Diligite inimicos vestros [4], » oportet nos lugere, quod adeo a præceptis Dei discessimus, et gloriamur, ac si maxima patraverimus. Tantum vero absumus a diligendo inimicos, ut eos, qui nos diligunt, etiam aversemur, odioque prosequamur. Quando enim illos, qui nulla in re nocentes sunt, conviciis, ac dicteriis insecta-

[1] Matth. VI, 28-30, et Luc. XII, 27, 28. — [2] Luc. VI, 37. — [3] Matth. VII, 2, et Marc. IV, 24. — [4] Matth. V, 44, et Luc. VI, 27.

mur adeo, ut etiam illorum gloriam extenuemus; magnopere odientium argumentum est, atque adversantium. Cogita enim quantæ feritatis indicium sit minime nocenti, imo potius de te bene merito conviciari. Quæ igitur defensionis ratio nobis supererit, qui adeo adversis frontibus Dei præceptis obsistimus? Ubique enim nobis dilectionis legem imponit : dicit enim : « Diligite invicem, sicut ego » dilexi vos [1]. » Nos igitur odii pleni sumus. Hæc autem mundi deceptioni accepta referre debemus : potenter enim nos tenet affectionum radix, id est, avaritia. Impossibile enim est, ut cum pecuniis dilectio commoretur. Etenim quo pacto fieri potest? Qui enim hujusmodi res sollicite inquirit, odit fratrem, quærens aliquid ex rebus ipsius auferre, aut agrum ipsius exoptans, aut domum proximi accipere studens, aut ejus boves, aut pecora illius, aut omnia quæcumque is habet : cum his vero sæpe sæpius etiam ipsam vitam auferre conatur.

VI. Agite igitur, fratres, abscindamus avaritiam a nobis omnium malorum radicem, et seramus in nobis ipsis dilectionem, quæ omnium virtutum conciliatrix est. Enumerans enim Apostolus fructus Spiritus, volensque ostendere maximum amoris donum : « Fructus, inquit, Spiritus est » charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, » fides, mansuetudo, continentia [2]. » Atque iterum ait : « Manet fides, spes, charitas : tria hæc, major autem om» nium est charitas [3] : » omnia enim evacuanda dixit, tum linguas, tum prophetias, tum fidem, et spem; charitatem autem dixit manere in æternum. Quid vero e contrario carnalis prudentia ab avaritia genita? « Sunt hæc, inquit, » fornicationes, immunditiæ, impudicitiæ, idololatriæ, ve» neficia, inimicitiæ, æmulationes, iræ, contentiones, rixæ,

[1] Joan. XIII, 34, et XV, 12. — [2] Galat. V, 22, 23. — [3] I Cor. XIII, 1.

» obtrectationes, lites, invidiæ, ebrietates, comessatio-» nes [1], » et his similia. Iis vero, qui hæc agunt, a regno Dei expulsionem minatus est. Fugiamus, itaque, dilectissimi, eas malas actiones ab avaritia comparatas, ne a regno excidamus. Excutiamus igitur mundanarum curarum grave pondus, bonumque jugum Domini subeamus, ipsiusque pondus leve portemus, et accedamus ad eum cum corde puro, ut nos in sæculum sæculi recreet. Ipse enim dixit : « Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, » et ego reficiam vos : tollite jugum meum super vos, et » discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et inve-» nietis requiem animabus vestris [2]. » Nihil enim nobis proderit sæculi hujus sollicitudo, sed potius etiam condemnat, et ad gehennam adducit.

VII. Nullus enim auri amator potest fieri : etenim ex hac mala cupiditate Judas Dominum prodidit, et laqueo consumptus est [3]. Propter hanc etiam Giezi lepra affectus est, non obediens prophetæ Elisæo, ac pecunias Naaman concupiscens, elephantiam adeptus est, quod argumentum est peccatorum [4]. Ob eam genus Judæorum ad impietatem versum est, et vitulum fusilem pro Deo habuit [5]. Ex hac Ananias, et Sapphira repentinam mortem obierunt, surripientes sibi ex pretio agri [6]. Hujus ope mendacium confirmatur, veritasque perstringitur. Per hanc dolus excogitatus est, ab hac invidia augetur, et malitia multiplicatur. Propter hanc hostes, atque homicidia injusta, et cædes alternæ excogitantur. Verum cur omnia mala amaræ radicis enarrem? Quando etiam ipsum Dominatorem, et Dominum Jesum Christum vendere aggressa est. Eam igitur minime sectemur, ut ne in supra dicta mala incidamus; ostensum namque est omnis malitiæ inventricem esse ava-

[1] Galat. v, 21. — [2] Matth. xi, 28, 29. — [3] Id. xxvii, 5. — [4] 4 Reg. v, 7. — [5] Exod. xxxii, 4-6. — [6] Act. v, 1-10.

ritiam; « Quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et » inseruerunt se doloribus multis [1], » sicut ait Apostolus. Et hæc quidem facere homines vitæ sollicitudine alligatos, intolerabile est, qui habent sæpe necessitatem aut propter uxores, aut filios hanc consectandi; adeoque his aliquando saltem venia ab hominibus conceditur. Nos vero, qui cruci affixisse nos ipsos credimus, quique angelico habitu suscepto, illorum conversationem imitari debemus, et mandatum accepimus totius vanitatis mundi spernendæ, id est, rerum sæcularium, quas mundanas vocamus; nos sane cœlestium conversationem ambientes, multo magis, quam ipsi rebus sensibilibus alligati sumus, cœlumque dimittentes, terræ adhæremus, ut nos ipsos mundanis oblectamentis devinciamus.

VIII. Quam autem excusationem habebimus in die judicii; utpote qui, postquam recessimus a mundi curis, ac parentes et fratres, sororesque, et domum, et domesticos, et reliquas res possessas reliquimus; denuo propter hanc pravam radicem imprudentes ad eamdem revertimur, et magis, ut diximus, quam sæculares, hæc consectamur, et tandem ex iisdem etiam in supra dictas affectiones improbitatis incidimus, et calumnias excogitamus, et cibum, quietemque inquirimus, et per diversas vias in gehennæ caminum ingredi, æternumque ignem nobis ipsis comparare festinamus : cum dicat Dominus : « Angusta est, et » arcta via, quæ ducit ad vitam [2]. » Nos autem hanc relinquentes, perditionis vastitati nos ipsos dedimus : et rursus eo dicente : « In mundo tribulationem habebitis [3], » requiem inquirimus. Quid igitur ad nos excusandos respondebimus ei, qui hæc nobis jussit? Quid ipse dicemus in die judicii? An rerum sollicitudinem proferemus? Verum prædixit nihil profuturum homini, « Si mundum univer-

[1] 1 Tim. vi, 10. — [2] Matth. vii, 14. — [3] Id. xxiv, 9.

»sum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur : » aut quam dabit homo commutationem pro anima sua[1] ? » Quid vero nobis proderit temporaria quies? Nonne tenebras nobis comparabit, et vermem, qui non dormit, stridoremque dentium, et collocabit nos cum scortatoribus, omnibusque, qui in lascivia vixerunt? Tandem enim necesse est, ut ex hac incondita oblectatione, atque otio in intemperantiæ cogitationes nos incidamus. Quemadmodum enim ignis sine lignis, et alia materia ardere non potest; ita debilis nostra, atque insidiosa caro, nisi satietate gravetur, ad concupiscentiam non accendetur, sed quieta, et Domini voluntati obsequens remanet. Ideo Sancti omnem temporariam quietem aversati sunt, et nullam ex mundi curis habere voluerunt, sed in afflictionibus, atque jejuniis, vigiliisque, et in reliquis asperis corporis tractationibus omne tempus suæ vitæ traduxerunt. Propterea et cœlorum regno digni habiti sunt, atque æterna requie potiuntur. Ideo exhortor : horum et nos imitatores fiamus, æmulantes illorum virtutes, id est, erga Deum, et proximum dilectionem, animi demissionem, mansuetudinem, continentiam, tolerantiam, orationem, inopiam, simplicitatem mentis, inanis gloriæ fastidium, mores inconcussos, securitatem, ad preces alacritatem atque ad omne opus bonum, promptitudinem ad omne periculum, atque discrimen ; illorum modestiam, compassionem, misericordiam : ut per hæc omnia opera bona cum ipsis etiam æternis bonis perfruamur.

IX. Eia, dilectissimi, eia, patres, et fratres, minime negligamus! Demus operam, ut solvamus nos a mundi laqueis, et cum illis Sanctis, qui bene decertarunt, et qui nunc decertant, a Salvatore coronemur. Renuntiemus igitur omnibus consiliis carnis, quia inimicos Dei nos constituit :

[1] Matth. XVI, 26.

« Sapientia enim, inquit, carnis inimica est Deo. Legi » enim Dei non est subjecta [1]. » Odio habeamus mundi amicitiam, quoniam et ipsa..... Orando enim dicebat : « Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt; de necessitatibus » meis crue me [2], » tum cum beneficiis a Deo affectus, atque a Dei gratia ab alienigenis liberatus Saül non desistebat ab eo persequendo, et quærebat ipsum occidere, licet ab illo mali nihil accepisset, sed gravi invidia correptus..... Quid vero cum Semeï imprecabatur, spernebat, petebatque lapidibus?..... Tunc vero, cum impos animi ipsum insectabatur, festinabatque eum necare? Quid autem cum audax illud facinus perpetravit, furoremque illum anhelavit contra patris ipsius uxores, eum nihili pendens? Quam multæ ærumnæ! quanti hi dolores! Verum hæc omnia pertulit propter æternam vitam, dicebatque : « Expectans » expectavi Dominum, et intendit mihi : et exaudivit de» precationem meam [3]. » Unde præ reliquis hominibus laudatus est, pater Christi prænuntiatus, dispensationis in carne, sanctæ Virginis, et susceptæ humanitatis Salvatoris, regnique cœlestis factus est hæres, cum totum suæ vitæ tempus per calamitates exegisset.

X. De beati vero Heliæ rebus gestis quis enarrationem contexere poterit? Hic enim ita in terris vixit, ut antequam translatus esset, in cœlis versari crederetur, et cum incorporeis Angelis ætatem ducere, nihil omnino in orbe possidens, sola melote indutus, et timendus apparens iis, qui diademata, et purpuras induebant, non corporis robore, sed paupertatis, et continentiæ virtute, et sancti Spiritus gratia, quam egregiæ vitæ instituto adeptus fuit : qui nihil habens, omnia possedit; qui omnem hujus sæculi quietem respuit; qui fluvium jussu divisit; qui cœlum terræ

[1] Rom. VIII, 7. — [2] Psal. XXIV, 17. — [3] Id. XXXIX, 2, 3.

pluvias annos tres, ac tres menses negare jussit; qui omnem stultam sæculi hujus gloriam fugit; qui continentiæ rore peccati flammam extinxit; qui nihil carnale sapuit unquam; qui damnum falsorum prophetarum coarguit, sacerdotesque Baal jugulavit; qui ter ignem de cœlo descendere jussit, et combussit infideles, ac regem perversionis redarguit; qui tantam habuit libertatem, potestatemque dicendi; qui nubes alligavit; hic tantus, ac talis sine ærumnis, et tentationibus in terris vitam non duxit : sed post tantorum prodigiorum ostensum, propter mulieris timorem fugitivus, atque exul factus est, et quadraginta dierum iter jejunus conficere coactus est : neque sic quietis compos fuit : sed rursus alia tentatio illum excepit, mors filii viduæ; quia post hospitii beneficium, beata illa puerum vidit exanimem, et cum mercedem benedictionis a Propheta accipere expectaret, rem omnium luctuosissimam recepit : quem enim sperabat se habituram vitæ solatium, hunc in ipso Prophetæ adventu amisit. Quantus tunc Prophetæ angor? Etenim mulier suum filium reposcebat, et qui nubes ligaverat, ab ea, quæ puerum repetebat, tenebatur. Quare ab ea pressus, puerum complexatus est os ad os septies, et Deo impense supplicans, reddidit parenti filium a mortuis revocatum [1]. Habebat enim secum facientem abstinentiam a cibo, et contemptum divitiarum. Videtis, fratres, vim paupertatis, et continentiæ; quomodo mortem dissolvit, et vitam puero largitus est, atque a tentationibus, periculisque liberavit, atque igneo curru ad Dominum ire contendit, nihil ab igne læsus. Et quoniam illius vita rore continentiæ, puritatis, et amoris Dei perfundebatur, et propter has, reliquasque virtutes adhuc in carne existens cum incorporeis Angelis versabatur; ita et nos potiri possessione opulenta continentiæ, et paupertatis curemus,

[1] 3 Reg. XVII et XVIII.

ut etiam nos a mortali ad vitam immortalem, æternamque transferat.

XI. Jeremias propheta a ventre sanctificatus est. Deus enim ad eum dicit : « Priusquam te formarem in utero, » novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te [1]. » Huic potestatem quoque dedit eradicandi, vexandi, et perdendi, ædificandi pariter, et plantandi. Et in aperto est, quod neque sic sine ærumnis præsentem vitam duxit : itaque magis acerbam, ac calamitosam, quam is, vitam nemo vixit adeo, ut tam graves lamentationes ipse scripserit, ut si oporteat discere per compunctionem, quomodo Deo grati esse possimus, illius vitam exprimere, atque imitari debeamus. Beatus enim ille magna dotatus fuit animi demissione, atque amore erga Deum et proximum. Quis vero tanta orationis facultate præditus est, ut virtutum amplitudinem dicendo assequi possit, illasque pro dignitate explicare? Cujus fides humanam etiam naturam superavit. Omnem namque mundi recusavit gloriam, et Domini humilitatem (quam propter nos peccatores præ se tulit, cum dives esset, nostri causa factus egenus, omnium Dominus, et Deus existens, servi formam assumere dignatus est, et supra Cherubim sedens, atque ab universo Angelorum, Archangelorumque exercitu absque intermissione laudatus, cum hominibus conversatus est.) Hanc Jeremias prophetice nobis prænuntiavit, ostendens non solum verbis, sed etiam factis. Cum enim Deus ipse prophetiæ excellentiam ante oculos poneret : « Domine, aiebat, nescio loqui, » quia puer sum [2], » indignum se ipsum reputans prophetiæ dignitate : non quod laborem detrectaret, sed quod humilitati insistebat. Unde eo dicente : « Non possum loqui, quia » puer sum, » Deus animi demissionem admittens, et promptitudinem illius amplificans, dixit : « Noli dicere : Puer

[1] Jer. 1, 5. — [2] Ibid. 6.

» sum ego, quoniam ad omnes, ad quos te mittam, ibis [1]. » Atque ita Benedictus ille obediens Deo, sine tentationibus, periculisque nullam horam duxit in terra, sed perpetuo afflictus fuit, videns eos, qui adeo a se diligebantur, legem violantes, atque a Deo, qui ipsos fecit, declinantes, dicentes ad ipsum : « Non prophetabis in nomine Domini [2]. » Ac sexcentas ærumnas ipsorum causa perpessus, injuriarum non recordatus est, atque orare, ac deprecari Deum pro ipsorum salute non destitit, adeo ut Deus ipsi diceret : « Et tu, inquit, noli orare pro ipsis, neque deprecari, ut » miserear ipsorum [3]. » Hunc Beatum traxerunt, ut præcipitarent, atque excuterent cerebrum ipsius. Neque hoc solum, sed etiam in lacum cœnosum eum dejecerunt ex cataracta, ut ipsius vitam delerent. Et omnia sustinuit propter spem in Deum, nunquam requiem carni concedens, cum nihil in terra possideret. Nam lineum cingulum habere illi a Deo concessum fuerat, et hunc rursus prope Euphratem in foramine abscondere coactus fuit, atque iterum inde eum accipere putridum, ut corruptionem potentium Israëlitarum demonstraret. Simili modo et ligneis manicis devinctus est, omnemque ærumnam ferre adactus est ob æternorum bonorum expectationem.

VII. Ac ne multa verba faciamus, cum non possimus de Sanctis pro dignitate dicere, quæ restant prætereo. Omnes enim Sancti hisce certaminibus tentati sunt, totum tempus in tentationibus viventes. Isaïas profecto nudus, nudisque pedibus triennium consumpsit : magnus ille index dispensationis Salvatoris, qui videre Dominum supra Cherubim dignatus est. qui peccatorum remissionem per immortale corpus Christi Domini nobis prænuntiavit cum omni humilitate dicens : « O ego miser, quia compunctus » sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito,

[1] Jer. I, 7. — [2] Id. XI, 21. — [3] Id. VII, 16.

» et regem Dominum exercituum vidi oculis meis [1]. » Quare cum vidisset Dominus animi illius abjectionem, terribilium mysteriorum vim illi ostendit : « Missus est enim ad me, » inquit, unus de Seraphim habens carbonem, quem for- » cipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit : Hic » nunc tetigit labia tua, et auferet a te iniquitates tuas [2]. » Hic igitur gloriosus, qui ininvestigabili visione dignus habitus fuit, videamus an in mundo hoc quietem viderit, et non potius per pericula, et tentationes totum suæ vitæ tempus consumpserit : nudus enim, et sine calceis incedens, et lignea serra dissectus, qualem vidit requiem in præsenti ? Hæc autem pertulit, ut ad vitam mœstitiæ, dolorisque vacuam perveniret, quam ipse significaverat de vita futura, unde aufugit dolor, et tristitia, et gemitus. Atque hic molesta, ac tristia prompte patiens, lætam, tranquillamque vitam consecutus est.

XIII. Quis autem referat, qui eum secuti sunt ? Daniel jejuniis, atque orationibus vacans, cum propter eas virtutes, tum propter somnia illa terribilia, in lacum leonum conjectus est, et sexcentas ærumnas pertulit ob beatitatem in cœlis reconditam : unde et futurum judicium contemplatus fuit : « Aspiciebam enim, inquit, donec throni positi » sunt, et Antiquus dierum sedit : vestimentum ejus candi- » dum quasi nix, et capilli captis ejus quasi lana munda. Thro- » nus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus : fluvius ig- » neus egrediebatur a facie ejus : millia millium assistebant » ei : judicium sedit, et libri aperti sunt [3]. » Postea addit : « Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli » quasi Filius hominis veniens, et usque ad Antiquum die- » rum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et » datum est ei regnum, et honor, et potestas, et omnes » populi, tribus, et linguæ ipsi servient, et potestas ejus,

[1] Isaï. v, 5. — [2] Ibid. 6, 7. — [3] Dan. vii, 9, 10.

»potestas æterna, quæ non transibit. Horruit spiritus meus: »ego Daniel territus sum in me, et visiones capitis mei »conturbaverunt me[1]. »Sic igitur hic adeo purus, sine tentationibus, atque ærumnis non fuit super terram; et nos absque labore, reliquisque afflictionibus, regnum, et quæ in eo bona reposita sunt, expectamus?

XIV. Quis autem nos commendabit talia cogitantes? Si enim procul ab angustiis, et tentationibus reliquarumque virtutum tolerantia ea consequi liceret, quorsum Deus, ut tanta discrimina Sancti subirent, et tentationes, angustiasque, et non potius ut in licentia, ac deliciis omnes viverent, permisit? Si hæc cogitemus, et aliqui infidelium nos videant ita affectos, dicent: « Odio habet igitur Deus Sanctos. » Etenim si fas erat sine ærumnis, ac tentationibus regnare in cœlis, cur illos in miseriis, et angustiis, et in periculis, et in variis tentationibus reliquit? O grandem temeritatem! o magnum contemptum! o enormem ignaviam! o ingentem duritiem! Cum enim oporteret nos lugere nostrorum cordium duritiem, et quod adeo a spe Sanctorum distamus, atque a patientia; contra potius et eos, qui recte vivunt, condemnamus sæpe propter nimiam illorum lenitatem, et animi demissionem, et paupertatem, et reliquas virtutes, ac sæpe sæpius hoc ipsum robur patientiæ, segnitiem, imbecillitatemque appellamus, eisque pigritiæ crimen affigimus.

XV. Quid faciemus igitur, cum tantis malis nos ipsos transfigamus, et secundum Salomonem virtutis signum non habentes, quod ostendere possimus, in malitia vitam nostram consumimus? Ac Sancti quidem propter Deum, æternorumque bonorum voluptatem, tentationes tantas, ac pericula pertulerunt; nos vero quotidie beneficiis affecti, pigri sumus. Hæc vero accidunt nobis, quia futurum judicium

[1] Dan. VII, 13-15.

illud non expectamus fore terribile, atque intolerabile, quod solum illud ostendet proprium tempus; neque desideramus æternorum bonorum perceptionem, sed adhæremus terrenis, atque insanis vitæ rebus, quæ nobis haud prosunt, sed potuis ad extremam perniciem nos adducunt. Expergiscamur igitur, dilectissimi, certemusque dum tempus habemus. Sic floruere etiam tres pueri, atque hymnis laudare Deum non destiterunt, sed in igne existentes, ac si in sacello manerent, sic se habebant patientiæ certamen ostendentes, atque eum, propter quem in ignem conjecti fuerant, cum gratiarum actione, hymnisque decantabant. Vidistis gratum animum Sanctorum? Vidistis erga Deum amorem, ac patientiam adamantinam? Sed quid Dominus fecit? Eos, qui traditi fuerant igni illi, qui saxa, et ferrum, omnemque materiam consumit, tanquam sponsos ex thalamo, sic fecit exire illos Sanctos. Non enim fuit in illis odor ignis, sed aqua irrigans capitis ipsorum capillos. Hæc vero omnia præbuit ipsis continentia, et paupertas. Propter continentiam enim verum caminum ante Babylonem superarunt, flammamque peccati a carnalibus concupiscentiis excitatam extinxerunt, et paupertate potiti, cœleste regnum possederunt, atque hic a rege adorati sunt, æternaque vita fruuntur. Agite igitur, dilectissimi, nos quoque horum virtutes imitemur, eamdemque viam ineamus, ut in eamdem requiem occurramus.

XVI. Quid vero dicam de Sanctis, qui in Veteri Testamento decertarunt, quibus Apostolus testimonium dedit his verbis : « Quibus dignus non erat mundus [1] ? » Non quod patrimonium magnum possederunt, et delicias, quietemque sectati sunt in vita hac; sed quod circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, atque inopes facti sunt, et attriti sunt, et extorres fuerunt. Propterea devicerunt regna, et Dei

[1] Hebr. xi, 38.

promissiones consecuti fuerunt. Videtis, fratres, ut nullus Sanctorum sine ærumnis, ac tentationibus præsentem vitam duxit. Quo pacto igitur nos nihil ejusmodi perpessi, sed in otio ac deliciis hujus sæculi degentes, partem cum iis sortiemur? Non enim nobis pollicitus est hic quietem se, et regnum suum concessurum. Hoc enim sæculum pro loco exercitationis, tentationis, et certaminis dedit nobis Deus, ut ait generosus Job, quod « Tentatio est vita hominis su- » per terram [1]. » Non igitur iniquo animo feramus molesta, atque aspera, quæ nobis accidunt; sed potius etiam lætemur, quod viam Sanctorum perambulamus. Etenim Dominus noster Jesus Christus largitor vitæ nostræ, per perpessiones totam in carne dispensationem consummavit : formam enim servi accepit, Dominus omnium existens; et cum dives esset, pauper factus est, et famem, et sitim, et laborem, et itinera toleravit : atque omnium opifex, ac Dominus, non habuit, ubi caput reclinaret : et quem tremit omnis creatura cœlestium, terrestrium, et infernorum, sub diabolo, (hic qui potestatem nobis dedit ipsum conculcandi :) sub ipso passus est quadraginta dies, et quadraginta noctes jejunium producere, atque ita ab eo tentari. Num jejunio indigebat, qui pati non potest? Qui omnes laborantes reficit, defatigari oportuit? Quorsum vero sitivit copiosissimus fons, qui aquam in vinum vertit, qui flumina viventium aquarum effudit ex ventre credentium in ipsum? Nisi quod exemplum nobis, et formam gratissimæ conversationis voluit ostendere, ut in ipsis versantes, a diaboli dolis liberemur, ipsiusque regnum æternum assequamur? Ea de causa etiam passus est, probris affectus, male audiens, consputus, colaphis cæsus, flagellis vexatus, spinis coronatus, calamum manu accipiens, purpura indutus, fustibus percussus, genus omne ludibrii, ac risus perpessus, cruci

[1] Job. VII, 1.

affixus, aceto ac felle potatus, lancea in latere perfossus, cum iniquis deputatus. Hæc omnia Dominus propter nos tulit, et nostræ salutis causa magnanimus perpessus est. Quid igitur retribuemus Domino, qui tantam benevolentiam erga nos demonstravit? Ut neque retributionem a nobis postulet, sed velit solum, ut nostræ saluti studeamus?

XVII. Sic et Apostoli Salvatoris præceptis inhærentes, omnem ærumnam, atque angustiam pertulerunt, expulsi, exagitati, in arctum adducti, injuriis affecti, pro nihilo habiti, sputis delibuti, hinc, atque hinc assidue ejecti, nullam omnino habentes requiem, sed mortem ante oculos tenentes, et singulis horis expectantes, et præterea jejuniis, et vigiliis, et siti, et nuditate, in laboribus, et in periculis, et in itineribus suum corpus domantes, atque in servitutem redigentes, ut sibi ipsis, et nobis æternam vitam promererentur : cum Deus ostendat non licere esse otiosis iis, qui salvi esse velint. Neque enim merces datur sine labore, sed unusquisque nostrum juxta proprium laborem propriam mercedem accipiet.

XVIII. Horum vestigia etiam sequentes Martyres victores egregii, atque in variis certaminibus exerciti, experimentisque iterum velut aurum in fusoria officina conflati, immortalitatis corona redimiti sunt, flagellis affecti, plagis crudelissime excruciati, in carceribus constricti. Principes, et reges ferarum dentibus illos subjiciebant : igni vero voraci, et potenti tradebant ipsos, in fluminum undas illos projicientes, et pelago demergentes, rotis alligantes, torquentes sancta illorum, ac tenera membra. Hæc omnia autem vicerunt Sancti, non robore corporis (hoc enim habuerunt corruptibile, sicut habemus et nos), sed spe futurorum bonorum confirmati : omnia generose tolerarunt nullo modo carnalium consiliorum experimentum admit-

tentes, non assentationibus emolliti, non temporanea gloria, stultisque divitiis decepti; sed omnem suam spem in Domino sine ulla dubitatione ponentes, omnem diaboli machinationem pessumdederunt, et Martyres Domini renuntiati sunt, cum confessionem egregiam coram hominibus emisissent. Ita etiam nos, dilectissimi, etsi tempus martyrii non adsit, martyres mente evadamus, resistentes diaboli insidiis, per animi dejectionem, et patientiam, dilectionemque Dei, et proximi, ac mutuam tolerantiam propter Deum, exequentes Salvatoris mandatum, quod pronuntiavit: « Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam » ponat quis pro amicis suis [1]. » Si igitur animam ponere invicem jubemur; quanto magis obedientiam, et subjectionem alter alteri præstare debemus, ut simus imitatores Domini, qui primum obedientiam ostendit opere, et sermone, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis? Similiter et animam posuit ob suam benignitatem, idque nobis non existentibus ipsius amicis, sed inimicis : « Cum autem inimici essemus propter delicta, et » concupiscentias, per mortem suam reconciliavit nos Patri, » delens quod adversus nos erat chirographum decreti [2]. » Nos vero cum deberemus sequi, mandata ipsius jussi observare, non observamus. Et ipse quidem primum fecit, atque ita docuit; nos autem ne obviam quidem obedientiam invicem præstamus, sed contradictionibus potius, cupiditatique exlegi omnes servimus : neque qualibuscumque contumaciter repugnamus, sed Christo ipsi Domino. Quando enim Patribus nostris contradicimus, qui salutaria documenta nobis præbent, qui etiam animam parati sunt ponere pro nobis, nonne Christo contradicimus, dicenti : « Qui vos audit, me audit : et qui me spernit, spernit eum, » qui misit me [3]. » Sic igitur spernentes eum, qui fecit nos,

[1] Joan. xv, 13.— [2] Rom. v, 10, et Coloss, II, 13, 15.— [3] Luc. x, 16.

quomodo regno nos dignabitur, et non potius incusabit, condemnabitque, quod adeo obvertimus mandata ipsius, neque ponimus ante oculos periculum non obedientibus impendens, neque obedientiæ lucrum agnoscimus. Inobedientia enim mortem affert, obedientia vero vitam æternam conciliat.

XVIII. Conemur ergo, dilectissimi, per hanc pulchram obedientiam, et subjectionem, æternæ vitæ hæreditatem assequi, et minime nos ipsos inobedientiæ, atque inordinationis mortis subjectos faciamus. Habentes autem timorem Domini, pareamus Apostoli documentis, sicut dicit : « Subjecti invicem in timore Dei, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis [1]. » Etenim pax omnis bonæ spei fundamentum existit, pax mortis mors, diaboli luctus, dæmonum exterminium. Hanc quæramus, et consectemur, quæ est Christus : « Christus, » ut ait Apostolus, est pax » nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, et veniens, evangelizavit pacem iis, qui prope et qui longe sunt [2]. » Hanc igitur studeamus tenere pacem, dilectissimi, atque adversus hostem, hoc est, diabolum, resistere, et bellare, sumentes arma continentiæ nostræ, hoc est, primum omnium rectissimam fidem, et de futuris spem, et non fictam dilectionem.

XIV. Per hæc spiritualia tria arma tres illius improbas machinationes dejicimus, hoc est, oblivionem, et inscitiam pigritiamque. Hæc enim sunt illius consilia mala, et subtilia. Per has tres operationes in perditionem dejicit hominum genus, eos maxime, qui fidunt perversis ipsius persuasionibus. Hæ etenim tres ipsæ insidiæ omnium ipsius inventionum pessimæ sunt : tenuissimæ cum sint, et latenter in nos sese insinuent, adeo ut ne cogitemus quidem nos facere malum in malis existentes. Quemadmodum enim,

[1] Ephes. IV, 2, 3. — [2] Id. II, 14 et 17.

exempli gratia, si quis in leonem incidat, aut aprum, belluas terribilissimas, ab illis occiditur, cum maximæ sint, et potentes; alius vero incidat in serpentem, vel araneam, vel scorpionem, eamdem mortem patitur propter venenosæ feræ efficaciam, quam qui in maximas feras inciderit; sic qui vinolentiæ, aut gulæ, aut scortationi, reliquisque vitiis inserviunt, cum sint maximæ, pessimæque affectiones, animæ interitum patiuntur. Eodem modo, qui vel ignorantiæ subditur, vel negligentia tenetur, his quæ minimæ videntur esse adeo, ut neque animadvertamus nos peccare, etiam ejusmodi subjecti passionibus, mortem subeunt animæ, sicut illi corporis. Oblivio enim animas nostras seducens non sinit, ut recordemur præceptorum Dei, sed prosiliens vitiositas captivos nos a Deo abducit : ignorantia autem subtrahens mentem nostram a Dei charitate, non permittit, ut spes nostra ad bonum feratur, sed ab ea irretiti terrenis rebus, atque insanis, Dei præceptis non credimus, Dei nos facit inimicos. « Quicumque, inquit, voluerit amicus esse » mundi hujus, inimicus Dei constituitur [1]. »

XX. Abjiciamus mundi pondus, portemusque crucem nostram, et crucem Domini sequamur, non declinando a via hac ad dextram, aut sinistram. Ipse namque est via nostra Jesus Christus, qui ait : « Ego sum via, et veritas, et vita [2]. » Hanc igitur ingrediamur viam arctam, atque angustam, ut vita perfruamur æterna, quæ est Christus. Omnes enim Justi per hanc transierunt : ideo etiam Propheta dicit : « Multæ tribulationes justorum [3]. » Si igitur Sancti per multas tribulationes regni cœlorum hæredes fiunt; nos iniquitatibus, et quiete, et deliciis, et pondere rerum humanarum oppressi, speramus fore, ut idem obtinere possimus? Quo vero pacto fieri potest? Quemadmodum enim per viam valde angustam, et præcipitem, qui onus ferat, pertransire

[1] Jac. IV, 4. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Psal. XXXIII, 20.

non potest : ab angustia enim impeditur; ita pariter qui gravatus est mundi negotiis, difficile factu est, ut ad regnum cœlorum perveniat. Difficultatem enim salutis eorum, qui multum possident, Dominus demonstrans, et perfectam nobis magnanimitatem ostendens : « Quam difficile, inquit, » qui pecunias habent, introibunt in regnum cœlorum [1]? » Quando enim accesit adolescens ille ad Dominum interrogans de æterna vita dicendo : « Magister bone, quid faciam, » ut vitam æternam percipiam [2]? » Dixit ei Dominus. « Præ» cepta nosti? Non occidas : Non adulteres : Ne fureris : Ne » surripias : Ne falsum testimonium dixeris. Honora patrem » tuum, et matrem tuam [3] : » Cumque ille diceret : « Hæc » omnia observavi a juventute mea, quid adhuc mihi de» est [4]? » Volensque Dominus ostendere, neque ea, quæ significavit ipsum esse executum, ei respondit : « Si vis per» fectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis » thesaurum in cœlo, et veni, et sequere me [5]. » Is vero possessionum pondere pressus, cupiditate vinctus, atque ideo mœrore afflictus, noluit Domini sectator esse, neque optavit thesaurum cœlestem acquirere : verum abiit tristis; causamque afferens Evangelista, « Erat enim, inquit, » habens multas possessiones [6]. »

XXI. Videte, dilectissimi, quot bonorum operum impedimentum fuerit opulentia, neque permiserit, ut ille Domini sectator fieret, et quæ recta facere videbatur, nimia abundantia inutilia reddiderit. Propterea iterum dixit Dominus : « Facilius est camelum per foramen acus intrare, » quam divitem in regnum cœlorum [7]. » Cur igitur impedimentum hoc non auferimus a nobis, et accipimus crucem nostram, sequimurque Salvatorem, non quæ retro sunt aspicientes, sicut uxor Lot, quæ remansit exemplum infi-

[1] Marc. 23. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid. 21. — Ibid. 22. — [7] Ibid. 24.

delitatis statua salis usque in hodiernum diem. Et Dominus inquit; « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et res» piciens retro, aptus est regno Dei [1]. » Respicere autem retro, nihil aliud est, quam converti ad res mundi; et quæ destruxisse videbamur per abrenuntiationem, eadem rursus ob temporariam requiem ædificamus, omni ex parte nos ipsos transgressores constituentes, ut ait apostolus Paulus : « Si enim quæ destruxi, iterum hæc reædificabo, » prævaricatorem me constituo [2]. » Quid igitur existimamus, quod transgredientes nos ipsius præcepta, regnum consecuturi simus, et non potius damnemur ad gehennam ignis?

XXII. Agite igitur, dilectissimi, cum adhuc tempus superest salutis, studeamus omnes sordes, omnemque malitiam deponere, et bonum certamen certemus, ut æternam vitam assequamur, ad quam et vocati sumus, professique sumus pulchram professionem, cum sanctitatis habitum accepimus. Pro dignitate igitur hujus vocationis ambulemus, et cum omni animi demissione, ac longanimitate supportemus invicem in dilectione Domini nostri Jesu Christi, curemusque conservare unitatem spiritus in vinculo pacis. Nihil per contentionem, vel vanam gloriam faciamus : non nascatur in nobis amaritudinis radix, neque servos nos ipsos faciamus pravarum affectionum, id est, gulæ, quæ mater est intemperantiæ. Nemo nostrum Esaü imitetur, qui viscerum stercus amans, sua primogenita vendidit, ventrem existimans Deum suum. Quæ enim Deo consecrata erant, hæc gulæ prodidit, profanus in his existens, atque a Deo alienus factus. Similes ergo ipsius ne fiamus, qui fornicator, et profanus ab Apostolo dictus est : ait enim : « Ne quis fornicator, aut profanus, velut Esaü [3]. » sed simplicem, puramque vitam Jacob æmulemur, ut cum

[1] Luc. IX, 62. — [2] Gal. II, 18. — [3] Hebr. XII, 16.

ipso benedictionem hæreditemus. « Erat enim, inquit, Ja-» cob vir simplex habitans in domo[1]. » Ergo, dilectissimi, nostras animas ne negligamus, quia nihil est, quod pretium animæ æquare possit. Prompte sustineamus tentationes, omnemque ærumnam, atque angustiam : perdomemus corpus, mancipantes illud jejuniis rigidissimis, vigiliisque totius noctis, chameniis, et laboribus, cæterisque asperitatibus, ut anima nostra in singulos dies renovetur. Dicit enim Paulus apostolus : « Quantum qui foris est noster » homo corrumpitur, tantum is, qui intus est renovatur de » die in diem[2]. » Et iterum ait : « Id quod in præsenti est » leve tribulationis, æternam gloriam operatur, non con-» templantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. » Quæ enim videntur temporalia sunt ; quæ autem non vi-» dentur, æterna[3]. » Æternarum igitur rerum possessionem exoptemus.

XXIII. Ad cogitationem revocemus sanctos, expendamus horum virtutes, atque æmulemur, eorumque vestigiis animæ desiderio insistamus. Quis ex iis in quiete præsentem vitam egit, et non potius per tentationes, ærumnasque præsens suæ vitæ tempus confecit? Idcirco, ut præfatus sum, illorum vitam graphice proposuit nobis Dominus, non solum ut eos admiremur, laudemusque ; sed ut secundum illorum vitam egregium vitæ genus capessere curemus. Sumamus Abelem bonorum primitias, agnum innocentem, Deo offerentem dona gratissima, nihil injustum perpetrantem, solum per virtutem Deo placere cogitantem, et fraterna manu morti traditum, nihil habentem in se condemnatione dignum, quod impium illius odium posset excitare, sed quemadmodum dictum est, propter virtutem invisus, mortem sustinuit, ut factus typus Christi Domini, in sæculum sæculi requiescat. Hujus vero parentes, qui primi

[1] Gen. xxv, 27. — [2] 2 Cor. iv, 16. — [3] Ibid. 17, 18.

conditi sunt, qui immaculatis factoris, et Dei manibus effecti, uberibus paradisi deliciis perfruiti, Conditoris sui præcepto non obedientes, deceptorisque consilium secuti, captique fraudis delectatione, ex paradiso ejecti sunt. Vides quantum detrimenti illis attulerunt relaxamenta, et deliciæ : etiam ad Dei æqualitatem somniandam impulerunt. Nihil enim ad relaxationem inutile hominum genus [1].... At ærumna, atque indigentia, variæque tentationes, splendidos, beatosque efficiunt tolerantes.

XXIV. Cupis autem etiam noscere per quantas tentationes, afflictionesque præsentem vitam Noë duxit? Dicit Scriptura : « Noë vero invenit gratiam coram Deo [2] : » ut intelligamus eos, qui vere Deo placent, tum tentationibus, tum variis calamitatibus fuisse exercitatos, atque exerceri, ut puriores velut aurum in fornace positum appareant. Quis vero satis tribulationes, tentationesque Noë enarrare poterit? Quod in tanta multitudine solus erat, qui Dei voluntatem faceret, universosque videbat declinantes a Deo, eosque admonebat, et sæpe exhortans ad conversionem, ut delirus ipsis videbatur. Cumque arcam fabricaret, quot convicia, et dicteria? Atque inter hæc non lamentabatur, sed persistebat eos adhortari. Et tot annis despicatui esse, et odio haberi ab omnibus, videre eos adeo præcipites ferri a peccatis, parum tibi hoc videtur? Quis vero referat miserias post diluvium? Traducere cum tantis bestiis, et reptilibus, et volucribus annum totum in illa angustia, tempestatem illam intolerabilem, undarum, fluctus, tonitruum, aquarumque strepitum, putamus ista parva esse? Quid autem postquam diluvium cessavit? Quis calamitates illas enumeret? solitudinem terræ universæ, et generis humani deletionem aspicere? Quando eum deseruit angustia, et ploratus? Quid vero Chami filii sui impudentia, cum pa-

[1] Desunt quædam. — [2] Gen. VI, 8.

tris nuditatem irrisit[1]? Quanta acerbitas? Adeo enim illud impudens factum eum commovit, ut ejus posteritatem servitutis pœna damnaverit. Idcirco ne orationem dilatemus, ista prætereo. Adeo ut si quis omnes illius calamitates persequi voluerit, eum tempus deficiat. Atque in omnibus his existens, didicit gratias agere Deo, a spe futurorum bonorum nunquam divulsus, unde etiam per infinita sæcula commemoratur.

XXI. Quid vero dicimus de patriarcha Abraham? Multi eum ferunt inter divitias, copiasque vixisse præter cæteros. Unde qui aliquibus bene precantur, illius benedictionem, atque ubertatem ut percipiant, exoptant. At si quis illius divitias scrutabitur, inveniet ipsum plus cæteris totum suæ vitæ tempus inter ærumnas, tentationesque duxisse. Quis enim illius labores enumerabit? In itineribus incommoda, in bellis discrimina, nemini videri vivere religiose, exulare a propria terra, atque ab omnibus consanguineis, nescire ubi consistere oporteat, quotidie locum ex loco mutare, aberrare inter pericula, hæreditatemque in terra non habere, neque pedem ubi poneret, sed in tabernaculis habitare? Quid vero volo dicere? Qui futurorum bonorum hæreditatem expectat, nihil præsentium sibi vindicare debet, sed confidentiæ in Deo stabiliter inhærere : quemadmodum et Abraham, qui Melchisedech regem jurejurando certum reddidit, voluntariæ paupertatis nobis rationem ostendens, non esse nos mundi cupidos, sed totam spem nostram in Deo ponere. Ideo post belli victoriam cum vellet rex scilicet grato animo etiam pro ipsius laboribus gratiam referre, dixit Abraham : « Levo manum meam » ad Altissimum, qui fecit cœlum, et terram, si a filo usque » ad corrigiam caligæ accipiam aliquid rerum tuarum : Ne » dicas, inquit : Ego ditavi Abraham[2]. » Videtis quomodo

[1] Gen, IX, 22. — [2] Id. XIV, 22, 23.

nihil præsentium Abraham optavit, sed spe futurorum corroboratus tentationem strenue pertulit : qui enim unico filio non pepercit, sed illum jugulare voluit propter Dei præceptum, quo pacto res adeo temporarias sibi sumpsisset? Promptus hospitalitatis cultor per hoc egregium turris ædificium Deum ut viatorem excepit, et amicus Dei factus, bonis semper durantibus fruitur. Hujus imitemur et nos fidem, fortitudinem, Dei amorem, ipsiusque hospitalitatem, ut cum ipso æternis bonis oblectemur.

XXVI. Quis vero dicat, aut quis prædicaverit beatam obedientiam Isaac? Etenim cum pater eum ad sacrificium duceret, promptior sequebatur ad mortem : typus enim hic etiam erat Christi Domini. Hujus etiam nos obedientiam, ac promptitudinem acquiramus, ut nos quoque obedientiæ mercedem a Christo Servatore recipiamus.

XXVII. De generosissimo Job dicere non audeo : hic enim universum tentationum pelagus sine ulla dubitatione subivit, et totam agitationem, ac tempestatem, decumanosque fluctus dæmonis generose pertransivit, et tanquam lapis infractus, mansit immobilis, atque omnia tela diaboli excepit, invulneratusque perstitit, muniens se ipsum fidei scuto, et animose adversarium superans ac frangens, victor corona redimitus renuntiatus est. Quando enim diabolus ad certamen illum exposcebat, post illam non ferendam corporis plagam, post messem divitiarum, atque expoliationem omnium possessionum illius, reliquorumque, domi, famulorum, atque aliarum opum cunctarum, cum audivit Deum testimonium perhibentem de Justi virtutibus, ac dicentem ad se : « Considerasti servum meum Job, quod non » sit ei similis in terra, irreprehensibilis, justus, verax, ti» mens Deum, abstinens ab omni malo opere : tu vero, » inquit, perdere dixisti substantias ejus frustra [1]. » Tunc

[1] Job. II, 3.

pessimus diabolus improbitate summa usus, defensionis orationem opposuit : « Pellem pro pelle, et cuncta qua habet homo, dabit pro anima sua[1]. » Vide quomodo audiens veritatem, diabolus dicebat rerum temporalium jacturam salutem esse animæ ? Qui cum præsentia possideret, non sibi, sed pauperibus illa possidebat dicendo : « Omni venienti janua mea fuit aperta : ego sum pater debilium, » oculus cæcorum, pes claudorum, et a tonsura agnorum » meorum calefacti sunt humeri pauperum[2]. » Videtis, dilectissimi, non sibi, sed indigentibus divitias comparasse. Idcirco, iis amissis, non moleste tulit, sed potius gratias agebat his verbis : « Dominus dedit, Dominus abstulit : » sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini » benedictum in sæculum[3]. » Vidisti quomodo omnia terrena contempsit propter animæ suæ salutem. Confessus est enim etiam diabolus pecuniarum privationem esse animarum salutem. Si igitur ille etiam invitus hoc fassus est, qui pondere mundanarum possessionum homines aggravat ; cur nos eis ligamus nos ipsos, et non potius eas relinquimus, ut animas nostras asseramus, et cœlorum regnum adipiscamur ? Dixit vero Dominus : « Quicumque reliquerit » patrem aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut domum, » aut agros propter me, centuplum accipiet, et vitam æter» nam possidebit[4]. » Quemadmodum et servus Dei Job omnibus temporariis rebus orbatus, et cum animi generositate, ac patientia quamcumque tentationem perpessus, cum præsentia recepit, tum regnum sortitus est.

XXVIII. Agite igitur, et horum, qui tam bene decertaverunt, vestigia premamus, omnesque res hujus sæculi sive jucundas, sive timendas aspernemur : neque aggravemus proprias sarcinas stultorum consiliorum, et criminum pondere demergamur : et veniens Dominus nos inveniet dor-

[1] Job. II, 4.— [2] Id. XXIX, 15-17.— [3] Id. I, 21.— [4] Matth. XIX, 29.

mientes somnum illum, qui fert ad mortem, et gravatos crapula, atque ebrietate, sollicitudinibusque sæcularibus, excludat nos a regno cœlorum, et lugebimus dies nostræ socordiæ, negligentiæ, et mollitiæ nostræ; nihilque tum nobis proderunt luctus, et lacrymæ, neque suspiria : non si preces sexcentas offeramus, dicendo : « Domine, Domine, » aperi nobis[1]. » Nemo unus tunc est, qui aperiat, sed potius qui increpet cum horrore dicens : « Nescio vos[2] : Dis» cedite a me qui operamini iniquitatem[3]. » Ea de causa omnes Sancti angustam viam ingressi sunt, ut ab hac sententia liberentur, perveniant vero ad vitam æternam.

XXIX. Pulchrum autem est Moysis vitam enarrare, atque utiles æmulari virtutes, qui tanta pericula, ac tentationes expertus est, ut numerari non possint, qui a parentibus ortus, in flumen projectus fuit, quem cum regis filia comprehendisset, educavit in filium. Cum autem ex pueris excessit, atque ad perfectam cognitionem pervenit, noluit amplius temporariam quietem, neque insanam Ægyptiorum gloriam, neque corruptibiles, trahentesque ad perditionem divitias; verum omnibus plane nuntium remittens, negavit se natum esse filiæ Pharaonis; ac regnum ostentationemque perosus, cum populo Dei affligi maluit, quam temporariam peccati habere delectationem. Verum post virtutem tam grandem, tentationes, atque ærumnæ ipsum exceperunt, adeo ut si quis voluerit in eo tentamenta ad amussim expendere, illum maxime attritum inveniet. Cum enim ad perfectam prudentiam pervenit, et Dei zelum adeptus fuit, existimans non sentire alienigenas, conspicatusque quemdam injuste oppressum ab Ægyptio, eo percusso, injuria affectum liberavit. Unde illi, quos affecerat beneficiis, morti ipsum tradere decreverunt. Rursus enim cum contentionem inter se agitarent alienigenæ,

[1] Matth. xxv, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Id. vii, 23.

pacem inter illos conciliare conatus est. Ast ille scelere plenus, increpuit ut homicidam, de se optime meritum, dicendo : « Num occidere me vis, sicut heri occidisti Ægyp» tium [1]. » Quid hoc gravius, aut molestius? Quamobrem in regiis palatiis versatus, tantaque fruens licentia, ac libertate, fugitivus, atque exul factus est, Ægyptionum divitias, minimeque diuturnam peccatorum delectationem perosus. Propterea etiam in desertis locis vexari maluit, gregemque pascere præoptavit apud virum ethnicum, Jothor nomine, atque omnibus, ut ita dicam, renuntians, et quietem brevem pertæsus, ac cœlestia bona desiderans, quadraginta dierum jejunium continuavit, ex quo etiam Dei aspectu dignatus fuit, et coram cum eo locutus est Deus, et de manu Domini legem accepit, cum inter ærumnas totam vitam exegisset, ægyptiacam nempe tentationem. At ex Israëlitis pejores fuerunt. Aliquando quidem adversus Deum de se optime meritum murmurantes; cumque manna eis præberet, recordabantur potius ægyptiacæ helluationis : aliquando vero idola colentes, et recedentes a Deo : « Co» medit Jacob, ut dictum est, et incrassatus est, et re» calcitravit dilectus, et dereliquit Deum factorem suum, » et recessit a Deo salutari suo [2]. » Videte, fratres, quid fecerit satietas, atque saturitas. Quomodo ipsos a Deo avertit, atque ad idolorum cultum adduxit.

XXX. Hæc vero omnia dolori, mœrorique erant Moysi. Cum enim tam ardens Dei amator conspiciebat quos plus quam suam animam diligebat, adeo impie agentes, furentesque, et post terribilia illa prodigia, post pedibus mare calcatum, post tam grande Dei patrocinium, ac beneficentiam, ad idolorum superstitionem conversos, atque ex relaxatione, luxuque Deum fusilem comminiscentes; hinc irritatus tali, ac tanta illorum iniquitate, Dei zelo

[1] Exod. II, 14. — [2] Deut. XXXII, 15.

percitus, tabulas legis confringere coactus est, jussitque eos tam a se dilectos invicem dispertiri, alterumque quadraginta dierum jejunium protrahens, secundam legem accepit. Vidisti paupertatis, ac tentationum utilitatem, quomodo Dei filios facit eos, qui in his perseverant. Quid illo ditius, aut quid gloriosius egregio illius facinore? Rex erat Pharao aureum currum habens, et thronum auro intextum, et diademate redimitum et in mari Rubro demersus est. Moyses vero inops solam virtutem gestabat, et viride pedum, illoque iter aperuit populo, atque aquam ex petra extraxit, et manna e cœlo illis deduxit.

XXXI. Horum igitur virtutes æmulari debemus etiam nos, qui angelicum habitum suscepimus, ac mundo nuntium remisimus, ut illorum gratia digni quoque habeamur, et cum ipsis æternis bonis perfruamur. Æmulemur illorum patientiam, illorum mansuetudinem, terrenarum rerum neglectum, animi demissionem, lenitatem, clementiam, compunctionem, puritatem, dilectionem non fictam. Cum enim propter Judæorum impietatem iratus esset Deus, et vellet ipsos delere, Moysi dixit : « Dimitte me, ut » deleam eos, et faciam te in gentem magnam, et multam [1]. » Is vero charitatem ingentem, atque insuperabilem possidens, orabat Deum, ac dicebat : « Absit, Domine : si» quidem dimittis eis hanc noxam, dimitte : sin minus, » etiam me dele de libro, quem scripsisti [2]. » Videtis, dilectissimi, insuperabilis amoris magnitudinem : optabat deleri a libro divino, judaïcæ salutis, et defensionis causa. Hujus dilectionem imitari debemus, qui salvi fieri volumus, et futuris bonis potiri : qui enim hanc tenet, non amplius malitiæ, ac pravitatis passionibus subjicitur : verum pure, et sine offensione degens, regnum cœleste sortietur.

[1] Exod. XXXII, 10. — [2] Ibid. 31, 32.

XXXII. Similiter omnes etiam Prophetæ per multas perpessiones, tentationesque æternæ vitæ hæreditatem adierunt. Jesus Nave Moysis discipulus, et virtutum ipsius imitator, gratia eadem dignus habitus est, et magis afflictationibus, tentationibusque hic exercitus fuit, bella ex bellis suscipiens, et magis quam bella, populi transgressiones eum attriverunt. Verum omnia sustinuit propter æternorum bonorum spem, et fidem de Deo, et dilectionem. Cum his, qui deinceps secuti sunt Judices, et Prophetæ eisdem certaminibus exerciti fuerunt, easdemque perpessiones subiverunt. Idcirco a Deo beati facti sunt, æternamque vitam sunt consecuti : nihil in terra possidentes, sed semper egentes, atque afflicti, in desertis locis errantes, et omnem afflictionem, angustiamque patientes, de quibus dixit Apostolus : « Quibus dignus non erat » mundus [1]. »

XXXIII. At vero Samuëlis ærumnas, ac tentationes, quis enarrare sufficiet ? Populi contradictiones, dum contra ipsum insurgentes, seu potius contra Deum, regem poposcerunt? Quot lamentationes ? quot sollicitudines Justo, cum illum aspernati sunt ? Ut diceret Deus : « Non te ab» jecerunt, sed me [2]. » Quid vero, cum unctus rex ab ipso, transgressus fuit mandatum Dei, atque alienigenarum regem servavit, quem Deus occidi jusserat ? Quot lacrymæ, quot suspiria !

XXXIV. Quid vero rex, et propheta David ? Quam requiem invenies eum habuisse in terra ? Quis miseriorem, et calamitosiorem eo in terra vitam vixit ? Quis hujus pericula, ac discrimina, atque lamenta enumerare poterit ? Solum qui diligentem operam dederunt Scripturis, et Psalmorum librum attenta consideratione percurrerunt, ii sciunt nunquam Justo illi luctum defuisse : sed aliquando

[1] Hebr. xi, 38. — [2] 1 Reg. viii, 7.

quidem lacrymis stratum rigasse, aliquando vero dixisse : « Factæ sunt lacrymæ meæ mihi panes die, ac nocte [1] : » aliquando vero cibi immemorem fuisse : « Oblitus sum » enim, inquit, comedere panem meum, et potum meum » cum fletu miscebam [2]. » Quid vero dicam de angustiis, quas in suis Psalmis descripsit?

XXXV. Simili modo pigritia nos deprimens, non sinit oculos erigere ad rerum meliorum contemplationem, sed imprudentes nos ad inferos pertrahit, latissimamque perditionis viam ire cogit. Ideo, dilectissimi, ne per hæc nos prosternat, atque ad inferna perducat, obsistamus solidi in fide, et a nobis fugiet confusus imprudens serpens. Nihil vero tam illum superat, ac dejicit, quam subjectio, obedientia, demissio, et sincera dilectio. Hæc autem ipsi fiunt, sicut superius dictum est, in corde spicula. Vertit enim se in omnium bonorum operum formas, id est jejuniorum, vigiliarum, voluntariæ paupertatis. Si de jejunio loquaris, ille omnino non comedit : si de vigilantia vero, ille prorsus pervigil perseverat : de paupertate autem si quis loquatur, ille nihil plane possidet. Enimvero bonæ sunt hæ virtutes, multumque utiles; jejunium dico, vigilantiam, et paupertatem. Verum harum imaginem induit improbissimus diabolus, dolumque in iis comminiscitur, per vanam gloriam, et opinionem, animique elationem. Contra eos vero, qui animi demissionem servant, nihil potest excogitare, quia illam non potest effingere. Etenim indumentum Christi est humilitas, et cum adversarius superbus sit, abjectionem fugit, conspiciens in ipsis Christi humilitatem, qui humiliavit se ipsum propter suam benignitatem, formam servi accipiens. Propter superbiam enim ex cœlorum regno excidit diabolus, qui ab initio hominem perdidit, et per ipsam dejicit elatos. Similiter contra deji-

[1] Psal. XLI, 4. — [2] Id. CI, 5 et 10.

cientes se, atque obedientes nihil potest machinari : etenim in iis conspicit Dominum, sicut ait Apostolus : « Quod » factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem au» tem crucis [1]. » Ille enim cum effrenis sit, non obedivit Deo, et ab Angelorum consortio dejectus est. Ad eos autem, qui non fictam dilectionem induerunt, accedere omnino non audet : intuetur enim in ipsis benignum Deum dilectionis auctorem, largitoremque, ut ait in Evangelio : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unige» nitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, » sed habeat vitam æternam [2]. » Illos igitur, qui his induti sunt, timet, et ab eis fugit. Idcirco ille odio plenus est, et ipse est odii repertor.

XXXVI. Hæc igitur arma possideamus cum aliis virtutibus, quas ille habere non potest, id est, animi demissionem, et obedientiam, et subjectionem, et Deo ingenitam radicem, hoc est, sinceram dilectionem. Humilitas enim, sicut dictum est, indumentum est Christi : qui igitur hanc adeptus est, assimilis est ei, qui humiliavit se ipsum, et formam servi accepit. Et obedientia, non secus ac subjectio, eamdem parit gloriam iis, qui ex toto corde eam induerunt. Subjectio enim sollicitudinem non bene compositam corrigit. Non aliter obediens, sciens usque ad mortem se extendere obedientiam, nihil illi anteponit, verumetiam in hoc, sicut dixi, ejus qui usque ad mortem Patri obediens factus est, imitator invenitur. Dilectio vero inexpugnabilis armatura est contra diabolum. « Charitas enim, » inquit, Deus est, et qui manet in charitate, sicut dic» tum est, in Deo manet [3]. » Nihil his virtutibus honorabilius : in his enim universa lex pendet, et Prophetæ. In his igitur, dilectissimi, recte factis versari conemur, totamque diaboli potentiam destruemus, vanas contemnen-

[1] Philip. II, 8. — [2] Joan. III, 16. — [3] Id. IV, 16.

tes glorias, sicut et ignominias, quemadmodum docet Apostolus dicens : « Per arma a dextris, et a sinistris, per » gloriam, et ignobilitatem, per infamiam, et bonam fa» mam, sicut seductores, et veraces [1]. » Tales fuerunt Apostoli, omnem humanam gloriam despectui habentes, res universas hujus sæculi stercora existimantes, nihil Dei amori anteponentes : verumtamen in bonis rebus unanimes, pacemque invicem, charitatemque servantes, sic omnia diaboli machinamenta fregerunt, omnemque ipsius malitiam debellarunt : neque regum, neque tyrannorum iras formidantes, sed omnem diabolicum furorem per concordiam, ac pacem dissolverunt, atque omnino exterminarunt, mutuamque pacem habentes, omnes diaboli aggressiones irritas reddiderunt, universam idolorum insaniam evertentes, tum diabolicas irrisiones pessumdederunt, tum philosophos indociles confuderunt, tum senatuum dogmata everterunt : Ecclesiæ fundamenta jecerunt : stabilierunt altare, reditumque in cœlum nobis demonstrarunt, ac per terrarum orbem salutis semen sparserunt. Hæc omnia facinora Sancti perpetrarunt non corporum robore, non armorum vi, sed per dilectionem in Deum, et proximum, mutuamque concordiam, et pacem. Nihil enim dilectione ac pace præstantius. Propter hæc igitur egregia facta tanta gloria dignati sunt, atque amici, fratresque Domini sunt appellati : cum olim dixit Dominus ad ipsos : « Vos amici mei estis, si feceritis secundum quod » dico vobis [2]. » Post resurrectionem vero alloquens mulieres : « Euntes in Galilæam annuntiate fratribus meis, quod » præcedam vos [3]. » Idcirco in regeneratione duodecim sedium thronos ipsis promisit, ac judices assessuros duodecim tribuum Israël dixit Dominus.

XXXVII. Eia igitur et nos, dilectissimi, eorum institu-

[1] 2 Cor. VI, 7, 8.— [2] Joh. XV, 14. — [3] Matth. XXVIII, 7.

tionem sectemur, eorumque imitemur virtutes, et soliditatem rectissimæ fidei, eorumque quietem in sæculo futuro, spem sinceram, et simplicem, dilectionem erga Deum, et erga omnes, animi eorum demissionem, atque patientiam, mansuetudinem, tranquillitatem, temeritatis cautionem, inanis gloriæ contemptum, commiserationem, et animi præstantiam, tolerantiam, lenitatem, et quietem, pecuniæ spretum, et continentiam, diligentiam, ad bonas actiones alacritatem, obedientiam, et constantiam, præparationemque adversus ærumnas, et pericula, et tentationes. Cum his vero omnibus supra dictis virtutibus concordiam, et illius vinculum : ut per hæc omnia bona opera liberemur ex dolosi diaboli arte, ac fallacia, et deceptione, atque effugiamus gehennam, et vermem, qui non dormit, et ploratum, dentiumque stridorem, et tenebras exteriores; atque æterni, immortalisque luminis compotes simus, in requiem, et gaudium perpetuum Domini nostri Jesu Christi : unde effugit dolor, et mœror, et singultus, ubi non est diabolus, qui nos oppugnat; ubi neque videre est, qui damnum infert, neque qui patitur : ubi mors non est contra mortis mala, sed lætitia, atque æterna exultatio. Hæc exoptemus, hæc æmulemur : hujus potiri conemur per nostram in mundo conversationem. Curramus, acceleremus gressum, dum adhuc dies est, antequam nos nox sine fine comprehendat, antequam janua claudatur. Accendamus animarum nostrarum lampades purificatione innocentiæ, ut gaudentes cum dominico, atque immortali Sponso in illius divinum tabernaculum intremus : creditum vero nobis sanctitatis habitum impollutum servare studeamus, ut cognoscat Dominus purum, atque immaculatum conservatum proprium donum a nobis, et beatam illam vocem Domini audiamus : « Venite benedicti » Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a

» constitutione mundi [1]. » Et illud : « Euge serve bone, et » fidelis ; super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini [2]. » In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria, et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Ibid. 23.

S. P. N. EPHRÆM

SYRI

OPERUM.

CLASSIS XIII. — DE VITA ASCETICA.

SERMO.

De solitariis, et anachoretis.

I. « Cœli enarrant gloriam Dei, ut ex sacrarum Scriptu- » rarum oraculo didicimus, et opera manuum ejus annun- » tiat firmamentum [1]. » Mare etiam cum suis cetibus Creatori beneficentissimo gloriam tribuit. Terra insuper supremo Auctori Conservatorique suo obsequi non desinit, suasque laudes, justorum, quos alit, ministerio eidem offerre gaudet. Cavi ipsi abruptique montes divinis personant præconiis, quibus nimirum assidue vacant sanctissimi illi anachoretæ, qui latebrosos recessus horridaque antra accolunt. Id jam Esaïas prophetico Numine afflatus multo antea prænuntiaverat, ut ex his verbis eruitur : « De » vertice montium clamabunt [2]. » Plurima alia, quæ vaticinatus est idem filius Amos, ex cavernis spelæisque ut plurimum prodierunt. Hinc ego quamvis aliqua de solitudinis beatitate exponere proposuerim, de mea tamen obscuri-

[1] Psal. xviii, 2. — [2] Isaï. xlii, 11.

tate timens, heroum illorum, qui intra montium cavitates vixerunt, illustria facta referre prætermisi; eo vel magis quod de inclytis viris Elia, Elisæo, Joanne nemorum cultoribus, deque ipso Domino solitudinis, in qua frequens oravit, peramanti dicere argumentum sane arduum extitisset.

II. Ad solitudinis itaque investigationem me unice revocans, animadverte plus apud sanctitatis magistros pollere solitudinem, quam otium et quietem, proindeque colles longe urbibus antecellere. De quo si quis fortasse ambigeret, sibi minimas res contemplandas sumat, et ex illis demonstrationem hauriat, simplicia meditetur; ab iis enim prudentiam ediscet. Nulli unquam vexationi subjacent per saltus errantes feræ, nec capreæ, donec sylvas tenent, ad lanienas suspenduntur. Onager, quia in desertis habitat, immunis a sarcina est. Quis cervorum velocitatem assequi in saltibus valeat? Vide quomodo hi nullo, quo boves, jugo graventur; nec cervos modo, sed agrestia alia animantia, quæ nulla iis præscripta mensura in pratis uberrime pascuntur. Intuere perdicem in rupibus placide comedentem; arietem a strepitu abhorrentem, leonem in eremo integrum et bene robustum, in oppidis vero puerorum ludibrium. Si aquila sub tectis nidum faciat, ipsius statim oculos exhalans fumus obstringit. Onagri, cervique, si forte extra sylvarum septa egrediantur, se in periculum capitis vitæque discrimen inferunt; perraro nimirum evenire solet, ut feræ ad oppida transeuntes, incolumes in patriam redeant.

III. Cervi ex lucorum propugnaculis in planitiem descendentes frontis coronam amittent. Aries canibus obsessus crudeliter lacerabitur. Perdicem circum retia volitantem venator alarum remigio privabit. Volatilia omnia, si ad laqueos sese convertant, una cum libertate amissa

formæ pulchritudine effrenatæ juventutis oblectamento deservient. Ipsi leones, quam domi retinent, fortitudinem totam in urbibus deperdunt. Tot igitur exemplis ab animalium vicissitudine ductis institutus, o Christiane, surge, et in solitudinem concede, ne inter multitudinis fremitum percas; ibi ex avibus vigilantiam edisce, ne per nimiam fidentiam, seu potius temeritatem, innocentiæ desiderium, tristeque tui animi funus inutiliter lugeas. Ne, obsecro, urbium amœnitate irretitus, alienus a montium asperitate fieri velis. Dissolutionem evita, ne curarum molestiis torquearis. Fuge aurum argentumve concupiscere, marsupiaque explere tua, ne copiarum amor tuam ab hominum frequentia fugam remoretur. Ne quidquam manu apprehendas; sic enim te facilius ex mundi illecebris expedies. Ne vilem depereas venustatem, ne nudus Dei oculis compareas. Ne terrenas possessiones appetas; ipsæ etenim mentem ab evangelica paupertate distrahunt. Paupertatem tenaciter amplectere, quæ ditissimos homines efficit; cætera autem mundi bona vanitas sunt, et superbia.

IV. Omnia demisse patienterque sustine, et cuncta possidebis. Despicientiam elige, qua justi omnes in certamine triumpharunt. Desine opes coacervare, quibus innixi plurimi terrarum principes fatali exitu occubuerunt. Ne te pigeat nudatis incedere pedibus, ut draconis caput conteras. Calceos abjice, ut pedes ab hoc impedimento liberi, diabolicos laqueos facilius declinent. Ne tibi tecta in destructionem ædifices, nec in ipsorum penetralibus exornandis allabores, ne tenebræ tibi in æternitate contingant. Quære tibi domum in deserto; exinde enim ad perpetuum paradisi domicilium gradum facies. Ex rivulis saxa inter scatentibus humorem accipe, hauriesque aquas lætitiæ et exultationis de fluvio Eden. Comede arborum frondes, et vitæ arbore aliquando vesceris. Ne fastidias, quæ in sege-

tem sunt deteriorem tibi datæ, fruges, si vis ad lautam Agni mensam epulari. Humilia te in omnibus, ut sterilis tuus animus ad fructuosam messem efflorescat [1]. Adhæreat limo venter tuus, ut ostendat tibi viam salutis. Saxa, in quibus brevi commoratus es, tibi beatitudinem præstabunt. Rupes, in quibus delituisti, regalem tibi in paradiso domum construent. Comæ, quas neglexisti, fient tibi veluti plumæ aquilæ, quibus in cœlum advolabis. Rustica, quam induisti, vestis in stolam lucis immutabitur. Æstivus ille, quem pertulisti, cœli calor te in paradiso, Zephyri instar, leniter permulcebit. Frigus, quo riguisti, inter jucunditatis pocula cessabit. Fames, qua confectus prope eras, in cœlesti convivio satiabitur. Sitis, qua exarsisti, ad torrentem viventis aquæ expelletur.

V. Jejunium, quod tuam frontem extenuaverat, te singulari elegantia ac lepore exornabit. Insomnes, quas transegeras, noctes tibi in judicio patronæ aderunt. Corpori macie jam torrido florens viriditas accedet. Dolores, qui artus exederunt tuos, cito residebunt; tuaque, velut aquilæ, juventus renovabitur. Pœnitentia, qua concitati animi motus domuisti, præstantiorem tibi in supremi Regis aula decorem afferet; mœror, quo hactenus squaluisti, te ante excelsum Dei thronum exaltabit; et singulæ, quas patienter tolerasti, angustiæ totidem tibi gloriæ gradus adjicient. Si modo tentationibus vexaris, cogita has tibi viam ad Dei gloriam explanare; si te ærumnæ premunt, hæ tibi paradisum recludunt; si te mala urgeant, Eden suum tibi expandit sinum. Lapides ipsi, in quos pes offensavit tuus, pro te pugnabunt, si forte te opprimi contingeret. Hæc omnia certissime tene, quin suspensus incertusque pendeas; mitissimus siquidem Deus non is est, ut te decipere velit, aut te oppressum jacere patiatur.

[1] Eccli. III, 20.

SERMO.

De monachis.

I. Cur turturi viduato comparavit te sæculo abdicatum Propheta, o monache? Quoniam turtur avis est casta, nunquam secundis nuptiis gaudens, neque in ramis humidis considens; potius autem inhabitabiles consectatur solitudines, ibique dies suos perficit: quam ob causam te Propheta turturi viduato comparavit; ne et tu, ad mundum conversus, ea quæ retro sunt respicias; neque in civitatibus et castellis vicisque converseris, neque cum mundanis demoreris, neque vias eorum addiscas; recedatque anima tua a Domino Deo suo vero animarum nostrarum sponso, laqueosque in anima tua accipias; neque ad divitias et voluptates sæculi revertaris; non enim et angelus et homo esse potes, nec Deo servire potes et mammonæ [1]. » Neque prætexueritis, o monachi errore ducti, mandata et beneficia, curam senum et hospitalitatem; non enim ab Angelis talia requirit Deus, sed tantummodo ut semper laudetur, glorificetur, et honorificetur ab ipsis, sicut constitutum est vobis.

II. Hanc porro parabolam suppeditabo vobis. Monachus avarus et dives, mundanus est professor; at pauper monachus, cœlestis est civis. Quicumque monachi in divitiis et deliciis degunt, nihil differunt ab iis, qui in vita monastica sæcularibus rebus vacant, et deliciis atque voluptatibus indulgent; adhuc enim ab angelico vivendi instituto peregrini sunt ac alieni : quin et mendaces deprehenduntur, et nunc quidem mundo se abdicant; nunc rursus in sæculo

[1] Matth. vi, 24, et Luc. xvi, 13.

ac divitiis, suosque inter affines ac cognatos versantur; neque monasticum amplius habitum ferre possunt, qui sæcularibus divitiis sunt dediti. Non enim possibile est Deo servire et mammonæ, inquit Dominus; et ipsi quidem Apostoli, cum interrogassent Magistrum suum, dicentes: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te [1], » non amplius, ipso relicto, abierunt in mundum, neque conversi sunt retrorsum, videlicet ad sæculi divitias.

III. Si igitur videris monachum divitem et voluptatibus deditum, avarum et compassionis atque misericordiæ expertem, opes caducas sectantem, deliciasque ac lucra mundana amantem, postpositis tuis, deplange illum, quoniam in nocte ac tenebris talis ambulat. Neque enim vult Deus monachum, exempli gratia, relictis spiritalibus, curare sæcularia, quamvis etiam justam aliquam causam habere videatur; illusio enim hæc est diaboli, qui tentat eum perdere; nam, qui propter res corporales ac sensuales negligunt omittuntque bona spiritalia, magnum assidue damnum patiuntur, non considerantes, neque mente complecti valentes divinam illam vocem: « Nemo mittens » manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est » regno cœlorum [2]. » Cur igitur letiferas tibi divitias consciscis, o monache, superbas atque arrogantes, misericordiæ et compassionis omnis expertes atque insatiabiles? quanto enim quis amplius ditatur, tanto magis immisericors et inhumanus redditur, ampliusque suas manus contrahit, ne eleemosynam indigenti tribuat. Tu vero, o monache, hasce divitias ne appetas, nec possideas, neque congreges; nam monachi primum et magnum mandatum, quæ secundum Deum est paupertas. Potius igitur Christo citra ullam distractionem adhæreas, residens in loco in

[1] Matth. xxix, 27. Marc. x, 28, et Luc. xviii, 28. — [2] Luc. ix, 62.

quo et mundo renuntiasti, et te Deo conjunxisti viventi in sæcula.

SERMO.

De perfectione monachi.

I. Anno præterito ad me accessere quidam, postulantes utilia nonnulla suis monasteriis; sed tunc mihi cum iis loqui non vacabat, quod infirmitate corporis detinerer. Unde me tacentem dolor excusavit; conspicientes enim vehementiam dolorum, silentii causam agnoverunt. Admonitus sum ergo paulo ante, quod et ab aliis monasteriis missi ob id ipsi advenissent. Quid igitur agendum? Privatim cum his, et ex alia parte cum illis sermonem instituam? aut uno eodemque colloquio, utrisque satisfaciam? Cæterum vereor pertransire, quæ egregie apud eos paulo ante gesta sunt, ne me ipsum condemnem. Absurdum quippe est hominem rudem instituere sapientes: sicut etiam pauperem, opulentos ad convivium invitare. Sensu enim ego puer sum; at illi profectu admirabiles evaserunt. Neque vero verba veritatem constituunt; sed ipsa veritas verbis fidem addere solet. Novi componere verba, non inficior; at variæ virtutis exhibere modos non est datum mihi. Opus est imago virtutis; sermo autem imaginis adumbratio est: in adumbratione vero nullus character, sed solum est characteris et figuræ commentum. Quid ergo? Rogati recusabimus? postulati non præbeamus? Quis porro nobis obedientiæ foret fructus? cum et multi obedientiam, ad virtutem parandam assumpserint. Si porro res ipsas intueamur, inveniemus servos propriis dominis mutuum dantes, et juvenes

senibus consilia impertientes, indignosque maximis viris in aliquibus rebus adjutores et socios. Ex variis populus constat, unaque gloria resultat : at major est cui gloria defertur, quam qui glorificat, ac gloriam defert; et quæ est mediatrix et conciliatrix, inter ambos, quos conciliavit, cohonestatur.

II. Exerceamus nos in verbis atque colloquiis, sicut miles sub duce suo. Intelligant fratres nos verba facere posse, cum opera non habeamus : unum hoc agnoscite in nobis utile, quod veritatem adamantes, nos ipsos accusamus. Doleo me non agere opus, de quo ut loquar, obsecratus sum; et vereor ne, qui reipsa agit quod ego doceo, me ut indignum repudiet. At idcirco-ne imperium detrectabo? non potest subditus dijudicantibus adversari. Plura vos nostis, fratres, qui factis ipsis docetis; brevibusque addiscere desideratis, qui ex oratione voluptatem capitis. Dicam etiam vobis fructum esse verum cibum, non autem folia adumbrantia. Verba se in modum habent foliorum; opus autem instar fructus. Vultis nosse virtutem operis? ex fructu ac esu cognoscetis illam ; nam folia per similitudinem fallunt. Satisfaciam vobis, conscius humilitatis vestræ. Novi parvitatem meam, et modestiam vestram suspicio. Dicam vestrum esse inventum, quod apud vos enitescit. Pauperes ii sunt, qui purpuram regis gestant ; tametsi ipsi habitu vili utantur ac humili. Qui regale diadema faciunt, indigniores sunt qui illo utantur; sed tamen faciunt quod jubentur. Novi quo pacto agricolæ terram aratris ac bobus proscindunt; sed ad opus ego ineptissimus sum. Multi sunt qui, ex consuetudine, quæ ad artem aliquam pertinent penitus norunt; sed de illis rationem reddere nequeunt. Alii, usu ac consuetudine proficientes, excogitarunt artes, aut ab aliis inventas concinniores reddiderunt atque ornarunt. Sic et ego vobis, de vestri tem-

poris moribus verba faciam : alia quidem ex more discendi sciens, alia etiam ex iis præbens quæ usu et laborum experientia didici.

III. Vita monachorum Angelis similis, eorumque institutum divino ministerio plenum est. Continet enim vitam, quæ in præsenti Deo inservit; et ante, hanc fœnori dat, ut pro usura vitam æternam accipiat. Præbet ipsi benevolentiam, et particeps gloriæ cœlestis efficitur. Loco præsentium laborum, sperat fruitionem æternorum bonorum. Mutuo dat terrena, et recipit cœlestia. Soli monachi super terram divini certaminis conditionem atque constitutionem norunt. Nautæ in mari navigantes molestias perferunt; at ipsi in quiete vitam agentes pericula experiuntur. Sicut illis mare : ita his aërea efficacitas et potestas. Sicut illos venti prohibent ulterius procedere : ita hi in aëre contra adversarios spiritus pugnant. Dixit Apostolus de hac concertatione, et spiritalia nequitiæ nominavit [1]. Circummunivit locum optimis unguentis, et aggredientes accurate instituit, ut insidias latentes non ignorarent. Monachis cum hostibus certamen est, quos non vident : quales ergo eos esse oporteat, non recusabo dicere quod sentio. Nam et Prophetæ sunt, qui artem spiritalem tractant, cujus expers est caro; opus faciunt incognitum, quod neque ipsi, qui faciunt, cernunt : negotiantur non in iis, ex quibus fructum capiunt; sed in ea, quæ sperant, laborem intendunt. Via ipsis est intelligentia ; terminus autem assensio et comprobatio. Animo proficiscuntur in cœlum, et mentem sexcentis meditationibus ac lectionibus pascunt oblectantque. Multi occultati insidias effugerunt; alii non resistentes vicerunt : aliqui etiam ob metum recesserunt; nonnulli quoque captivi, illusi sunt; multi etiam occisi : pauci omnino trajecerunt, et rari mercatores suas merces salutis

[1] Ephes. VI, 12.

advexerunt. Quemadmodum qui ad barbaros iter suscipiunt, sic etiam est vita monachorum. In duabus rebus negotium tractant; aut cum expectatione magni lucri, si rem bene gesserint; aut etiam metu substantiam, quam habebant, amittendi. Vidi per civitates in spectaculis et ludis, quæ dicuntur, quosdam cum feris atque leonibus decertantes : nihil plane minus opus aggrediuntur monachi; aut enim ditantur repente, aut etiam vita spoliantur. Quin et apostolus Paulus suam vitam spectaculum appellavit [1] : ut confirmetur oratio nostra, quod in agone certatis. Idem etiam stadium illam nuncupavit, et pugnare se ipsum affirmat : unde ex pugna stadium, et ex lucta certamen intellige; quæque ibi agantur, a spectantibus animadverte. Angeli et homines speculantur, ut non immerito dixerimus monachorum vitam Angelis esse persimilem. Sed cujusmodi sunt quæ vident Angeli, nisi operationes occultas, laqueos in cavea constitutos, mores fraudulentos, invasiones ex insidiis, machinationes dæmonum miro modo contextas et implicatas, quo pacto eas transiliant atque evadant? Spectant quomodo ferarum instar vincant; quomodo adversarios in fugam vertant; quo pacto fucatos amicos de medio tollant : hæc quæ sunt aspiciunt Angeli. Quæ porro cernunt homines, prorsus res humanæ sunt : excitantur enim adversus eos, persecutiones cogitationes, inopiæ, anxietates et inquietudines, morbi, seditiones et instabilitates, et accusationes, calumniæ, rejectamenta, et his similia:

IV. Multis difficultatibus est exposita monachorum vita; nam, si remissior sit, decipitur. Si minus sincera sit, cito instar vini aqua mixti pervertitur; et acescens, non amplius in pretio est, sed vilescit; non amplius usui, sed damno; nec oblectamento, sed nauseæ. Instar vini debet vita nos-

[1] 1 Cor. IV, 9.

tra conservari. Non quæcumque sors tulerit, admittenda. Non ridiculis vacandum. Non verborum quamvis sanorum multiplicitate gaudendum. Non tropis figurisque verborum frequentibus, quamvis sinceræ sint. Non diversis aspectibus, licet etiam voluptatem minime suggerentibus. Non etiam multiloquio indulgendum, etiamsi astantes rogent; nam, licet non noceant qui in his versantur, lucro tamen frui non possunt. Pigros novi multos in ægritudines incidisse : alios autem ægrotantes sibi requiem comparasse. Alii adversis pressi, etsi infirmantur propter labores, valetudine tamen recuperata, et lucrum et laudem referunt. Non recusavit carnis infirmitatem Paulus, et tamen ipse repositam sibi coronam confessus est. Qui ad labores se segnem præbet, stupidus est, et in omne vitium præceps, ac inter fortes gregarius atque plebeius. Hic est, qui non est professus solitariam vitam ; ideo neque aliquid possidet, neque exprobratur ei non possidenti; at qui professus est, si labores detrectet, castigatur, et servitutis ab eo opus exigitur. An ignoratis quid miles piger sustineat? Repetitur ab eo diligenter armorum, telorumque gestatio, equi usus, ac totius operis militaris. Exigitur ab eo meditatio, exercitatio, obedientia, et strenuitas in rebus agendis. Non erit justa monacho negligenti excusatio, sicut neque agricolæ terram præclare non colenti.

V. Carnem tuam, monache, edomans et reprimens, evangelici fructus delicias in te ipso semina. Ne sinas corpus otiosum, siculi egit qui unum talentum accepit; remissionem quippe cum gratia nactus, et otio indulgens, condemnatus est ut reus. Christi miles evasit, et cum jam frueretur regiæ militiæ prærogativa, in opere negligens extitit. Quod si negligenti illi atque torpenti pepercit, sane et monacho parcet. Si inutili parcit servo Dominus, etiam illi parcet. Agricola ob negligentiam seminis flagellatur, miles

ob insordescentia arma; et quomodo non multo magis etiam monachi, si negligentiores extiterint? Vinum deterius evasit : in causa vas fuit, vel locus, aut unguentum. Inquirit causam illius Dominus, eaque cognita, non sinit ulterius corrumpi. Potest et culex minimus saporem corrumpere; et in hoc solum culex accusatur, quominus vino possimus uti. Res nullius momenti sæpe magnorum malorum causa efficitur, et ex parva negligentia, ingentia atque incurabilia fiunt vulnera. Sciant et intelligant monachi se velut servos et agricolas, atque milites esse Christi; quodque in cunctis dictis locis parati esse debeant. Omnesque homines servi sunt; sed alii quidem fugitivi, et aliis serviunt, id est, dæmonibus : alii vero exiguis officiis se manciparunt. Nonnulli etiam tanquam servi servorum facti, hominum sese obsequiis tradiderunt : cæterum monachi domestici sunt ac familiares. Attendite ad promissiones vestras, et intelligetis quod non mentior. Audite Apostolum, et aperte jam dicta cognoscetis. Ait enim : «Castigo » corpus meum, et in servitutem redigo [1]; » et, « Carnis » curam ne feceritis [2]; » et, « Induite vos armaturam Dei [3]; » et, « Sic curro, non quasi in incertum [4], » etc. Primum fecit, et ita docuit. Hæc est armatura Dei, ut quis et sibi, et multis prosit. Si paratus sit monachus, etiam imparatum in impulsu draconis eximat ac liberet. Agriculturam hic exercere oportet monachos, et belligerare. Ad multo plura potest animus applicari, quam corpus. Novi plerosque operi intentos, et interim bellica meditantes. Esdræ quoque tempore, se tales præbuerunt [5] : ædificabant templum, et dexteras præparabant adversus hostes [6]; et tribus Benjamin, jaculandi peritia, utraque manu hastam contorque-

[1] 1 Cor. IX, 27. — [2] Rom. XIII, 14. — [3] Ephes. VI, 11. — [4] 1 Cor. IX, 26. — [5] 1 Esdr. I, 5, 6. — [6] 3 Esdr. I.

bat : multo sane amplius mens scite et expedite in variis spiritalibus operibus suffecerit.

VI. Quod si hæc paululum sunt prosequenda, ego vobis quæ ad sementis comparationem pertinent, explicabo. Dicamus ergo novale esse cognitionem animæ, quam a Deo mediante gratia accepit : semen autem evangelicum, mandatorum obedientiam. Tu modo obedientiam tibi para, et de pluvia, qua semen crescit, noli esse sollicitus. Si pro præsenti incrementum concedere voluerit Deus, etiam alios divina gratia pascas. Sin in futurum distulerit, tunc metes, et perennes divitias consequeris. Excole, quæ in te est, gratiam; et in excolenda ea, cave quod irrepit in detrimentum agriculturæ. Nam et formicæ, nobis non sentientibus, semen capiunt ; et corvi, te dormiente, diripiunt. Adhibe ergo simul cum rusticis instrumentis etiam bellica, et ligone spinas evelle : funda autem rapaces repelle. Accidit quoque draconem agriculturæ tuæ imminere : verum tu intrepide accedens fuga, et persequere eum ; ut ne apud te permaneat. Si draconem reliqueris, etiam reliquæ feræ per eum introibunt; et, pigritante te, circa multitudinem, sylvestrem quoque reddent agriculturam tuam, ut nequeas fructum laborum tuorum percipere : quoniam sylvam sibi ac domicilium constituit draco. Multæ enim regiones sic desolatæ factæ sunt, variique agri eo modo a feris penitus vastati sunt. Legislator quoque ait quod paulatim delendus sit Chananæus [1] : ne in te irruant cunctæ bestiæ terræ. Si inertes ac pigri fueritis, fratres, jam causam vastationis vos præbetis. Si in vobis assueverit serpens, multiplicabit prolem, multasque latebras faciet, ac terram tuam occupabit; quæ cum perforata, et pervia longe lateque fuerit anguibus aliisque reptilibus ; seminari nequit, sataque damno obnoxia erit, quia a serpentibus fructuum proven-

[1] Deut. VII,

tus vastatur atque dejicitur. Nisi citius passiones, quæ in te cernuntur, sustuleris, ulcus efficiunt; nisique parvam putredinem curaveris, in infinitum excrescet, omnemque substantiam tuam corrumpet. Hinc illincque obturas unum antrum, et serpens (quem diximus esse passionem) aliunde aperturam facit. Unum aditum tu recludis : ille autem exitus varios patefacit. Ideo non potestis prævalere passionibus, ubi diuturnum callum obduxerint. Propterea ne credite agriculturam vestram esse fertilem : quia vastationi eam præfidenter exposuistis. Diffluxit agricolatio vestra, et talem humanam existimatis naturam. De puritate ac castitate loquitur Scriptura, et alio illius putatis spectare verba. Testatur recte factis, et non creditis : admiramini verba, sed opera non declaratis ; eaque ut Deus vobis in admiratione sit, duntaxat scripta arbitramini, et non propter suscipienda certamina. Ita sunt segnes hujusmodi homines : hostium enim adjutores evadunt, et pejores iis sunt, qui nihil agunt et cessant.

VII. Advertite quid inimicus fecerit ipsi Job, o monachi, et intelligetis quantis certaminibus instruebatur. Postquam enim exploratam sibi habet bestiarum atque serpentum observationem, simile adversus simile concitat, ut religiosæ colluctationi tenebras offundat. Quosdam e monachis corrumpit, aliosque nondum corruptos violat. Si simile ceciderit, ingenuus atque sincerus, multitudinis reprehensionem non subibit. Nisi de medio sustulerit, perpetuum bellum habebit. Si lepram contraxerit, etiam fœtorem participabit. Si repulerit, scandalum multorum pejus ipsi erit. Istæ præcipuæ, ac maximæ hostis sunt insidiæ, quando susceptam secum concertationem confundere nititur : hacque calliditate, duo sibi machinatur ac parat : nimirum, ut et securum hominem atque imparatum reddat : et ut, cum vere sit hostis, non tamen esse appareat : tertiumque

grave ac intolerandum efficere in omnibus conatur, ut bona malis quam simillima existimentur: hujusmodi autem rationibus, adversatur veritati. Sic Adamum supplantavit: eodemque modo Caïn evertit; illum, per mulierem; hunc, per fratrem. Non habeo, quomodo lupi fraudem et calliditatem invadendi exponam. Perterrefacio vos, o monachi, quo pacto sustinetis? et dum considero quæ vos patimini in acie dispositi, obstupesco. Recte dixit Dominus arctam esse viam, quæ ducit ad vitam[1]. Nam ecce angustia tanquam in speculo per orationem apparet.

VIII. Acerba sunt præsentia monachis, possessio inimica, voluntaria paupertas luctuosa, et bonorum abrenuntiatio gravis: continentia laboriosa, periculosa nimis accurata diligentia, et silentium mœrore plenum. Si reprehenderit, debitor evadit. Si tacuerit, flaccessit in eo zelus Dei. Si loquatur, contra: et cum non loquitur, noxium. Nequit loqui veritatem: et cum non loquitur, non sustinet. Simile opponit in omnibus draco: in inopia, mercaturæ utilitatem; in vigilia, calumniam; in exercitiis, interemptionem; in oratione, accusationem otii: in veritate, obtrectationem; in charitate, maledicentiam; in hospitalitate, observantiæ regularis negligentiam et contemptionem. In artificio ac versutia, illius est virtus posita, et in habitu pietatem ac religionem simulat. Periclitatur monachorum vita, ne dissolvatur: capita cum pedibus subsidunt, oculi cum manibus imbecilles sunt, possessio fidem extinguit, ususque a monastica exercitatione alienat. Humilitatem propria auctoritas violat, divertitque spem sollicitudo temporalium. Quid in tanta similitudine, vos veri ac germani monachi, agetis? ubi effigiem ejusmodi effugietis? numquid in solitudinibus? Et quo pacto? nam et ibi confusio dominatur. Præfecti, consanguineorum instar, æmulantur mutationem

[1] Matth. VII, 14.

de meliori in deterius, nec omnino ad bonam frugem convertuntur : non enim ullum habent in partibus fautorem. Addite quæ intus sunt, et cognoscetis similitudinem in omnibus. Rejici non potest, quod est secundum virtutem ; quamvis vulgus aliam inire viam jubeat. Corporis actio, animæ opus obscurat ; et carnis cura, mentis examen obtundit. Non vacat conscientiæ, mentem compungere. Non properant cogitationes ad pœnitentiam, ad multa deploranda : ideo et ego ipse, qui vos germanos et minime fucatos monachos rego, aberro. Forma et imago captivitatis est præsens vitæ status. Si cuncta typum et veritatem continent, etiam bella, et quæ ex iis proficiscuntur, ad umbram et veritatem referenda sunt. Si Elias dicebat se solum relictum esse [1], verum Deus multitudinem ipsi adesse indicabat. Et Jeremiæ tempore, ita intelligere debemus, quod non erat solus [2] ; nam et alii multi cum eo erant. Sic etiam de vobis credere oportet, servi Dei ; esse nimirum vos, licet id non appareat. Nam erant, quamvis non apparerent, in Israël, Eliæ similes, qui apparebat. Perspicuum autem est illos et reipsa fuisse, ac vos quoque, tametsi non apparetis : at pro viribus certe conamini. Novi aliquos ejusmodi, sed plane paucos. Credo multos esse, sed non omnino allaborantes. Lugebat Jeremias Israël propter obsidionem : et vos similiter agentes, pro nobis intercedite. Confundimini passionibus vestris, sed nostram infirmitatem curate. Novi me a principio dixisse animam facile in actiones distrahi diversas. Bonum quidem ac malum simul agere nequit : sed malum, boni specie exercet. Per jejunium inaniter gloriatur, et per continentiam superbit : velle autem ac sectari pariter humilitatem et superbiam nequit. Dixitque ista Dominus : « Non potestis duobus do» minis servire [3]. » De iis autem, qui sub prætextu boni

[1] 3 Reg. XVIII. — [2] Jer. XV. — [3] Matth. VI, 24.

malum agunt, « Lupi, inquit, sunt in pelle ovium pro» deuntes [1]. » Atque in illud respiciens, ut arbitror, ac vitæ suæ consulens, fugit Elias in terram alienigenarum, ibique mente quiescens, in virtute solus perseveravit, neque confusus, neque vile quid pertractans, neque contemptibilem vitam degens, hospitis ac advenæ instar; neque tanquam ignotus esset, continentiæ duritiem emollivit.

IX. Beati enim perfecti : quoniam velut margaritæ, incontaminati quocumque in loco permanent. Beati mundo corde : quoniam instar solis etiam in tenebris resplendent. Non conspurcavit Jeremiam cœnum lacus. Non nocuerunt Danieli leones. Non detrimentum tribus pueris intulit ignis babylonicus. Ex sensibilibus declaratur lædere non posse adversarios spiritus. Si in Babylone sitis, etiam detentores ac dominos erudite. Si in Israël occultati, et profugi, impietati deditos coarguite. Intelligite cur in Jerusalem abscondi debeatis, in Babylone liberius loqui. Docebit vos regius propheta David, quippe qui cum Goliath hostiliter, cum Saüle vero humiliter egit. Et causam quidem dixit, quia ille Christus Domini fuerat; Goliath autem tanquam veræ religionis expertem occidit palam; alios quoque annuntiantes mortem Christi Domini peremit : aliquibus vero etiam, quibus mors debebatur, pepercit. An oportet vobis dissolvere ænigmata; aut potius vobis ipsis ea relinquere? Sed quid simpliciores facient, quibus illorum ignota vis est? Vos ut dixi, etiam experientia et usu ipso nostis plura : at qui vobis succedent, explicatione indigebunt. In Ecclesia, sicut Prophetæ in Jerusalem, tacere oportet; inter nos autem, quibus id onus imponitur, veritatem eloqui profuerit. Inter sacerdotes, vel sapientes, piosve atque religiosos, humiliter sentire oportet, uti fecerunt Prophetæ : apud eos vero, qui reprehensione

[1] Matth. VII, 15.

indigent, dissimulandum non est. Si delecti et comprobati magistratus a Domino nos persequuntur, fugiamus; sin autem tyranni hujus sæculi, cum Daniele liberius alloquamur eos. Si quis pietatis cultoribus detrectaverit, pro mortuis tales ducamus, propter eum qui suos ministros elegit. Sique in rudium hominum peccata, quosdam se inimicos præbere contigerit, parcamus illis propter ingenuitatem. Nos ipsos penitus non ulciscamur, sed instar Davidis regis, spernamus damnum.

X. De pauperum ministerio diligenter exploremus cum Apostolis. De splendida mensa minus simus solliciti. De sancta oblatione cum Moyse sollicite cogitemus. Eos, qui ventrem solum curant, aspernemur. De hospitum ac peregrinorum saturitate, cum Abrahamo diligens studium adhibeamus. De ratione indulgendi et compatiendi fratribus, sedulo indagemus; indulgere autem infirmis non recusemus, sicut Apostolus cum Corinthiis egit [1]. Si ex necessitate, vivendi rationem mutare oporteat, par erit, ac rationi consentaneum, id agere. De nobis autem ipsis nimis anxie cogitare non expedit. Imo quando oportet, ne nobis quidem parcamus; si forte nos ipsi ac valetudinem nostram curamus, ut indigentes. Si quando autem infirmitate vincamur, ne despondeamus animum. Si vero recte egerimus, ne efferamur; in utraque enim mutatione sperandum est. Fratres instituamus, tanquam condiscipulos; delinquentes vero dirigamus, quasi illorum doctores. Mundo deditis ne obsimus, contemnendo eos; opinionem vero sententiamque pietatis, reipsa doceamus. Cum hilaritate alios adhortemur, et decentibus moribus una cum iis vitam agamus. Non abscondamus gloriam Dei, neque vitæ nostræ rationem ostentemus. Non agamus tanquam simplices, sed loquamur velut simpliciores. Non studeamus

[1] 1 Cor. IX.

apparere callidi atque arguti; sed quasi prudentes, discendi cupidi simus. Non præbeamus nos curiosos in conversationibus; sed neque stultos in responsionibus. Non simus industrii nimis in propriis; quin magis nos divinis conformemus. Neque tamen, si per otium liceat, omittamus Dei ministerium. Si utrumque honeste ac recte præstare possimus, ne unum pro duobus statuamus. Si bono aliquo impediatur melius, non colamus id quod minus est. Loquamur quando oportet, ut cognoscamus loquentes dum non oportet. Silentium servemus cum oportet, ut quietis intelligamus utilitatem.

XI. Opus laboribus metiamur, et quis ejus sit fructus discernemus. Lucrum, quod satis sit, honeste amplectamur; et quod sit exercitationis commodum, cognoscemus. Si nimium laboremus, causas insatiabilitati præbebimus. Si abundantia delectamur, in egestate facile capiemur. Si desideramus accipere, non recusemus etiam dare. Si ad munera libenter respicimus, ad justitiam non libenter respiciemus. Quando quispiam aliquid tibi propter Deum dederit, accipe quasi acceptum Deo referens. Quando quis pietatis obsequium tibi præstiterit, paria præstans, ad reddendam rationem non teneberis. Si quid ab alio acceperis, palam accipito, avaritiamque effugies. Si quid dederis, occulte dato, et inanem gloriam evitabis. Si non passus fueris te induci, ac capi adulationibus, nec conviciis quidem turbaberis. Si affectu inordinato non præbeas, ne inordinata quidem affectione recipies. Si ad famam captandam in alios beneficia non contuleris, neque laudatus extolleris. Quos honore afficis, non compensationem ab iis expectes, neque honorem repetas. Quos observas, non propter divitias reverearis, et assentatorem non ages. Quos amas, non utilitatis alicujus causa amorem ostentaveris, et nihil fucatum erit. Quos tibi vindicaveris, non tui gra-

tia eos tibi quæsieris, et proprii amoris venenum evitabis. Si propter Deum benefeceris, noveris singulos, quibus digni sint. Si legitime ambulaveris, noveris impostores, ac viæ occupatores. Si ex affectu par pari reddideris, etiam pietatem sicut oportet, coles. Si peccando laboraveris, cognosces quietem bene operando. Quod si reprehensionem lubens acceperis, amanter etiam alios reprehendes. Si convicia sustinueris, viam longanimitatis atque patientiæ nosti. Si malitiam aliorum pertuleris, benignitatis libertatem agnosces. Si imprudentem supportaveris, prudentem quoque eum reddere poteris. Nisi verbis inanibus commovearis, ne opera quidem inania facies. Nisi insipientes oderis, non corriges animam. Si proximum non amaveris, nec quomodo te ipsum diligas nosti. Si justum non honoraveris, nec divinum cultum intelliges. Si non dederis indigenti, nec hominem te esse agnosces.

XII. Quando mortuum luxeris, tuæ naturæ recordare. Quando de peccatoribus gaudes, perfectionem meditare. Quando virtutem aliquam addiscere eniteris, tunc intellectus tui atque ingenii tenuitatem considera. A Sanctis discito, et divinam gratiam ad executionem efflagita. Considera malum, et Deum in adjutorium require. Intellige naturam tuam, et noli a divina gratia separari. Per ignorantiam in aliquo errasti? noli conflictari mœrore, ut homo. Recte aliquid egisti? supra quam hominem decet, ne te jactes. In prosperis successibus ne glorieris, neque de erratis desperes. Propter divinam gratiam ne efferaris, et ad impietatem non deturbaberis. In gloria non extollaris, et in desperationem non incides. Mendacium ut draconem fugito, et in paradisum introibis. Noli cito iis, quæ dicuntur, fidem habere neque, cuivis dicenti assentiri. Tardius promitte, et cito promissa perage. Tarde crede, et celeriter vera loquere. Contende ut aperte rem percipias,

non ut judices; sed ut ne damnes, potius autem tardior ad judicium esto. Si enim assensum et judicium cohibes, te ipsum miseraberis. Noli contendere judiciis, et eum, qui in judicio laborat, ne repudies. Si judicis personam gesseris, velut consiliarium te præbe. Si ad consilia hortator extiteris, tanquam pater benevolentiam præsta. In consilio tuo sententiam ne tuleris, ignorans arcana Dei. Dum quidpiam enarras, noli multum asseverare; sed potius dubitationem significa, nec facile in verbis reprehendi poteris. Doce ut didicisti, et auditoribus eris utilis. Quæ ignoras, eadem pro dubiis enarra. Et si cecideris, salvus atque incolumis resurgas. Mori potius elige, quam invidiæ te servum reddere. Damnumque jurijurando præponendum puta; non enim inulta relinquetur impietas. Strenue atque efficaciter bonum amplectere, et similiter malum detestare.

XIII. Si necessitate coactus juraveris, firma ac certa tibi erit excusatio. Si ex necessitate judex evaseris, judicii condemnationem effugies. Si corripiaris, defende te ut homo. Si mente concideris, naturæ afferes excusationem. Præstat ut insipientem judicari, quam ut sapientem condemnari. Satiusque ut inexpertum repudiari, quam ut expertum sæpe causas agere. Si mentitus fueris, confitere. Si passione commotus fueris, ne celaveris eos, qui te audiunt. Si tibi alicujus rei conscius es, ne degas absque sollicitudine. Si non adsit laborum socius, tanquam solus plura elaborato. Quod duo vel tres debebant facere, tu gravatim et ægre ne feceris. Noli hominibus occultare delicta, quibus es obnoxius. Te ipse vero, hoc est, quæ ad laudem tuam pertinent, occulta ut oportet. Ne Deum celaveris errata tua, ne et ipse abscondatur a te, tempore necessitatis. Noli gloriari de justitia, ne de perfectione ejus condemneris. Non glorieris de prudentia, ne super

præsumptione examineris. Opta potius invadi gladio, quam iracundia corripi. Magisque elige animi iracundiam comprimere, quam illam ostendere. Præstat supplantari, quam supplantare. Si vero divina munitus fueris gratia, nihil patieris. Prospice futura, quippe qui rationem sequaris; et præsentia observa, ut mortalis. Amicos proba, et inimicos concilia. Modeste reprehende, et pie simul cum aliis res contrahe, atque versare. Nec malos prorsus rejicias; neque bonos semper collaudes. Noli esse conspicuus et insignis in utramque partem, laudandi scilicet bonos, et rejiciendi improbos; sed neque sententiæ ipsorum nescius. Inordinato atque immoderato affectu ne diligas; atque ita fiet ut non sis exosus.

XIV. Non sis curiosus indagator et nemo te suspicabitur inimicum. Non studeas cunctorum res nosse; atque ita te ipsum nemini venditabis. Noli omnium negotia intelligere, ne detrimentum accipias. Non incumbas plus æquo in cognitionem mysteriorum, et proditor non existimaberis. Si tui causa sit pugna; noli sollicite inquirere rationes. Si quis inter repugnandum tibi quid affinxerit, noli illum irritare. Si quis te amicus roget de vindicta, ne illi præsto sis. Si inimicus comminetur tibi, ne concidas animo. Si dolum consideraveris, non protinus reprehendas. Si multorum intellexeris insidias, ne per asperam occurras eis viam. Si turba in te insurrexerit, ne confidas verbis tuis. Si in malignos incideris, ne viribus tuis fretus resistas. In turbæ divisione, ab initio te mediatorem non constituas. In pugna potentiorum, ne sis inter eos. Juniorum immodestiam ne lustres remisse, sed severe. Ad verba otiosa noli relaxari, et ad narrationem inordinatas affectiones continentem ne consederis. Ex risu delectationem non capias, nec in te segnitiem seminaveris. Scurrilibus non oblecteris, ne in mentis distractionem digrediaris. In

plateis civitatis non inveniaris frequens, ne animo depravate affecto abscedas. Multorum congressus oderis; quia confusionem animæ pariunt. Silentium ama, ut in te, magistri instar, sit conscientia. Fuge multiloquium, ne reddaris obliviosus. Fuge convivia, ne fornicator etiam sine fœminis evadas. Superfluas conversationes rejice, ne judex efficiaris iniquus, citra auctoritatem ejus. Devita mulierum colloquia, ne etiam polluta habeas somnia. Ventrem continenter non cures, ne hinc mentem tuam obtenebres. Non multa edendo sumas, ne carnem tuam cito in limum convertas. A recordatione ciborum, et epularum exquisitarum cum hospitibus abstine, ne impuris affectibus perturberis. A mensarum oblectatione abstine, ne et lasciviæ efficiaris parasitus. Secretum pete plerumque, ut, dum fuerit cum aliis congrediendum, atque versandum, utriusque rei, hoc est, solitudinis et humanæ consuetudinis utilitatem intelligas. Non quibusvis fidas; sed cum omnibus qui velint, congredere et conversare. Conversationem non protrahas, ne quietis obliviscaris. Collocutiones et congressus non extendas, ne interea divini colloquii detrimentum patiaris. Dum non oras Deum, in quietis silentio aliquid lege. Dum autem divinam Scripturam aggrederis, tanquam qui relaturus sis quæ audieris, meditare.

XV. Quando Deo te sistis, cogita eos, qui principibus terrenis ministrant; atque ex servis et dominis tuam illam præsentationem considera. Ex discipulis et magistris ea, quæ Deo conveniunt, addisce; et ab amicis terrenis edocearis, quo pacto te debeas exhibere ipsi. Ex necessitate carnali etiam animæ indigentiam æstima. Quale cernis in necessitate corpus; idem de mente intellige ac anima suo nutrimento destituta. Sicut ad infirmitatem fieri cibi sumptionem consideras; etiam menti suam mensam appone. Sicut es diligens cultor agri; ita esto et animæ. Ut

naturalium es debitor; ita sis et pietatis. Velut œconomus es sanitatis; sis quoque animæ. Tanquam filiorum curator; etiam bonorum satage operum. Ut servorum præfectus; ita esto et nothorum atque degenerum. Ut spectator civitatis; virtutis quoque curam gere. Sicut volucrum gubernator; etiam perturbationes contuere. Tanquam moderator efferatarum belluarum; esto quoque ferocientium passionum. Instar pastoris; carnem tuam rerum necessariarum usu curato. Ut thesauri custos; ita esto et fidei. Ut prudens dux exercitus; sic etiam adversus hostilia decerta. Sicut pugil celebris; ita et certa, ne inglorius discedas ex pugna. Instar sapientis magistri; a superveniente non improberis. Instar boni militis; in certamen cum adversario prodi. Ut prudens architectus; vires tuas experire. Sicut sagax œconomus; intellige fructuum tuorum copiam atque præstantiam. Instar veri mercatoris, considera negotiationem tuam. Tanquam benevolus famulus, cura quæ debentur. Carnis refrenationi attende, ne sessorem suum, mentem videlicet, in periculum præcipitet. Ad membra tua ut reprehensor respice, ne virtutis pulchritudo marcescat atque depereat. Fac ut præsis tuis sensibus, ne, instar armorum belli, rubiginem in corruptionem admittant. Animam diligenter considera, ne ex insidiis proditionem sustineas.

SERMO.

Ad renuntiantes.

I. Sicut divina Lex exarata est non atramento neque litteris, sed in cordibus puris insita; sic qui mentis oculos illuminatos habent, ac concupiscunt semper, optime sciunt se non suis viribus ex diaboli insidiis evasisse, sed propter virtutem insuperabilem; qui vero neque sermone dignati sunt, neque divino consilio instituti, temere inflati, quod per solum crucis mysterium salvi fiunt, condemnantur. Libertas enim, quæ in hominis est potestate, in eo sita est, ut eligat, vel non eligat diabolo resistere : non enim omnino, eo quod possit, de pravis affectionibus victoriam reportat. « Nisi enim Dominus ædificaverit domum, et custodierit civitatem, in vanum laboraverunt, qui ædificant, » et vigilat qui custodit [1]. » Impossibile enim est ambulare super aspidem, et basiliscum, ac conculcare leonem, et draconem, qui prius, quantum homini datum est, se ipsum non expiet, ut virtutem accipiat ab eo, qui Apostolis dixit : « Ecce dedi vobis (potestatem) calcandi supra serpentes, » et scorpiones, et super omnem virtutem inimici [2]. » Si posset humana natura sine perfecta armatura sancti Spiritus stare adversus insidias diaboli, non dictum esset ab Apostolo : « Deus autem pacis conteret Satanam sub pedi» bus vestris velociter [3]. » Et rursus : « Dominus Jesus » Christus interficiet spiritu oris sui [4]. » Ideo oportet precibus orare Dominum; « Ne nos inducas in tentationem.

[1] Psal. CXXVI, 1.— [2] Luc. X, 19. — [3] Rom, XVI, 20. — [4] 2 Thess. II, 8.

» Sed libera nos a malo [1]. » Nisi enim meliori auxilio liberati ab igneis jaculis dæmonis digni efficiamur malarum affectionum vacuitate, frustra munus nostrum obimus, tanquam qui crucis virtutem non consecuti sumus.

II. Qui igitur optat divinæ gloriæ particeps fieri, et tanquam in puro speculo Christi formam in intellectu conspicere, debet amore inexplebili, atque affectu non ficto ex toto corde, et virtute noctu, atque interdiu perfugium validum inquirere, cujus fieri non potest ut particeps sit, nisi qui prius a mundi illecebris, atque a contraria potestate abstinuerit. Potestas enim tenebrarum a lucis virtute aliena est, et nequitiæ vis, cum recta operatione inhospitalis, atque omnino insociabilis existit. Quocirca si scire vis qua de causa conditi in honore, atque in paradiso collocati, tandem comparati sumus jumentis insipientibus, et similes illis facti fuimus, a pura gloria delapsi; scias nos, postquam propter inobedientiam servi passionum carnis effecti, nos ipsi a beata regione viventium peregre discessimus, atque in captivitatem abducti, adhuc super flumina Babylonis sedemus, et eo quod etiamnum in Ægypto considemus, nondum hæreditatem cernimus terræ promissionis fluentis melle, ac lacte : nondum commixti sumus fermento sinceritatis, et veritatis, sed adhuc sumus in pravæ carnis fermento : nondum aspersum est cor nostrum sanguine Agni Dei; etiamnum enim tegmen inferni, et stimulus nequitiæ intortus est contra illud : nondum recepimus exultationem chrismatis salutaris; adhuc enim stimulus mortis radices habet in nobis : nondum induimus novum hominem, qui secundum Deum factus est in Divinitate; quoniam nondum curavimus exuere veterem hominem corruptum juxta desideria deceptionis : nondum portavimus imaginem cœlestis, similes facti formæ ipsius; adhuc

[1] Matth. vi, 13.

enim terreni imaginem ferimus : nondum adoravimus in spiritu, et veritate Deum, eo quod regnet peccatum in mortali nostro corpore : nondum gloriam incorruptibilis contemplati sumus, etiamnum sub umbra detinemur : nondum induimus lucis arma, atque opera : nondum mutati sumus in formam renovationis mentis nostræ; adhuc enim configuramur huic sæculo.

III. Nondum conglorificati sumus cum Christo, eo quod nos non compassi sumus : nondum stigmata ipsius in carne nostra portavimus facti in mysterio crucis Christi ; adhuc enim sumus in carnalibus affectionibus, et desideriis. Nondum hæredes Christi facti sumus ; adhuc enim spiritus timoris inest nobis, et non adoptionis. Nondum facti sumus templum Dei, et habitatio sancti Spiritus ; adhuc enim sumus idolorum ædes, et receptaculum spirituum malitiæ. Vere enim, vere nondum integritate morum, mentisque simplicitatem ostendimus, neque splendorem possidemus. Nondum digni sumus facti lacte simplici, et rationali, atque incremento spiritali : nondum nobis dies appropinquavit, neque lucifer in cordibus nostris exortus est. Nondum commixti sumus cum Sole justitiæ, neque splendoribus ejus illustrati sumus. Nondum facti sumus purpura regia sine fuco : nondum divino amore vulnerati sumus, neque plagam accepimus spiritalis dilectionis erga Sponsum : nondum incorruptam communionem cognovimus, neque in sanctificatione virtutem, et pacem intelleximus : atque, ut breviter omnia comprehendam, nondum sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, quoniam sumus generatio viperarum.

IV. Quomodo enim non viperæ, super terram serpentes, et terrena sapientes, et in cœlo conversationem non habentes? Quomodo non genimina viperarum, qui in obedientia Christi non invenimur, sed in serpentis contumacia? Quo

pacto igitur digne hanc miseriam deplorem, non invenio. Quo pacto etiam exclamans lugeam ad eum, qui potens est eripere inditam deceptionem in me, ignoro. Quomodo cantabo canticum Domini in terra aliena? Quomodo lamentabor Jerusalem? Quomodo fugiam nefariam Pharaonis servitutem? Quomodo deseram turpem habitationem? Quomodo acerbam tyrannidem recusabo? Quomodo egrediar e terra Ægypti? Quomodo transibo mare Rubrum? Quomodo superabo desertum? Quomodo non peribo morsus a serpentibus? Quomodo vincam alienigenas? Quomodo exterminabo gentes? Quomodo recipiam in meis tabulis præcepta legis Dei? Quomodo videbo columnam veri luminis, et nubem ex sancto Spiritu? Quomodo fruar manna cibi æterni? Quomodo bibam aquam ex petra vivificante? Quomodo transibo Jordanem, et ingrediar in bonam terram fluentem lacte et melle? Quomodo videbo exercitus Principem, quem vidit Jesus Nave, et continuo adoravit? Nisi enim per ipsum gentes, quæ in me sunt, disperdam, minime intrabo, et requiescam in sanctuario Dei, minime particeps efficiar gloriæ Regis.

V. Igitur stude immaculatus filius Dei evadere, et ingredi in illam requiem, in quam præcursor pro nobis ingressus est Christus. Conare describi in cœlesti Ecclesia cum primogenitis, ubi inveniaris ad dexteram magnificentiæ Altissimi. Contende introire civitatem sanctam Jerusalem supernam, ubi est paradisus voluptatis. His enim admirandis et beatis rebus non aliter efficieris dignus, nisi effundas lacrymas sicut torrentes die ac nocte juxta Sanctum, qui dicit : « Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis » stratum meum rigabo [1]. » Non enim ignoras quod « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent [2]. » Ideo Propheta ait : « Lacrymas meas ne sileas [3]. » Et iterum dicit : « Po-

[1] Psal. VI, 7. — [2] Id. CXXV, 5. — [3] Id. XXXVIII, 13.

» suisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut in promissione tua [1]. » Et rursus : « Factæ sunt lacrymæ meæ » mihi panes die ac nocte [2], et potum meum cum fletu » miscebam [3]. » Lacryma enim ex multa tribulatione, assiduoque cordis incendio a visceribus effusa in cognitione veritatis, cibus est animæ exhibitus pane cœlesti, cujus præcipue particeps fuit beata Maria sedens secus pedes Christi, et, sicut ait Christus, lacrymans; dicit enim : « Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur » ab ea [4]. » O pretiosæ illæ margaritæ in effusione beatarum lacrymarum ! O recta illa, et obediens auditio ! O celeritas amoris spiritalis violenter ad divinum Sponsum properans ! O stimulus amoris animæ erga Deum Verbum ! O compendiaria communicatio sponsæ cum sponso ! Imitare hanc, fili, imitare, ad nihil aliud oculos intendens, nisi ad eum qui dixit : « Ignem veni mittere in terram, et volebam, si » jam accensus est [5]. » Est enim incendium spiritus inflammans cor.

VI. Quapropter materiæ expers divinus ignis cum illuminare animas, tum probare assuevit, sicut aurum sincerum in camino; nequitiam vero consumere, tanquam spinas, atque stipulas. Etenim Deus noster ignis consumens est, dans ultionem Evangelium suum. Hic ignis operatus est in Apostolis, quando igneis linguis audientibus loquebantur. Hic ignis per gloriam Paulum illustravit, sensu vero videndi obscuravit. Non enim capit carnis visus luminis illius potentiam. Hic ignis in rubo apparens Moysi : hic ignis in forma currus Eliam e terra sustulit. Hujus ignis efficaciam inquirens David dixit : « Proba me, Domine, et » tenta me : ure renes meos, et cor meum [6]. » Hic ignis cor Cleophæ, et eorum, qui cum eo erant, calefecit, cum

[1] Psal. LV, 9. — [2] Id. XLI, 4. — [3] Id. CI, 10. — [4] Luc. X, 43. — [5] Id. XII, 49. — [6] Psal. XXV, 2.

loqueretur ipse Salvator, postquam resurrexit ex mortuis. Unde et Angeli, et administratorii Spiritus ignis splendorem participant, juxta quod dictum est : « Qui facit Angelos » suos spiritus, et ministros suos ignem urentem [1]. » Ignis hic trabem, quæ est in oculo, comburens, puram mentem restituit, ut videndi vim, quæ secundum naturam est, corripiens, apta fiat ad intelligenda assidue Dei mirabilia, juxta dicentem : « Revela oculos meos, et considerabo mi» rabilia de lege tua [2]. » Ignis hic dæmonum est dispersio, omnis nequitiæ combustio, et peccati exterminium, resurrectionis vis, et immortalitatis operatio, animarum illuminatio, et rationalium potentiarum commendatio. Ignis hic precemur, ut etiam ad nos perveniat, ut semper in luce ambulantes minime offendamus, sed tanquam luminaria in mundo lucentia, verbumque vitæ continentia, sicut fons scaturiens, et quotquot accedunt, accipiunt.

VII. Qui vero non habemus thesaurorum proventus, cedamus intelligentia, ut loquantur. Qui enim audiunt in fide, utilitatem percipiunt, et ipsi manent [3].... Spiritualibus enim ex hoc tempore præparantur palatia, et ædes regiæ, et non manu factæ, ædificantur a sancto Spiritu, et vestes variæ, et gloriosa calceamenta. Cum igitur accedent ad Christum, cum gaudio ingenti ipsos excipient spiritus justorum, et tota cœlestis curia. Dicit enim ipsi Christus : « Euge, serve bone, et fidelis, quia omnino fidelis » es, supra multa te constituam : intra in gaudium Domini » tui [4]. » Multi enim fratrum gratiam accipientes, conspirant quotidie in augmentum, atque profectum, et mensuras magnas accipiunt. Sunt vero alii, qui a Deo donum accipiunt, atque hi, quamvis adsit gratia, ad vitia deflectunt, et multa mala, et quando in peccata labuntur, adhuc

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Id. CXVIII, 18. — [3] Deest aliquid. — [4] Matth. XXV, 21.

permanet gratia, vel subito abscedit. Ad quod respondemus : « Accidit ut, eo peccante, propter benignitatem permaneat, quousque in carne est : quando vero separata fuerit a corpore anima, tunc gratia discedat, et ad proprium locum eat, tradita anima scilicet malis spiritibus. » Duæ enim leges in homine sunt, altera quidem malitiæ, trahens ad propriam partem; altera vero lex gratiæ trahens ad cœlestia. Quatenus enim accedit ad tentationis loca, solidatur, fundaturque, atque immobilis, inconcussaque petra evadit. Ac mens hujusmodi persistens ad portam, neque hosti terga vertens, sed resistens in exitu a corpore, suscipitur ab Angelis officiosis in partem regni, et pergit in vitam æternam.

VIII. Sicut autem in rebus præsentibus, et quæ videntur, largiente rege munera servis suis, ii quidem accipiunt, conservant, atque insuper addunt vasa preliosa; sic sunt gloriosi, qui multiplicant gratias collatas. Revera enim qui illam dulcedinem, voluptatemque gustarunt, ii præsentem regem videntes indutum purpura, dignitate, ac thesauris, tanquam fœtorem reputant hæc, atque abominanda, ac vilia ipsis videntur, quoniam intrarunt in regias, cœlestesque domos Christi, et patefacti sunt his thesauri cœlestes, et alias divitias alius dignitatis hæreditate possederunt, facti filii lucis urbis cœlestis sæculi, quod finem non habet. Qui comparant igitur terrena cum divinis, tunc cognoscunt chaos in medio, ac differentiam. Quemadmodum si cui febri correpto atque in illius incremento afflicto afferat quis edulia varia, vel bellaria, aliumve cibum, ille turbatur, atque ægre fert, satiatus, atque expletus cum sit a febri, hanc pro cibo habens; sic etiam spirituales cœlestis dilectionis, divinique ignis exultationem habentes, quascumque eis afferas apparentes hujus mundi amplitudines, seu regnum, seu divitias, seu gloriam, turbantur, eo modo,

quo quis ægre fert transire per loca, ubi est ingens cadaverum fœtor. Rursus eodem modo, qui repleti sunt contraria potestate, et spiritu mundi correpti, hi cum sermo spiritalis loquitur de luce, de regno, de alio sæculo, ac de sapientia, divinaque virtute, atque divitiis, quodammodo ægritudinem, tædiumque patiuntur, cum eloquia Dei capere non possint. Revera sapientes ii sunt, ii fortes, ii bellatores, ii divites existunt, qui in supernis mentem habent suam, et voluptatibus sibi præsentibus, cupiditatibusque irascuntur, qui adversantur legi nequitiæ, atque obediunt, et delectantur lege Dei. Quid igitur est rhetor, aut philosophus? Capit eum cupiditas, et mœchatur : ira, et verberat : avaritia, et rapit. Sic mens agitatur a spiritibus, et ubi sapientia, quam putat se possidere?

IX. Regna sunt duo : regnum lucis, et regnum tenebrarum. Duo duces, Regis speculatores sunt : ubi enim amicitiam inis, et pacta facis, illius es socius. Scriptum est enim : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum[1]. » Ubicumque diligis, habes propriam utilitatem, et ubicumque affectionem, atque obedientiam præstas, illius es possessio, filius, et amicus. Si diligis, et delectaris malitiæ, et nequitiæ spiritibus, statim adjutores se tibi præbent, adhærentque. Facile enim socius fit malitiæ hominum, qui similiter omnibus lætatur. Si diligis, et simul delectaris bono, rursus illud astat, atque auxiliatur tibi. Verum hic cum magna dilectione, et amore, quoniam regnum est expers finis. Propterea quidquid est honorificum, rarum est : quodque recte perficitur, id gloriosum est, atque æternum. Quia vero sine labore capessere, ac consequi bona omnes cupiunt, sciant magnum cursum in medio, ac certamen esse positum, et paucos ex multis evadere. Qui igitur vicerunt, ierunt obviam regi pacifico, et mansueto,

[1] Rom. VIII, 28.

et beneficentia in homines lætanti. Qui enim tales sunt et hoc tempore hæredes fiunt terræ promissionis, euntque in portum quietis, et in civitatem sanctam, atque in requiem justorum. Sicut enim est cœlum hoc apparens, quod firmamentum vocatur; sic est supra aliud cœlum lucidum, ubi exercitus Angelorum, quamvis maxime hic Deus, hic Angeli. Videri autem non potest corporis oculis, et est tabernaculum non manu factum, in quo ministrant Angeli sancti. Hæc enim omnia divina sunt, et arcana, et splendida. Quoniam spiritualia sunt, et subsistentia, cum non sint sæculi hujus, sed alius mundi, ubi nox non est, aut bellum, aut gehenna, aut mali spiritus. Quoniam vero non movent universos, ut contingit perspicere interiori oculo, illæ res cœlestes, idcirco tanquam velamen quoddam positum est firmamentum sic, ne liceat ipsis facile universos videre, nisi puris corde, et mente sanctis, cives, et symmystas sanctorum. Et quoties sublatum fuerit illud, toties revelabuntur justis illa, quæ electos suscipiunt.

X. Complures vero optimæ partis existentes, atque a bono, et vivificante Spiritu afflati, putarunt propter inscitiam se ad perfectionem pervenisse, et negligentiores facti, postea aggressiones, atque insidias a malignis spiritibus passi sunt : ac sicut aliqui milites a se victos existimantes hostes, tandem arma projicientes negligenter se gerunt : latebris autem occultati inimici repente aggressi, alios occidunt, alios vero captivos ducunt. Ita quoque peccatum initio consilium tegens, sub perfectionis prætextu, deinde subito aggrediens, ipsos subjicit, eos alligans ad propria desideria, et cupiditates, haud dubie ut posthac in illos imperium sit habiturum. Omnes igitur homines sive justi, sive injusti, nisi per spiritalem legem, hoc est, nisi per Jesum Christum in omni humilitate se ipsos in servitutem redegerint, non possunt a malis liberari, et imperium dia-

boli effugere. Dicit enim Paulus in Scripturis mortis ruinam : « Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore » mortis hujus ? Gratias ago Deo per Dominum Jesum » Christum [1]. » Et iterum : « Lex spiritus vitæ liberavit me » a peccato [2]. » Ei vero, qui liberavit nos ab omni peccato, gloriam reddamus Domino nostro Jesu Christo, quoniam ipsius est gloria, et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO.

Institutio ad monachos.

I. Universarum rerum Dominus, atque humanissimus Deus bonas occasiones hominum generi semper offert ad futurorum cognitionem; volensque profectum ad meliora unumquemque capessere, bonitatis nutibus admonet, hominem factum ad imaginem suam ad bonum trahens. Cum enim anima secundum naturam propensionem ad bonum habeat, studeatque meliora concupiscere, pars sinistra malitiæ, callida fraude simplicioribus animis inanem boni imaginem semper objicit ad ea, quæ vere bona sunt, obtenebranda. Idcirco inexplicabilis bonitas gratiæ Dei, veritatis cognitionem per Scripturas divinitus inspiratas nos docet, juxta dicentem : « Bonitatem, disciplinam, et » scientiam doce me [3], » ut sic ignorantiam, omnium malorum causam, repellere possimus, atque in nobis existentem carnis prudentiam, quæ dolose scientiæ promissione roboratur, ac rationis expers est, luce veræ cognitionis recti abigere possimus, edocti salutis causam esse scientiam

[1] Rom. VII, 24, 25. — [2] Id. VIII, 2. — [3] Psal. CXVIII, 66.

veritatis. Quoniam igitur et vos, fratres desiderabilissimi, et dilectissimi, sæpe sæpius sermonem haberi a nobis postulastis, quem modum tenere debeat ille, qui carnis voluptatibus, et sæculi hujus conversationi renuntiavit, eosque, qui secundum formam apostolicam in Actibus, sacrum institutum, atque decretum ordinem fraternitatis, convenientes, invicem pie convivere semper elegerunt : quo pacto etiam mutuo versari oporteat : et qualem morum compositionem habere opus sit : quis vero scopus viæ summæ virtutis, et quæ voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta : qualis etiam cursus, et contentio illorum, qui ad perfectionem desiderant pervenire, et ad mensuram spiritualis ætatis occurrere festinant; et ne longe sermonem protrahamus, hæc, et his consentanea postulastis a nobis per scriptum vobis efformari ad continuam memoriam meditationis, quæ animæ opituletur : persuasi scilicet de pio dogmate orthodoxæ fidei, unam esse Divinitatem adorabilis, ac beatæ Trinitatis, unam substantiam, unam voluntatem, unam gloriam, unam adorationem offerre tribus Personis unius Deitatis, quemadmodum etiam in sancto baptismatis sacramento pie pulchram confessionem coram multis testibus emisimus. Propterea et nos multam vestri ad bonum propensionem considerantes, et desiderium consummatæ virtutis videntes, brevibus commentariis instituere non recusavimus, ex ipsis Scripturis divinitus revelatis occasiones argumentorum mutuantes, simulque ipsa Scripturæ testimonia ad plenam indubitatæ fidei confirmationem apposuimus; ne quis existimet nos de nostro aliquid proferre, et ne tanquam immodica, et vana nos cogitare suspicetur.

II. Sic igitur præfatus omnibus, qui se ipsos Deo consecrarunt, et sua corpora hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium exhibere student, finis pietatis propositus est ad credendum secundum sacras

Evangeliorum, et reliquarum Scripturarum sanctarum promissiones, qui crescunt in omne opus bonum, et in omne virtutis studium; persuasos firmiter esse oportet, per Christi gratiam divinamque potentiam omnino redemptionem, purgationemque fœdarum in nobis fieri posse passionum, quæ operantur tum in anima, tum in corpore : quod quæ apud nos impossibilia, apud promittentem Deum possibilia existunt. Peccati enim affectiones posterius additæ sunt animæ, et corpori propter protoplasti hominis transgressionem; et spiritus adoptione perfecte, atque integre in sanctificationem animæ, et corporis in plena certitudine fidei, oportet dignos fieri, secundum eum, qui dicit : « Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone » tantum, sed in virtute Spiritus sancti, et in plenitudine » multa, sicut scitis [1]. » Et rursus : « Integer spiritus vester, » et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri » Jesu Christi servetur [2]. » Ipsum pignus gratiæ inexplicabilis beneficii per sanctum appellationis beatissimæ baptismum qui credidimus, accepimus ad incrementum perfectæ hæreditatis, et ad multiplicationem talenti, nos quibus magnum atque immaculatum sacramentum creditum fuit. Divinus enim, et Paraclitus Spiritus datus Apostolis, et per ipsos soli, et veræ Ecclesiæ Dei distributus, a tempore baptismatis secundum proportionem fidei multifariam multisque modis inest unicuique, qui ex fide sincera ad baptismum accedit. Ad multiplicationem quidem, et negotiationem, et incrementum unusquisque mnam accipit, ut in Evangelio dictum est.

III. Sicut genitus in hoc sæculo infans non manet semper in puerili ætate, sed quotidie incrementum accipit, sequaci quadam necessitate secundum inenarrabiles naturæ leges, quoad in virum perfectum, atque ad plenitudinem

[1] 1 Thess. 1, 5. — [2] Id. v, 23.

cogitationum, intelligentiæque perveniat. Eodem modo genitus divinitus ex aqua, et spiritu, non in puerilem intelligendi ætatem assurgere debet, verum in dies certamine, labore, ac multa patientia usus, per luctam contra spiritualem adversarium proficere, atque augeri ad ætatem, quæ intelligendi habeat plenitudinem, secundum quod ab Apostolo dictum est : « Donec occurramus omnes in uni- » tatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, » in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus » parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctri- » næ in nequitia ad circumventionem erroris. Veritatem » autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, » qui est Christus[1]. » Et rursus alibi idem dicit : « Nolite » conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sen- » sus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et bene- » placens, et perfecta[2] : » dicens ad voluntatem Dei perfectam accedere, qui in mensuram perfectam ætatis, et intelligendi perfectionem spiritus perveniunt. Verum in corporis generatione ob necessitatem quamdam consequentem, legemque naturæ, virilem ætatem natus puer assequitur, sic decernente Dei providentia, ob necessitatis terminum, non per electionem voluntatis, compleri corporis staturam. At in divina generatione spiritus non hunc definivit tenorem, verum laborem, et contentionem, cursumque cum patientia multa liberæ electioni hominis proposuit, sicut a Domino dictum est. « Contendite intrare » per angustam portam[3]. » Et rursus : « Vim facite; violenti » enim rapiunt regnum cœlorum[4]. » Et : « Qui persevera- » verit usque in finem, hic salvus erit[5]. » Et : « In patientia » vestra possidebitis animas vestras[6]. » Et Apostolus : « Per » patientiam currimus propositum nobis certamen[7] : » et « Sic,

[1] Ephes. IV, 13-15. — [2] Rom. XII, 2. — [3] Luc. XIII, 24. — [4] Matth. XI, 12. — [5] Id. X, 22. — [6] Luc. XXI, 19. — [7] Hebr. XII, 1.

»inquit, currite, ut comprehendatis[1]. » Et rursus : « Sicut » Dei ministri in patientia multa[2], » et reliqua. Sic enim disposuit divina gratia, ut ex proprio consilio, et propria voluntate, labore, et contentione spiritale incrementum unusquisque percipiat, quatenus per corporis animæque contentionem ad omnem bonorum comprobationem se ipsum tradiderit; eatenus et sancti Spiritus participationem ad spiritale incrementum renovationis sensus acquirat, per gratiam, et largitatem salutem consecutus; fide vero, et dilectione, et certamine liberæ electionis profectum, et mensuram adeptus, ut sicut per gratiam, sic per justitiam vitæ æternæ futurus sit hæres; neque omnino per divinam virtutem, et gratiam sine ipsius hominis cooperatione, ac diligentia incrementum profectus accipiens, neque prorsus per proprias vires, virtutemque, sine opere, atque auxilio Spiritus ad perfectam Dei voluntatem, et ad puritatis mensuram potens aspirare. « Nisi enim Dominus ædificaverit » domum, et custodierit civitatem, in vanum vigilat qui cus» todit, et laborat, qui ædificat[3]. » Et rursus : « Nec enim in » gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non » salvavit eos[5]. » Etsi gladiis, et brachiis ipsi bellarent, dextera tamen tua, tuumque brachium, atque illuminatio vultus tui, Dei potentiam simul operantem cum ipsorum proprio conatu demonstrat, simul et opinionem præcidens eorum, qui confidunt in se ipsis propter paucas virtutes. At Propheta fide, et dilectione, per divinam gratiam sperantes salutem consequi docuit.

IV. Quæ est igitur voluntas Dei perfecta, ad quam hortatur, et invitat Apostolus, ut quisque pervenire festinet? Annon de quibus Dominus dicebat, beatos asserens ipsos : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt[5]; »

[1] I Cor. IX, 24. — [2] 2 Cor. VI, 4. — [3] Psal. CXXVI, 1. — [4] Id, XLIII, 4. — [5] Matth. V, 8.

Et rursus mandat : « Estote igitur vos perfecti, sicut Pater » vester cœlestis perfectus est[1]. » Omnimodam peccati purgationem per hæc imperat, quod est perfecta a passionibus indecoris liberatio ; atque absoluta summæ virtutis reparatio, quod est purificatio, ac sanctificatio cordis per participationem perfecti, et divini Spiritus ex certa fide effecta animæ, quæ tradit se ipsam totam omnino Deo cum fide, atque amore? Sicut etiam per David perfectum veritatis laborem demonstrans Spiritus, docensque hoc a Deo quærere, et credere desiderantes filios lucis renuntiari, et vitæ hæredes fieri, ait : « Fiat cor meum immaculatum in justi» ficationibus tuis, ut non confundar[2]. » Significans confusionem, et ignominiam ferre eos, qui non habent cor purum ab omni sorde, atque macula ; iterum enim ait : « Tunc non » confundar, cum respexero in omnibus mandatis tuis[3] ; » omnium præceptorum adimpletionem, omniumque delictorum recessum spiritus perfectam in Deo confidentiam esse docuit. Et iterum « Cor mundum, orans Propheta » dicebat, crea in me Deus, et spiritum rectum innova in » visceribus meis. Et spiritu, inquit, principali confirma » me[4], » eumdem scopum in mentem revocans. Cum interrogasset autem rursus : « Quis ascendet in montem Domini, » aut quis stabit in loco sancto ejus[5]? » Addidit qui sint, et unde tales : « Innocens manibus, et mundo corde[6], » ait. Peccatum opere, verbo, et cogitatione commissum a nobis per propriam operationem penitus rescindere spiritum indicavit, et conari orantes, ac per fidem sperantes quotidie pervenire ad perfectam spiritus munditiem.

V. Etenim Apostolus luculenter docens, aiebat quales animæ esse debeant, quæ a nuptiis carnis, et a mundi vinculis procul recedunt, ac virginitatem servare desiderant.

[1] Matth. v, 48. — [2] Psal cxviii, 80. — [3] Ibid. 6. — [4] Id. l, 12 et 14. — [5] Id. xxiii, 3. — [6] Ibid. 4.

« Virgo cogitat, ut sit sancta, non solum corpore, » dixit, « Sed etiam spiritu[1] : » admonens ab operum, et cogitationum, hoc est, manifestis, et abditis criminibus ut ipsa procul sit, utpote sponsa Christi, quæ cupit cum cœlesti, puro, et immaculato Rege conjungi. Assimilari enim oportet per virtutes illi pulchritudini impollutæ animam, quæ cum illo copulari desiderat, atque unum spiritum cum ipso fieri exoptat, secundum dictum a beato Joanne : « Et omnis, » inquit, qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut ille » sanctus est[2]. » Et « Imitatores mei estote, sicut et ego » Christi[3]. » Non solum enim a manifestis peccatis scortationis, aut furti, aut invidiæ, aut gulæ, aut murmurationis, aut mendacii, aut otiosi sermonis, aut convicii, aut risus, aut scurrilitatis, aut avaritiæ, aut plus habendi cupiditatis pura anima esse debet, quæ mundi communionem repudiavit, a mundo vero recessit, et virginitatem colit, ad conjunctionem autem, et societatem Sponsi incorruptibilis se ipsam despondet; sed multo magis ab immanibus animæ affectionibus, occultisque criminibus puram esse necesse est. Hoc est a cupiditate, vana gloria, placendi studio, hypocrisi, dominandi ambitione, dolo, malignitate, odio, infidelitate, invidia, elatione, æmulatione, sibi placendi cupidine, sui amore, superbia, atque his similibus, quæ invisibiles sunt passiones ignominiosæ. Scit enim Scriptura occulta animæ peccata (si quidem credimus verbis Spiritus) similia putari peccatis operum; ejusdem radicis sunt germen. « Dominus, enim dicit, dissipavit ossa eorum, » qui hominibus placent[4]. » Et : « Virum sanguinum, et do- » losum abominabitur Dominus[5]. » Dolum, et cædem tanquam unam transgressionem enumerans. « Qui loquuntur » pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum :

[1] I Cor. VII, 34. — [2] I Joan. III, 3. — [3] I Cor. XI, 1. — [4] Psal. LII, 6. — [5] Id. V, 7.

» da illis, Domine, secundum opera eorum [1]. » Et iterum : « Etenim in corde iniquitates operamini in terra [2]. » Et Dominus querens de iis, qui hominibus placent : « Omnia, » inquit, faciunt, ut videantur ab hominibus [3]. » Ideoque admonet : « Attendite ne justitiam vestram faciatis coram » hominibus, alioquin mercedem non habebitis apud Pa- » trem vestrum, qui in cœlis est [4]. » Hoc est, non quærere, neque aucupari ab hominibus laudem, et gloriam ob bona opera, sed a solo Deo, ubi gloria vera, et æterna, et ubi æterna ignominia. Hoc est et illud : « Væ cum benedixerint » vobis homines [5], » id est, cum vultis apud homines bene audire, et gloria, et encomiis gaudere, quæ ab ipsis proficiscuntur. Quoniam quo pacto fieri posset, ne manifesti fierent omnibus, qui bene operantur? Quando ipse Dominus aiebat : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut vi- » deant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, » qui in cœlis est [6]. »

VI. Ad Dei gloriam contendite omne opus bonum facere, et non in gloriam propriam : neque quæratis, aut gaudeatis laudibus hominum, qui brevi tempore manent, sed laudem, gloriamque a solo Deo expectate, quemadmodum ait et beatus David : « A te laus mea [7]. » Et iterum : « In Domino laudabitur anima mea [8]. » Et Apostolus mandat etiam manducare, et bibere ad gloriam Dei, ut fiat. « Sive enim, inquit, manducatis sive bibitis, sive aliud » quid facitis, omnia in gloriam Dei facite [9]. » Qui enim ab hominibus laudem, et gloriam aucupantur, eos infideles esse Dominus ostendit, dicendo : « Quomodo vos potestis » credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ » a solo Deo est, non quæritis [10]? » Rursus Joannes odium

[1] Psal. XXVII, 3, 4. — [2] Id. LVII, 3. — [3] Matth. VI, 5. — [4] Ibid. 1. — [5] Luc. VI, 26. — [6] Matth. V, 16. — [7] Psal. XXI, 26. — [8] Id. XXXIII, 3. — [9] 1 Cor. X, 31. — [10] Joan. V, 44.

cum cæde connumerans, ait : « Qui odit fratrem suum, » homicida est, et scitis quoniam omnis homicida non ha- » bet vitam æternam[1]. » Odium absconditum contra fratrem conceptum, occisioni comparat. Sed et apostolus Paulus ipsorum, qui in passiones ignominiæ traditi sunt propter insipiens cor eorum, et minime obediens, publicans, atque enumerans eorum operationes perditionis in pejus, abdita, et aperta peccata simul conjungit, dicens: « Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tra- » didit illos in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non » conveniunt repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, » avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, » dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, » contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, » parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine » affectione, sine misericordia : qui cum justitiam Dei » cognovissent, quoniam qui talia agunt digni sunt morte[2]. » Vides quomodo non solum manifesta crimina commemoravit, quæ apud homines sunt abominabilia, verumetiam cum manifestis occultas affectiones animæ connumeravit, dolum, superbiam contentionem, malignitatem, elationem, odium, insipientiam? Et rursus Dominus dicit : « Quod » hominibus altum est, abominatio est ante Deum[3]. » Et « Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabi- » tur[4]. » Et Sapientia ait : « Impurus apud Dominum omnis » superbus corde[5], » et similia colligentes ex Scripturis complura invenies dicta contra passiones ignominiæ celatas in anima. Occultas enim passiones peccati sciens Spiritus sanctus, violentiores animæ esse, docens nos quomodo fieri potest, ut ab iis liberemus, per David ait : « Ab oc-

[1] I Joan. III, 15. — [2] Rom. I, 28-32. — [3] Luc. XVI, 15. — [4] Id. XIV, 11, et XVIII, 14, et Matth. XXIII, 12. — [5] Eccli. X, 7.

» cultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo[1]. » Ut per multam orationem, et fidem, et perfectam, bonamque alacritatem erga Deum ab occultis passionibus ignominiæ per Spiritus virtutem eripi possimus. Sicut enim exteriorem hominem, quod corpus est, a manifestis criminibus custodire curamus, tanquam Dei templum, quemadmodum dixit Apostolus : « Si quis templum Dei violave» rit, de corpore loquens, disperdet illum Deus[2]; » sic interiorem hominem, quod est anima, curare oportet, atque certare ab omni cogitatione mala ut tutemur, secundum quod dictum est : « Omni custodia serva cor tuum, quia ex » ipso vita procedit[3]. »

VII. Hoc vero bene exequi nostrum erit, repugnantibus nobis, ac contradicentibus semper malis cogitationibus vanæ gloriæ, odii, superbiæ, et doli, cupiditatis, et infidelitatis, æmulationis, ambitionis, omni diligentia nos ipsos examinantibus, mentemque solutam, ac dissonantem ab occultis omnibus animæ passionibus servantibus, atque cunctis bonis operibus nos tradentibus vi, labore, ac conatu ad arcendum a nobis adversarium. Simplicem enim rectitudinem obscure significans beatus Moyses ostendit hoc mentis conceptu non debere duabus sententiis boni, et mali obsequii animum, sed solum bono, et non debere duos fructus noxii, et utilis in nobis colere, sed unice utilia operando omnino a deteriore alienari. Ait vero per ænigma : « Non junges in area tua diversi generis animalia in unum, veluti bovem, et asinum[4], sed generis ejusdem jungens triturabis messem tuam. » Hoc est, « Ne in area cordis tui virtus, et pravitas in unum operationem exerceat, sed virtus solum. Non contexes laneo vestimento linum, neque rursus lino lanam[5]. Non coles in agro terræ

[1] Psal. XVIII, 13, 14.— [2] I Cor. III, 17.— [3] Prov. IV, 23.— [4] Deut. XXII, 10. — [5] Ibid. 11.

tuæ duos fructus simul, neque secundum anni [1]. Non immittes diversi generis animal ad aliud ad generationem, sed speciei ejusdem ad genus idem [2]. » Per hæc vero omnia innuit obscure non debere malitiam, et bonitatem in nobis coli, sed simpliciter sacra germina virtutis ex nobis produci. Et eo, quod minime debeat duobus spiritibus, spiritui mundi, ac spiritui Dei, anima consociari, neque conjungi, sed solum cum Dei Spiritu copulatam, conglutinatamque sacra virtutis germina animam effundere jussit : neque duobus modis in id quod pejus, et melius est conspirare voluntatem, sed solo bono utentes, atque a malo abhorrentes omnino simplicem virtutum fructum ut in anima excoleremus mandavit, secundum quod dictum est : « Propterea ad omnia mandata tua dirigebar ; omnem » viam iniquam odio habui. » Et « Iniquitatem odio habui, » et abominatus sum [3] », ut ita contentionem animæ videns Dominus per suam bonitatem, magnam sanitatem, occultarum passionum propria virtute spiritus in nobis perfecte operetur, ultionem spiritalium inimicorum faciens : quemadmodum Dominus de vidua disserens, quæ ab adversario oppressa principem iniquitatis adivit, atque ab eo petivit vindictam, ac propter diutinam improbitatem instantiæ ultionem obtinuit : erudiens nos ne deficiamus in precibus : « Dicebat, enim ait, et parabolam ad illos, » quoniam oportet semper orare, et non deficere [4], » mandat orationem cum assiduitate multa. Et addit post hæc Dominus : « Audite quid judex iniquitatis dicit [5]. » Quanto magis faciet vindictam Pater vester cœlestis clamantium ad se die, ac nocte ? Profecto, dico vobis, faciet vindictam cito.

VIII. Qualem vero laborem subierit pro suis discipulis

[1] Deut. XXII, 9. — [2] Levit. XIX, 19. — [3] Psal. CXVIII, 128 et 163. — [4] Luc. XVIII, 1. — [5] Ibid. 6.

Apostolus, et ad quam mensuram spiritalem ipsos pervenire curaverit, cum affectu pro ipsis orans, simulque sublimem Christianorum scopum manifestum cunctis efficiens iis, qui cupiunt currere indefesse, atque ex amore veritatis secundum apostolicum novæ creaturæ canonem, studentque ad ea, quæ ante sunt, proficere, clarum faciens, quid ait? « Corripientes omnem hominem, dicit, et docentes » in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem per» fectum in Christo, in quo laboro certando [1]. » Et iterum apprecatur iis, qui dignati sunt signaculo Spiritus promissionis per baptismum, ut accipiant incrementum progressus sui spiritalis dicens : « Propterea et ego audiens fidem » vestram, et dilectionem, quam habetis in omnes sanctos, » non cesso pro vobis gratias agens, et orans, ut Deus Do» mini nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum » sapientiæ, et revelationis in agnitione ejus illuminatos » oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis » ejus, et quæ divitiæ gloriæ ejus in sanctis, et quæ sit su» pereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui cre» dimus [2]. » Modum autem participationis, atque acceptionis Spiritus diligenter significavit iis, qui certi facti sunt « Secundum operationem, inquit, potentiæ ejus in nos, » qui credimus, quam operatus est in Christo, suscitans » illum a mortuis [3]. » Secundum illam, ait, operationem Spiritus, ut et vos certitudinem accipiatis. Et rursus in eadem Epistola paulum procedens, ad sublimius augmentum, et profectum spiritalem perfectionis ipsos ire desiderans, precatur dicens : « Hujus gratia flecto genua ad Pa» trem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas » in cœlis, et in terra nominatur, ut det vobis secundum » divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus » interiorem hominem Christum habitare per fidem in cor-

[1] Coloss. 1, 28, 29. — [2] Ephes. 1, 15-19. — [3] Ibid. 20.

» dibus vestris in charitate radicati, et fundati, ut possitis » comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et » longitudo, et sublimitas, et profundum : scire enim su- » pereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini » in omnem plenitudinem Dei [1]. »

IX. Et in alia Epistola de iisdem erudiens, et excessum spiritualium divitiarum demonstrans discipulis exhortando, ut ipsi festinarent ad perfectam mensuram pervenire, dicebat : « Æmulamini spiritualia charismata, et adhuc ex- » cellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum » loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, » factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si » habuero prophetiam, et novero mysteria, et si habuero » omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut » montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil » sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facul- » tates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, » charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest [2]. » Et addit fructus dilectionis quales sunt, et quomodo, qui illam possident, nequitiæ passionibus omnino liberati sint, dicens : « Charitas non æmulatur, non agit perperam, non » inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non » cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet » autem veritati : omnia suffert, omnia sustinet, omnia » credit. Charitas nunquam excidit [3]. » Hoc autem significat eos, qui in prædictis donis Spiritus sunt, et nondum per pleniorem charitatem efficacem Spiritus liberationem receperunt, in periculo adhuc, et certamine, et timore versari, causa colluctationis contra adversa nequitiæ, quamvis spiritalium donorum possessores sint. Qualem, et quantam mensuram spiritalem habeant, qui non amplius sunt sub casibus, et passionibus demonstravit iis, qui pro-

[1] Ephes. III, 14-19. — [2] 1 Cor. XII, 31, et XIII, 1-3. — [3] Ibid. 4-8.

gredi volunt in via christianæ professionis : adeo ut et linguæ Angelorum, et prophetiæ, et fides, et universa scientia. et gratia curationum nihil sint, si cum summa virtute, et cum plenitudine charitatis perfectæ comparentur, quanquam illa quoque ejusdem Spiritus operationes sint; sed ne quis illis donis dignatus, putet propter non satis plenam gratiæ efficaciam se ad perfectionem pervenisse, utpote qui existimet se nulla re indigere; remaneatque exclusus a perfectæ charitatis mensura, minoribus donis solum contentus.

X. Per hunc perfectionis scopum admonet, ut unusquisque se tantarum divitiarum dilectionis indigentem cognoscens irrequiete, atque enixe certet bonum certamen, et ita spiritalem cursum currat, donec comprehendat; sicut dixi : « Sic currite, ut comprehendatis [1]. » Ecce quomodo pietatis, ac perfectionis terminum, et scopum, et regulam per multa manifeste omnibus proponit, apprecans propriis discipulis ad idem omnes pervenire. Iterum namque in alio loco ipse ostendens, quæ in Christo fit, renovationem, mutationemque meliorem fidelibus, et deligentibus Dominum : « Neque circumcisio, inquit, aliquid valet, neque » præputium, sed nova creatura : et quicumque hanc re» gulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et » super Israël Dei [2]. » Et rursus : « Si qua in Christo nova » creatura, vetera transierunt [3]. » Unico verbo novæ creaturæ apostolicam regulam in manifesto posuit. Nova vero creatura quid significat aliud, quam secundum quod alibi ipse dicit : « Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non » habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujus» modi, sed ut sit sancta, et immaculata [4], » per omnimodam puritatem a fœditate, quæ est a passionibus liberatio,

[1] 1 Cor. IX, 24. — [2] Galat. VI, 15, 16. — [3] 2 Cor. V, 17. — [4] Ephes. V, 27.

et per communicationem in cordibus Sanctorum factam inexplicabilem mysticamque in sanctificatione plenam divinæ Spiritus potentiæ eorum, qui dignati sunt gaudio novissimo supra naturam spiritali in virtutibus. Hanc esse nova creaturam in Christo Apostolus docuit. Verum et illud : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consper» sio [1]. » Et illud : « Epulemur non in fermento veteri, sed » in azymis sinceritatis, et veritatis [2], » eumdem scopum repræsentat. Sed eo quod non sumus sufficientes contra principatus et potestates, et ad pugnam contra spiritualia nequitiæ, ut accipiamus armaturam Dei nos hortatur : « Loricam justitiæ induite, calceamini pedes in præpara» tione Evangelii pacis, et succingite lumbos in veritate [3]: » in omnibus vero his scutum fidei sumentes, « Per quam, » inquit, possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere [4]. » Quæ sunt operationes passionum scelestarum : « Et galeam » salutis assumite, et sanctum gladium Spiritus, quod est » verbum Dei : » ut per arma prædicta spiritualia supra humanam naturam possimus stare contra difficiles diaboli insidias. Modum vero, quo hæc consequi possimus, diligentissime significavit, dicens : « Per omnem orationem, » et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in » ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione [5]. » Ideo et apprecatur omnibus dicens : « Gratia Domini Jesu » Christi, et charitas Dei, et Patris, et communicatio » sancti Spiritus cum omnibus vobis sit [6]. » Et rursus : « Integer spiritus, anima, et corpus sine querela in adventu » Domini nostri Jesu Christi servetur [7]. » Ecce multis modis manifestam reddidit rectam justitiæ viam, et summum christianæ professionis scopum, omnes adhortans, ac desiderans, ut ad ipsum perveniant, ad quem veritatis aman-

[1] 1 Cor. v, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ephes. vi, 14, 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 18. — [6] 2 Cor. xiii, 13. — [7] 1 Thess. v, 23.

tes inspicientes, et prorsus viribus totis contendentes fide, et spe, atque omni virtutis industria orant, et cupiunt ad eumdem pervenire. Hi enim poterunt et magna præcepta, ex quibus lex pendet, et Prophetæ: « Diliges Dominum » Deum tuum ex tota anima tua, et ex toto corde tuo, et » proximum tuum sicut te ipsum [1] : » ab omni improbitate soluti pure, et perfecte, atque inculpate ea implere.

XI. Quod si visi sumus longius protrahere explicationem de scopo pietatis qualem nobis Dominus, et Apostoli, et omnes Scripturæ a Deo inspiratæ tradunt, multis testimoniis confirmantes, non temere fecisse putamus, ut omnibus modis sine ulla dubitatione, et controversia certiores fiamus, quæ sit nostræ spes fidei, et quis finis, et qualis nobis cursus proponatur; maxime qui monasticam vitam amplexi, et mundanis vinculis, ac e societate carnali se ipsos sublevantes, virgines permanere in Domino dicuntur, ut attendat quisque, et unaquæque quo vocati sunt, et ad quam mensuram pertingere debeant. Ab omni quidem animi elatione propter quædam opera bene gesta abstinebunt, vere nihil esse se ipsos existimantes propter magnitudinem perfectæ mensuræ vocationis, atque investigabilium divitiarum charitatis Christi. Omni vero modo, et omni conatu, omnique studio se ipsos ad bonum semper prompte tradentes, et secundum verbum Domini, cum omnibus sæculi hujus. Præterea et animam suam abnegantes, crucem quotidie suscipientes cum exultatione, ipsamque sequentes, ipsum habentes Dominum pro exemplo, et forma, et fine nobis proposito juxta dictum : « Imitatores » mei estote, sicut et ego Christi [2] . » Et rursus : « Per patien- » tiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes » in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui propo- » sito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta,

[1] Matth. xxii, 37. — [2] 1 Cor. xi, 1.

» atque in dextera sedis Dei sedet [1]. » Ne forte contenti, fidentesque quibusdam Spiritus donis, aut paucis bonis operibus, quasi jam ad perfectum pervenerimus, per malitiæ fraudem, opinione justitiæ decipiamur, et a majoribus spiritus progressionibus desistamus : verum ut veritatis amantes usque ad finem, laborem, et tribulationem, et certamen, et irrequietem cursum peragamus, quotidie « Ad ea » quæ sunt priora extenti semper; quæ vero retro sunt [2] » obliviscentes, esurientes semper, sitientusque justitiam, contritum cor gerentes, utpote qui nondum vocationem, ad quam vocati sumus, asseculi, neque adepti perfectam christianæ professionis mensuram, neque etiamnum absoluta Christi charitate potiti. Qui enim ex animo potiri cupiunt proposito, ac præmonstrato sublimissimo fine, semper desiderio ob illam vocationem inexplicabilis perfectionis feruntur, in nullo ex minoribus bono, justitiæ, jejuniorum, vel vigiliarum, vel eleemosynarum, aut participationis donorum Spiritus contenti, aut acquiescentes usque ad extremum spiritum; sed in omnibus bonis, ac rebus bene gestis, omnibusque virtutibus integre se ipsos dedentes, atque ita indigentes perseverantes propter virtutem, legem sapientiæ nunquam implere putant; sed licet sint apud Deum in honore, se ipsos indignos existimant; ac in spiritali profectu provecti, in sua cogitatione tirones existunt; et cum primores sint, se ipsos spernunt, judicantque nihil esse : atqus hoc pacto quemadmodum crediderunt, ac quatenus dilexerunt, retributionem promissionum regni recipient. Animæ ejusmodi, quæ Deo placuerunt, hæredes regni fieri poterunt, quæ contritum cor habentes, et pauperes spiritu, esurientes, sitientesque justitiam, perfectorum honorum cupidæ propter summum suum erga Deum amorem summis muneribus retribuentur.

[1] Hebr. XII, 1, 2. — [2] Philip. III, 13.

XII. Ac de spe quidem finis, quem habere debent maxime qui monachorum institutum elegerunt, virginitatemque amplexi sunt, satis dictum est. De conventu vero, ac de sacro instituto monasteriorum fraternitatis, quomodo convivere debeant, atque invicem se gerere, per quales vero labores, et sudores, et studia propositum pietatis finem obtinere possint veritatis amatores, explicare necesse est, ut qui prompte capessunt iter diligentes, et firmi viam, quæ ad cœlestem civitatem ducit, in ea progredientes ita currant, quoad perveniant. Primum omnium qui ad pietatis terminum currit, ac vestigiis Domini insistere desiderat, recedens a conversatione, atque mundi voluptatibus, seque fraternitati dedititium tribuit, abnegans, secundum Evangelium, patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, consanguineos, divitias, gloriam, nobilitatem, et in monasterium ascitus, ut complementum omnium bonorum hoc addat, « Adhuc autem et animam suam [1]. » Quæ autem est abnegatio animæ suæ? Dedititium se ipsum integre fraternitati dare, et propria desideria non perficere omnino; verum ex verbo Dei suspendentem se, inde sanctis, ac puris cogitationibus mandatorum dominicorum ornare animum, atque hæc salutaria, propriaque ducere; non habere autem aliquid in propria potestate præter vestem, quam induit, omni ex parte sine sollicitudine esse queat, sibi imperata solum exequens cum gaudio semper, et tanquam emptus pretioso sanguine Christi, ac velut servus gratus, omnes fratres, maxime vero præsidentes, per omnia ut dominos, et heros existimet : quemadmodum ipse Dominus dixit : « Qui voluerit inter vos primus esse, et » magnus, sit omnium ultimus, et omnium minister, et omnium servus [2]; » non gloriam, et honorem, aut laudem, quantum in se est famulatus, aut ministerii apud fratres aucu-

[1] Luc. xiv, 26. — [2] Matth. xx, 27.

pans, sicut dictum est : « Cum bona voluntate servientes, » non ad oculum, quasi hominibus placentes, sed ut servi » Christi [1]. » Et qui se Domino dedidit, per arctam viam, atque angustam gradiatur ; et ut regni amator, leve, ac suave jugum Domini prompte, et cum gaudio subeat, utpote quod magnam salutem sibi conciliet, si cum longanimitate, ac patientia usque ad finem permaneat in pulchra hac, atque utili servitute. Omnes vero dominos tanquam Christi familiares, et regni hæredes cogitet, omnemque obedientiam unicuique, maxime vero præsidi fratrum ; et onera curarum monasterii pro fide promissa explens, semper debitorem se ipsum existimans ministerii cum dilectione, et simplicitate erga fratres : juxta quod dictum est : « Per charitatem servite invicem [2] ; » et rursus, « Nemini » quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis [3]. »

XIII. Sed et vos perfectioris vitæ sectatores, præsidentes fraternitati, tanquam magnum opus aggressi, sic certate per animi demissionem, contra nequitiæ callidas insidias, ne typho superbiæ potestatem habentes super fratres, et contra eos elati, pro maximo lucro damnum, perniciemque maximam animæ concilietis ; verum ut misericordes patres, qui tradidistis vos ipsos, ut serviretis propter Christum fraternitati potius quam ut dominaremini, quique omnium rerum pro ipsis sollicitudinem habetis externam, atque internam, ac singulorum utilitatem animæ curatis, tanquam filiorum Dei curam gerite. Ut hoc modo totum sacrum cœtum fraternitatis ad spirituale lucrum conservantes, ac confoventes, cœlestem mercedem a Christo recipiatis. Et exterius quidem gradum præsidis servate, veluti disponere, vel jubere, vel consilium dare probatioribus fratrum, aut aliquid increpare, vel reprehendere, ubi oportet, vel hortari, quando opus est, secundum Apos-

[1] Ephes. vi, 6. — [2] Galat. v, 13. — [3] Rom. xiii, 8.

toli mandatum, ne humilitatis prætextu, vel mansuetudinis, ob ignorantiam in confusione sint monasteria, præsidentibus, atque ætate provectioribus debitum ordinem non conservantibus; quo vero ad internum, in mente, ut omnium fratrum servos indignos, vos ipsos ducite, et tanquam boni pædagogi, quibus Domini filii crediti sunt, cum omni benignitate, et timore Dei unumquemque fratrum aptare ad omne bonum curate, tanquam scientes mercedem magnam, et quæ auferri non potest, pro tali labore apud Deum nobis esse repositam. Ac sicut qui pueros instituunt, sæpe proprios dominos, erudiendi causa, vel ad componendos mores, minime parcentes, etiam flagellis erudiunt, multam sollicitudinem, ac benevolentiam adhibentes, sperantes illos fore prudentes, et gloriosos in mundo; sic vos præsides monasticæ vitæ cultores non commoti ab ira, aut superbia, succurrite immoderatis, ac juvenantibus fratribus, sed juxta Christi misericordiam, atque ob finem spiritalis utilitatis, et propter spem afferendi adjumenti iis, qui ad regnum cœlorum a vobis instituuntur. Hac cogitatione curate singulorum fratrum infantiam ad id, quod utile est, componere, ut jam dictum est, seu per exhortationem, seu per increpationem, commoti solum zelo Dei, et visceribus Christi, emendationem curate, et non passione malitiæ, ut vos ipsos ulciscentes, opem ferte, ut perfectum vestrum laborem, quem propter Deum suscipitis, ostendentes, cœlestis regni hæredes evadatis. Hæc enim vere est angelica vita, quando hujusmodi cogitatione instructi sunt præsides, et ætate provecti, quando mutuo omnes fratres cum omni gaudio subjecti, invicem dominos reputabunt, etiam honore invicem prævenientes.

XIV. Cum simplicitate igitur, et integritate, et concordia, et pace, et sinceritate cordis convivere mutuo debent. Nemo se meliorem, aut majorem præ alio, etiamsi

e trivio sit, reputet : verum e contrario se omnibus hominibus inferiorem existimet, ut Christi discipulus; quemadmodum ipse Dominus dixit : « Qui se exaltat humiliabitur, » et qui se humiliat exaltabitur [1]; » et rursus : « Qui vult » inter vos primus esse, fiat omnium ultimus, et omnium » minister [2]. Sicut Dei Filius non venit ministrari, sed » ministrare, et dare animam suam redemptionem pro » multis [3]. » Et Apostolus : « Non enim nos ipsos prædica- » mus, sed Christum Jesum Dominum, nos autem servos » vestros per Jesum [4]. » Hortamur ergo vos, ut imitatores Christi esse cupientes, ad quietem, ac subjectionem mutuam, utilemque servitutem, si fieri potest, atque ad mutuam patientiam erga proximum nos ipsos comparemus, habentes Dominum exemplum, et formam, et in omnibus bonis simul nobiscum operantem, juxta quod dictum est : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum [5], » ut per dilectionem, et simplicitatem, sine æmulatione, atque arrogantia vinculum pacis in uno corpore, et spiritu Christi in fraternitate conservari possit, subjectis invicem in timore Domini. Unusquisque igitur in hujusmodi institutis manere desiderans, ante omnia, atque omnibus modis sacram dilectionem, et timorem Dei, quod mandatum est primum, et magnum, in suo corde procuret, et quærat a Deo assidue habere, et propter continuam, imo indeficientem memoriam Domini, atque ob amorem cœlestem in dies secundum profectum, per Dei gratiam adaugens, possideat. Per multam enim diligentiam, et sollicitudinem, et laborem, et mentis contentionem, dilectione erga Deum potiri possumus per gratiam, et largitatem Dei in nobis efformata, prout in Sapientia dictum est. Si enim quæsieris eam, tanquam argentum, et tanquam thesauros scrutatus

[1] Luc. XIV, 11, et XVIII, 14. — [2] Matth. XX, 26, 27. — [3] Ibid. 28. — [4] 2 Cor. IV, 5. — [5] Rom. VIII, 28.

fueris eam, tunc scies timorem Domini, et secundum scientiam dilectionem erga proximum facile ac sincere dirigere possumus. Prima enim ordinentur ut prima, et secunda, primis adjuncta, consequenter perficientur. Si quis enim primum, et magnum præceptum dilectionis erga Deum neglexerit, quæ in interna affectione, et conscientia bona, atque in rectis erga Deum cogitationibus cum divina virtute consistit; secundi vero exterioris officii duntaxat curam habere velit; fieri non potest, ut hanc pure ac recte perficere queat. Etenim nequitiæ deceptio inveniens procul a memoria, ac dilectione, atque inquisitione Dei mentem, vel difficilia, et gravia reddens divina mandata, murmurationes, querelasque de ministerio peracto erga fratres in anima excitat, vel opinione justitiæ fallendo inflat, efficitque ut se ipsum quis honorabilem, et magnum, ac tanquam perfecte mandata exequentem existimet.

XV. Cum autem putaverit apud se homo bona agere, ac custodire præcepta, decipitur judicans se ipsum, et judicantem juste non recipiens. Quando enim testimonium reddit spiritui nostro Spiritus Dei secundum Pauli sermonem, tunc vere Christo digni, et filii Dei sumus, et non quando propria opinione nos ipsos justos putamus. « Non » enim, ait, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed » quem Deus commendat [1]. » Etenim quando procul a memoria, ac Dei timore homo reperitur, necessario et gloriam quærit, et laudem venatur ab iis, quibus ipse famulatur. Talis enim etiam infidelis a Deo redarguitur. « Quomodo, enim ait, vos potestis credere, qui gloriam ab » invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non » quæritis [2]? » Talis est secundum Evangelium, qui quod exterius est paropsidis, et calicis lavat : hic intus plenus est rapina, et hypocrisi. Quando autem ipsa mens, atque

[1] 2 Cor. x, 18. — [2] Joan. v, 44.

animæ affectus in meditatione, ac Dei desiderio semper, ac cogitationibus memoria rerum honestarum exercetur; quæcumque sunt vera, et justa, et bonæ famæ, et pudica, etiam ob Dei dilectionem, semper decentem, perfectamque correctionem accipiunt : cum labore autem, et contentione mentis hoc perficitur, eo quod adversarius bonis semper impedimento est, et allicit, rapitque mentem, ne ob rerum honestarum memoriam superna diligat, sed per cogitationes quasdam, cupiditatesve terrenas voluntatem decipiat. Hæc est enim maligni mors et victoria, quantum ex nostra diligentia : quando mens in dilectione, et recordatione Dei exercita invenitur, inde constare potest et dilectio erga fratrem sincera, similiter et vera simplicitas, et mansuetudo, et humilitas, et integritas, et probitas, et oratio, omnisque persecutio sanctorum mandatorum per unum solum, et primum præceptum dilectionis erga Deum vere absolutam accipit impletionem.

XVI. Opus est igitur certamine multo, atque invisibili labore, et occulto, ut examen semper fiat cogitationum, utque infirmi nostri animi sensus exerceantur ad distinctionem boni ac mali; oportet semper etiam excitare per mentis conatum, et studium erga Deum debilitata animæ membra, in eo mente nostra semper conglutinata : ut, per divinam gratiam, fiat cum Domino unus spiritus juxta apostolicum dictum. Hunc vero occultum agonem, et meditationem Domini, ac laborem die, ac nocte habere nos omnes oportet ad accuratum mandatorum studium, sive orantes, sive ministrantes, sive edentes, sive bibentes, sive quamcumque rem operantes. Et quævis fit virtutis bona professio, in gloriam Dei fit, et non ad nostram gloriam factum invenitur. Sanctificatur enim tota mandatorum observatio, et pure a nobis perficitur per memoriam Domini continuam, timoremque, ac dilectionem erga Deum. At-

que ita longe absumus ab adversario, qui mandatum polluit, et laborem nostrum contaminat, volens ad se ipsum pertrahere. Et tunc expedita, ac facilia nobis omnia mandatorum præcepta videbuntur, Dei gratia in nobis levia reddente mandata, et dissolvente quod laboriosum in ipsis est circa observantiam. Adeo ut tum levitas præceptorum, tum facilitas propter Dei dilectionem futura sit. Totus enim conatus, ac sedulitas adversarii in eo sita sit, ut diximus, ut mentem a Dei memoria, timore, ac dilectione Domini possit avertere, adhibens terrenas illecebras, aut cogitationes in speciem probabiles, mentem a vero bono dilectionis erga Deum adducens ad ea, quæ bona sunt apparentia. Quodcumque enim bonum homo facit, malignus vult contaminare, et fœdare, nititurque propriam sementem vanæ gloriæ, vel arrogantiæ, vel murmurationis, aut ejusmodi quasdam res præcepto immiscere : ut ne propter Deum solum, humili, promptoque animo efficiatur bonum, et honestum, quod fit. Adhibenda est igitur ab unoquoque cognitio, ac discretio multa, ut possit mens insidias, artesque maligni dignoscere, atque omnino a malitia longissime abesse. Ne vero ex nobis ipsis aliquid dicere videamur, ista ex sacris Scripturis confirmemus. Scriptum est enim Abelem obtulisse sacrificium Deo ex adipibus, atque ex primogenitis ovium : et Caïn similiter munera obtulisse ex fructibus terræ, sed non ex fructibus primis. « Et » respexit, inquit, Deus ad munera Abel, ad munera autem » Caïn non respexit [1]. » Ut etiam ex hoc discamus contingere ut aliquod bonum opus fiat negligenter, aut per contemptum, aut propter aliquid, et acceptum non sit Deo; et contingit ut fiat secundum Dei voluntatem studiose et sobrie propter Deum, et fideliter, et gratum sit coram Deo. Etenim patriarcha Abraham ex manubiis

[1] Gen. IV, 5.

sacerdoti Melchisedech obtulit, atque ita benedictiones ab eo suscepit. Quid vero per hæc innuit Spiritus, alteriorem sensum demonstrans, nisi summa, et prima, et adipes totius concretionis nostræ, hoc est, ipsam mentem, ipsam affectionem, ipsam rectam nostram ratiocinationem, per ipsam nostram amandi potentiam animæ, primitias totius hominis nostri semper Deo nos offerre debere, sacrum cordis sacrificium, manubias, et prima cogitationum rectarum ad ipsius memoriam, et meditationem, et dilectionem semper occupantes. Ita enim quotidie possumus in divino amore incrementum accipere, a divina Dei potentia adjuti; et pondus justitiæ mandatorum leve nobis ita apparebit, et pure, atque incorrupte illa perficiemus, auxiliante nobis Domino, per nostram erga ipsum affectionem fide, ac dilectione ferventem, et per desiderium omnium mandatorum ipsius.

XVII. De exercitationibus autem, quæ apparent, quale bonum studium primum, et melius sit, hoc cognoscitur, dilectissimi, quia mutuo omnes virtutes colligatæ sunt, et alia ab alia dependet : tanquam sacra quædam spiritualis catena altera cum altera connectitur : dilectio a gaudio, gaudium a mansuetudine, mansuetudo ab humilitate, humilitas a ministerio, ministerium a spe, spes a fide, fides ab auditu, auditus a simplicitate : sicut e contrario alia cum aliis mala colligantur : odium ab iracundia, iracundia a superbia, superbia a vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas a negligentia, negligentia a relaxatione, relaxatio a contemptu, contemptus a tædio, tædium ab impatientia, impatientia ab amore voluptatum, et reliquæ nequitiæ partes mutuo dependent. Eodem pacto etiam ex parte boni virtutes invicem connectuntur. Caput vero omnis boni studii, et summa recte factorum est orationis perseverantia, per quam et virtutes reliquas, quotidiana a Deo pos-

tulatione, possumus adipisci. Quoniam apud Deum bonitas, et communicatio quædam mystica spiritalis operationis, affectionisque conjunctio, atque ipsius mentis cum amore inenarrabili erga Dominum in prece per divinam visitationem iis, qui digni facti sunt, efficitur, et ad cœlestem amorem, ignitumque desiderium a spiritali dilectione ad Deum quotidie trahitur. Qui se ipsum in precibus perseverare cogit, sicut dictum est : « Dedisti lætitiam in corde meo [1]. » Et Dominus : « Regnum cœlorum intra vos est [2]. » Regnum vero esse intra, quid aliud significat, quam cœlestem spiritus lætitiam animæ dignæ efficacissime partam ? Si enim voluptatem, et gaudium, et spiritalem exultationem in æterno lumine Sancti in regno cœlorum habituri sunt; hanc arrham, atque has primitias inde jam sanctæ, et fideles animæ propter operantis Spiritus participationem dignæ efficiuntur ut consequantur. « Qui consolatur enim, dicit, nos in omni » tribulatione nostra, ut possimus consolari eos, qui in omni » pressura sunt per consolationem, qua consolamur et ipsi » a Deo [3]. » Sed et, « Cor meum, et caro mea exultaverunt » in Deum vivum [4]. » Et « Sicut ex adipe, et pinguedine re» pleta est anima mea [5]. » Et his similia efficacem spiritus lætitiam, et consolationem sanctificationis obscura significatione per ista demonstrant. Sequentia autem omnium præceptorum mandata tanquam membra capitis sunt, quæ qui se ipsos integre pro viribus Deo tradiderunt, perficere debent, cum omnibus unus scopus haud dubie propositus sit pietatis, quem pluribus verbis jam explicavimus, et confirmavimus Scripturarum testimoniis, ut digni nos efficiamur per fidem, et multam diligentiam in omnibus virtutibus, plenitudine Spiritus sancti, atque omnimoda a perturbationibus liberatione, ut possideamus id, quod est

[1] Psal. IV, 7. — [2] Luc. XVII, 21. — [3] 2 Cor. I, 4 — [4] Psal. LXXXIII, 3. — [5] Id. LXII, 6.

cordis expiatio per sanctificantem Spiritum fidelibus ac religiosis animabus impertita.

XVIII. Quisque igitur se ad bonum applicet, quantum et erga Deum animæ dilectio extenditur; et si de reliquo cupit aliquis assidue orare, etiam precibus perseveranter insistat, et quod a Domino dictum est, quanto magis « Faciet Deus vindictam ad se clamantium die, ac nocte : » Dicebat enim, inquit, et parabolam, quod oportet semper » orare, et non deficere [1], » et quo pacto cœlestem armaturam spiritus, ut antea dictum est, digne accipient qui illam exoptant, et se consecuturos sperant. Apostolus dixit : « Per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni » tempore, et in hoc ipso vigilantes in omni instantia, et » obsecratione [2]. » Si quis igitur fratrum per orationem certamen suscipere desiderat cupidus cœlestium bonorum, admittendus est, atque omnino laudabilis ille cum apud homines, tum apud Deum. Ideo sinatur hujusmodi a sociis fratribus cum gaudio orationi instare, ut et ipsi mercedem per hanc cum fratre conspirationem, et bonam cooperationem a Deo consequantur : solum ut cum omni sobrietate, secundum conscientiam, inquisitionem faciat, et indesinentem memoriam, atque assiduam pugnam ut habeat qui orat, semper oppositus omni occasioni improbitatis multarum, et superfluarum cogitationum, cogens mentem erga Deum per desiderium, et ab ipso expectans gratiæ auxilium. Ut sic fructus quotidie manifesti fiant ad ædificationem omnibus. Qui enim habet Dei dilectionem, plagam, et amorem divinum, quamvis nondum habeat, conatur tamen, et contendit, et vi cogit ad hunc laborem voluntatem, se ipsum tradens, a Deo obtinere quærens cœlestem amorem, et veram, spiritalemque orationem, secundum quod dictum est : « Qui dat orationem oranti » cum gaudio; hic a reliquis

[1] Luc. XVIII, 1, et 7, 8. — [2] Ephes. VI, 18.

fratribus sinatur, et tanquam adjutores ipsius, potius cooperentur, proprium ducentes lucrum profectum fratris ad meliora, neque per contentionem, et zelum illum retrahant, neque impediant, neque præcidant bonam propensionem erga Deum, et initium pulchræ sollicitudinis erga pugnam. Ut Deus videns mutuæ dilectionis irritamenta, retribuat omnibus petitiones, certos reddens singulos propter rectam, et bonam voluntatem mutuam.

XIX. Hæc vero studiose facere multa cum discretione debetis, maxime præsides fratrum, et vos ipsos, et qui sunt vobiscum fratres, curate hujusmodi prudentia ut componatis, ut nemo offensionem accipiat, in quem dictum est : « Certamen certate. » Sicut igitur principalissimum, qui orationi instat, opus suscepit, sic certamen eximium, laboremque multum, ac curam assiduam suscipere opus est : propterea quod in orationis perseverantia multa malitiæ impedimenta sunt, somnus, negligentia, corporis gravitas, cogitationum evagatio, mentis instabilitas, contemptus, impatientia, dissolutio, et cæteræ malitiæ subtiles operationes : deinde tribulatio, atque aggressio ipsorum spirituum malignorum, qui oppugnant, atque adversantur usque ad sanguinem animæ quærenti secundum veritatem indesinenter Deum, quique illam prohibent, ne ad Deum accedat. Omni igitur vigilantia, et omni studio, totoque mentis, ac corporis conatu in omni patientia, et oratione perseverans, viriles animos sumat oportet, stetque ut crucem vere ferens, assidue in pugna, et in labore multo, et luctu, et tribulatione propter regnum, non relaxans, neque tradens se ipsum vagis nequitiæ cogitationibus, aut somno, aut otio, aut dissolutioni, aut mentis perturbationibus, aut tumultuantibus, indecentibusque vocibus usus, aut rebus ejusmodi : applicans mentem solum, corporis, genuumque flexionibus; certus, fidensque causa non æqui judicii, cum animus in pertur-

batione, atque evagatione persistat. Potest enim quis nisi exacte se ad vigilandum paraverit, semperque inquisitionem atque attentionem mentis adhibuerit, diligendo semper Dominum, clam a malitia deceptus, et abstractus, extolli, atque inflari adversus cæteros, qui nondum sic possunt in orationi perseverare; atque ita propter hujusmodi malitiæ deceptiones bonam occupationem hanc adversario prodens, alia tanquam opera oratione meliora capessere. Adeo et laborem, et sollicitudinem, et pugnam cæteris majorem habere oportet, ne quando dolum aliquem a malitia patiatur. Qui enim magis probitatis studio capiuntur, eos magis adversarius oppugnat, subvertere desiderans. Oportet igitur fructus dilectionis, et humilitatis, et simplicitatis, et discretionis animæ nostræ producere, ut manifestum sit nos ad meliora profectum extendere. Ut qui nondum ita possunt propter infantiam ad orationem incumbere, eos, bonis nostris fructibus cognitis, provocemus, atque ad desiderium transferamus prompte, ac studiose se ad hanc pugnam accingendi. Nisi enim animi demissio, et dilectio et simplicitas, et bonitas orationem nostram exornaverint, oratio, seu potius orationis effigies, nihil nobis proderit.

XX. At vero non dicimus hoc solum de oratione, sed etiam de omni labore, ac defatigatione virginitatis, vel precum, vel lectionis, vel jejunii, vel vigiliæ, vel psalmodiæ, vel ministerii, vel cujuslibet laboris, aut operis causa virtutis suscepti : nisi fructus dilectionis, et pacis, et gaudii, et mansuetudinis, et humilitatis, et simplicitatis, et candoris, et fidei, et longanimitatis, et vacuitatis invidiæ in nobis ipsis inveniamus, omnibusque hujusmodi fructus pacis offeramus; temere, atque incassum dolores, laboresque suscipiuntur. Omnis enim illa exercitatio, et pœna propter hos fructus subeunda est. Si vero pacis, atque amoris fructus in nobis non inveniuntur, frustra, ac supervacue

tota occupatio assumpta est. Tales enim inter quinque stultas virgines in die judicii ostenduntur, quæ propterea quod hinc non tulerunt oleum spiritale in vasis cordis, quod est propositarum virtutum operatio per spiritum, stultæ appellatæ, a spiritali regni thalamo exclusæ sunt. Etiam virginitatis labor propter defectum virtutum, absentiamque Spiritus sancti, qui habitat, et operatur in nobis, pro nihilo habitus est. Quemadmodum enim in agricultura omnis labor, atque industria in vite impenditur fruendi causa fructibus in posterum; non repertis enim in vite fructibus, temere, atque in vanum omnis industriæ occupatio posita est. Eodem modo nisi per operationem spiritus fructus dilectionis, et pacis, et gaudii, et humilitatis, et longanimitatis, et fidei, et reliqua quotquot Apostolus protulit, cum omni confidentia, et spirituali sensu in nobis ipsis noverimus; vanus virginitatis labor, orationis, et jejunii, inanis sollicitudo vigiliarum ostenditur. Hi enim labores sunt animæ, et spiritus, qui perfici debent propter spem fructuum spiritalium.

XXI. Ubertas autem fructuum spiritus in virtutibus, voluptas est spiritalis in gaudio incorruptibili in cordibus fidelibus, atque humilibus, a spiritu effecta. Cum multa enim intellectus discretione, et operatio, et labores, et perpessiones, humanam naturam ducant : et fructus, fructus reputentur per fidem, et spem a sancto Spiritu dignis infusi. Si enim judicii defectus, propriam operationem, laboremque, fructus spiritus esse reputet, multam opinionem habet vanitatis, atque a magnis bonis spiritualibus excidit, credens a spiritali operatione in omnibus supradictis virtutibus minime dirigi. Is enim, qui perfecte se Deo dicavit in perpetuum, atque ex propriis viribus studium, ac laborem cum reliquis humanis, mutabilibusque virtutibus, in nulla re prætermittens; ab ipso Deo redemptionem per

auxilium gratiæ Christi in fidei certitudine semper expectat; ad ipsum cacumen stabilis virtutis amorisque per bonitatem pervenire reputatur. Sicut enim in vita deliciis assuetus, qui iniquitati omnino se tradidit, indecoras passiones præter naturam cum multa voluptate sectatur, luxuriam, scortationem, ebrietatem, et avaritiam, ac cætera nequitiæ opera, hilariter, ac jucundissime, tanquam naturæ propria, propter diuturnam consuetudinem exequitur; si perfectus Christianus omnes virtutes, omnesque spiritus fructus supra nostram naturam, id est, veram, immutabilemque dilectionem, et pacem, longanimitatem, et bonitatem, mansuetudinem, et patientiam, fidem, atque abjectionem, et reliqua veræ virtutis opera cum gaudio, et spiritali delectatione perficit, tanquam naturalia, et propria, indefesse deinceps, atque expedite, non amplius contra nequitiæ passiones pugnando, utpote qui perfecte a Deo servitute liberatus, dignatus fieri purum domicilium ipsius, et divina vi incitatus in virtutibus, in exultatione, in gaudio a sancto, atque adorando Spiritu, possidens perfectam Christi pacem in corde exultantem.

XXII. Non modo autem hujusmodi virtutum actus cum multa voluptate, qui talis est, propter efficacem operationem inhabitantis Spiritus sancti in posterum perficit; sed, quod difficilius est, videlicet Christi perpessiones expedite, ac facile suscipit, roboratus a Spiritu, et orans cum multo desiderio pati cum Christo. Ac quemadmodum reliqui in vita homines secundum carnem viventes, honores, et glorias, venerationes, et divitias, delicias, et imperia, ac cætera hujus vitæ oblectamenta cum voluptate multa, ac gaudio expetunt; sic qui ad supradicta christianæ professionis pervenire dignati sunt, nudari, atque esurire, omnesque ærumnas pati propter Dominum, odio haberi, sperni, irrideri, perculi, et tanquam purgamenta hujus mundi fieri, ac de-

nique cruci affigi, et fatui in modum, prorsus eliminari, cum voluptate, ac delectatione spiritali, cum gaudio, atque exultatione ob beatam resurrectionis spem in votis habent. Christianorum enim gloria, et divitiæ, et delectatio, et thesaurus, et exultatio, perpessiones Christi sunt, secundum apostolicum dictum : « Non solum autem, sed et glo» riamur in tribulationibus [1]. » Et id quod a Domino dictum fuit : « Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti » vos fuerint homines, et dixerint omne malum adversum » vos, mentientes propter me : gaudete, et exultate, quo» niam merces vestra copiosa est in cœlis [2]. » Et rursus beatus Paulus quantam voluptatem in patiendo pro Christo habuerit, exclamans ait : « Libenter igitur gloriabor in in» firmitatibus, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter » quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in ne» cessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus : cum » enim infirmor, tunc potens sum [3]. » Et iterum : « Sicut » Dei ministros in multa patientia [4]. » Sancti Spiritus enim in eis inhabitatio plenissima, et incorrupta efficax consolatio, perpessiones Christi in suavissima certitudine, et voluptate multa efficit, ut suscipiantur, propter futuram resurrectionis spem immortalem. Hic est vere adhærens Domino, et factus cum ipso in unum spiritum. Etenim per sancti Spiritus efficaciam, et sanctitatem virtutum, affectiones impuræ, operationesque malitiæ componi possunt : ac perpessiones Christi facile, atque expedite resumi queunt : quæ qui nondum per operationem spiritus recuperare dignati sunt, per proprium studium, ac desiderium, spe et fide in præceptis, et in cruciatibus Domini sine intermissione meditentur, et labore, pro viribus se ipsos urgendo, exerceantur, sperantes per Spiritum perfecte in eis directum

[1] Rom. v, 3. — [2] Matth. v, 11, 12. — [3] 2 Cor. xii, 9, 10. — [4] Id. vi, 4.

iri. Ut secundum spei operationem, et desiderium, ac meditationem mentis, Spiritum potenter operantem cum gaudio recipiamus, et executionem præceptorum evangelicorum, et cum lætitia patientiam perpessionum Christi. Atque ita digni habiti, ut perfecti Christiani simus, per habitationem, et communicationem efficacem Spiritus, vitæ æternæ hæredes efficiamur.

XXIII. Sic igitur contendite, et sic vos ipsos ad omne opus bonum parate omnes simul, qui ad pietatis metam curritis : maxime vero vos, qui in precibus perseverare conamini : tanquam tantorum bonorum spem habentes, ut vestra, et proximorum ædificatio, atque utilitas efficiamini, nec detrimentum cum vobis, tum aliis per negligentiam, atque inconsiderantiam afferatis. Qui vero nondum perfecte potestis orationis exercitationi vos dedere, ministerio, et famulatui, aut alicui operi, aut residuæ fratrum quieti cum fide, circumspectione, et timore Dei vos ipsos aptos reddite, tanquam mandatum Dei perficientes, et tanquam spiritale exequentes opus, et non tanquam ab hominibus mercedem exoptantes, ab iis honorem, aut gratiam expectate. Sed ut Dei operi fideliter, ac vigilanter attendite, et ut Dei servi cum gaudio famulamini, non dantes omnino, ut placeatis hominibus, locum malitiæ, aut murmurationi, aut elationi, aut mollitiæ, aut negligentiæ, ad contaminandum, et proprio veneno fallaciæ obscurandum, ac fœdandum bonum opus vestrum, sed ut per pietatem, dilectionemque erga Deum studium vestrum bonum sanctificetur, fiatque Deo acceptum : tanta enim humanitate, ac bonitate immensa Dominus ad humanum genus se demisit, ut nemini permittat cessare a virtute, aut opere bono, sed unicuique distribuit occupationem pro viribus suæ electionis, trahens omnes quotidie ad majores præceptorum virtutes. « Quicumque, ait, potum de-

» derit calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, » amen dico vobis, non perdet mercedem suam[1]. » Vide quousque mandatorum facilitatem extenderit Dominus, ne quis expers remaneat, tanquam impotens, et in electione boni sit remissus. Et rursus : « Uni horum fecistis, mihi » fecistis[2] : » dummodo quod fit propter Deum, non propter hominum gloriam fiat. Addidit enim : « Tantum in nomine » discipuli, » hoc est timore, et amore Christi bonum opus ut fiat.

XXIV. Vituperans enim Dominus eos, qui propter gloriam, et laudem hominum ad ostentationem bonum aliquod operantur, responsum dedit, dicens : « Omnia faciunt, » ut videantur ab hominibus[3] : » ac prosequens cum jurejurando addit : « Amen dico vobis, receperunt mercedem suam[4]. » Ideo admonet Discipulos suos : « Attendite ne » justitiam vestram faciatis coram hominibus, alioquin » mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in » cœlis est[5]. » Gloriam ab hominibus, et honorem, et laudes socias repellendas, neque mente admittendas omnino monuit, sed a solo Deo, sicut prædictum est, gloriam, et laudem esse expectandam. Non docuit Dominus non notum fieri hominibus bonum aliquod a nobis effectum : quo pacto enim fieri posset ? Cum in aliis hortatus sit, ut luceant tanquam lux opera vestra bona coram hominibus ad gloriam Dei effecta : « Ut videant (enim inquit) opera vestra » bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est[6] : » et Apostoli etiam lege accepta per Spiritum nihil inquietari eos, qui erant ex gentibus, nisi ut necessario abstinerent a fornicatione, et immolatis simulacrorum, et suffocato, et sanguine, multiplicem præceptorum sylvam silentio prementes juxta magnam, et immensam bonitatem, et commi-

[1] Matth. x, 42. — [2] Id. xxv, 40. — [3] Matth. vi, 3. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 1. — [6] Id. v, 16.

serationem, ut allevantes jugum pro intelligentia, et infanti ætate ad fidem eos venire primum ex idololatria suaderent, ut ex parte obedientes verbo veritatis, qui crediderunt, ad majora mandatorum præcepta, et spiritale augmentum pervenire dignarentur. Si vero aliquis etiam in oratione piger est, et in ministerio, et reliquo qualicumque famulatu, qui ad fratrum quietem fit, remisse, negligenter, contemptimque se gerit, et minime strenuum se præbet ad studiose, fideliterque agendum quodcumque jubetur; hic ab Apostolo otiosus appellatus, neque pane dignus censetur, cum dicit; « Si quis non vult operari, nec manducet[1]. » Et alio quodam loco : « Otiosos etiam Dominus odit. » Et : « Otiosus » fidelis non potest esse. » Et Sapientia ait : « Multam mali» tiam docuit otiositas[2]. » Debet etiam homo in quocumque opere quod propter Deum capessit, fructus facere etiam diligenter, et in uno bono insistere, ne omnino infructuosus inventus extra vitam æternam ejiciatur.

XXV. Cum igitur unus scopus jam dictus omnibus ejusdem instituti fratribus propositus sit, deinceps pro viribus unusquisque contendat, credatque Deo non mentienti, se assecuturum mensuram perfectam adoptionis Christianorum cum omni exacta diligentia, et studio virtutis. Simplicitas vero, et integritas, et mutua dilectio, et gaudium, et animi demissio ex omni re, tanquam fundamentum in fraternitate immobile semper maneant, ne elati invicem, aut inflati, aut murmurantes, vanum vestrum laborem reddatis : sed potius humilitate vos ipsos defendentes, atque existimantes proximos ut dominos, ejus, qui pro nobis pauper factus est, imitatores estote : et neque qui assidue in oratione perseverat, contra eum, qui nondum sic potest perdurare, extollatur ; ut possit opus suum coram Deo, et hominibus profectum habere ; neque qui in minis-

[1] 2 Thess III, 10. — [2] Eccli. XXXIII, 29.

terio, aut reliquo famulatu se ipsum exercet, suggestione malitiæ murmuret, aut obloquatur contra eum, qui precibus, jejuniisque vacat, ut gratiam apud Deum inveniat, suumque opus acceptabile fiat : sed tanquam alter alterius membra, atque invicem requiescere debentes, nihil per contentionem, aut vanam gloriam agentes secundum apostolicum præceptum. Sicut enim membra corporis ab una anima gubernata ministerium sine invidia alternis præbent, et « Non potest, ait, dicere oculus manui : Opera tua non » indigeo, aut caput pedibus : Non estis mihi necessarii. » Sed multo magis quæ videntur membra corporis infir» miora esse, his honorem abundantiorem circumdamus[1] : » sic et nos membra invicem existentes, quemadmodum dixit. Qui vero singillatim sumus mutuo membra, ab uno spiritu agitati, et ab uno verbo vivæ Veritatis enutriti, per dilectionem, et simplicitatem, bonitatemque, atque gaudium ad mutuam quietem componi debemus; ad hoc enim conditi sumus, sicut dictum est : « Ipsius enim sumus fac» tura creati in operibus bonis, ut in illis ambulemus[2]. » Atque ita Deus in talibus institutis uniuscujusque lætatur, recipiens id, quod propter ipsum solum factum est. Hujusmodi enim affectionem simplicitatis nobis invicem conservantibus, abundantia eorum, qui ad preces incumbunt, supplet defectum ministrantium, et quiescentium : et rursus abundantia eorum, qui ministrant, defectum perseverantium in orationibus : ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : « Qui multum, non abundavit, et qui modicum, non » minoravit[3]. » Solum, ut jam diximus, simplicitas, et charitas, et humilitas, solide stabilitæ sint, absitque invidia. Et deinceps quisque cum gaudio currat pulchrum cursum, et pulchrum certamen certet ad inerrans iter pietatis in Deum. Sic enim quatenus credit, quatenus diligit, et qua-

[1] 1 Cor. XII, 21, 22. — [2] Ephes. II, 10. — [3] 2 Cor. VIII, 15.

tenus laborat, quotidie proficiens, regno dignus reputabitur.

XXVI. Hæc vere angelica est vita : hoc est, « Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra[1], » quando non extollimur alter adversus alterum : quando concordia, et simplicitate, et amore, et pace, et gaudio invicem conjuncti sumus, proximorum profectum, proprium lucrum existimantes, et defectum, aut detrimentum, aut tribulationem, damnum proprium reputantes. Ait enim : « Non quæ sua » sunt singuli considerantes, sed quæ proximorum[2]. » Hoc pacto enim invicem compatientes, firmi maxime infirmis, et fortes debilioribus, adimplere possumus Christi legem, juxta Pauli exhortationem. Hoc modo autem in unum habitantes, vere poterimus ambulare supra serpentes, et scorpiones, et supra omnem potentiam inimici; ac propter concordiam Christique gratiam, nequitias, capita draconum spiritualium, confringere, super aspidem ac basiliscum ambulantes, conculcantesque leonem, et draconem. Cum enim, sicut supra diximus, cum dilectione, ac simplicitate mutua simul manent fratres, tunc etiam qui in gradibus magni profectus spiritalis existit, atque in precibus perseverat, ad majora propter societatem, et conspirationem fratrum, incrementum, progressionemque capit. Similiter et qui parvulus est, ob majorum in dilectione exhortationem quotidie melior evadit, prompto animo « Ad ea, quæ » sunt priora, extendens se ipsum[3]. » Nisi vero sic alternis affecti sitis, sed murmurationes, et querelæ, et obtrectationes, et inflationes, alterius in alterum, excitantur; neque qui precibus vacare videntur, ac jejuniis, propter sociorum ipsorum ab eis discrepantiam, et detrimentum, propriamque elationem, meliores se ipsis fieri possunt : neque qui ministrant, quietem corporis, et gratiam in suo munere

[1] Matth. vi, 10. — [2] Philip. ii, 4. — [3] Id. iii, 13.

habere poterunt, propterea quod contra otiantes murmurant : atque ita cum in corpore divisio sit, fieri minime potest, ut ædificationem spiritalem accipiant, atque in nobis fiat Dei voluntas; sed potius, ut beatus Paulus multarum gratiarum spiritus divisionem ad unam conjunctionem, ac consonantiam redigens, ut unius corporis membra existentia, ait : « Habentes autem donationes secundum » gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam » secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, » sive qui exhortatur in exhortatione, qui tribuit in sim» plicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hi» laritate : dilectio sine simulatione[1], » et reliqua. Et rursus : « Quid est ergo? Cum convenitis, unusquisque vestrum » psalmum habet, apocalypsim habet, doctrinam habet, » interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant[2]. » Hoc est, emolumentum capite unusquisque alternis ex donationibus propter concordiam, et invicem in dilectione censensus. Sic et qui in monasteriis estis fratres, tradentes invicem vos ipsos in Domino, fortiores seu corpore, seu prudentia, imbecilliorum pondera portate propter beatam Christi spem, et quisque quod habet, sive in natura bonum, seu vim, seu intelligentiam, seu fortitudinem, seu diligentiam, seu solertiam aliquam, nos ipsos totos tradamus, sive spiritalibus donis per Christi gratiam dignamur, invicem communicemus in omnibus bonis ad ædificationem, utilitatemque tum nostram, tum proximorum, tum universorum hominum. Sic enim adimplentes legem Christi, æterna vita digni efficimur.

XXVII. Quod vero orationis, et verbi Dei congrua prosecutio, cujuscumque præcepti, ac virtutis operi præponatur, testatur ipse etiam Dominus. Cum enim venit in domum Marthæ, et Mariæ, et Martha quidem occuparetur

[1] Rom. XII, 6-9. — [2] I Cor. XIV, 26.

circa ministerium, Maria autem sederet secus pedes Domini, ac salutaribus præceptis aleret animum, reprehenderetque Martha sororem suam, quod non auxilium sibi præberet, dixit ad Dominum: « Domine dic ut veniens » soror mea me adjuvet, quod reliquit me solam ministrare [1]. » At Dominus primum, et principalius secundo prætulit, dicens: « Martha, Martha, sollicita es erga plurima: Maria autem optimam partem elegit [2]. » Majus, et primum opus verbi, et orationis ostendit Dominus hoc modo loquendi. Neque vero tanquam nihil ministerium Marthæ suscepit; namque ita opus per se ipsum perfecit lavans Discipulorum pedes, atque hortatus est, ipsis dicens: « Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et magister, et » vos debetis alter alterius lavare pedes: exemplum enim » dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, et vos faciatis [3]. » Et rursus: « Quicumque voluerit inter vos primus esse, sit » omnium minister, et servus: sicut et Filius hominis non » venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam » redemptionem pro multis [4]. » Et: « Quicumque fecerit uni » horum, mihi fecit. Qui recipit justum in nomine justi, » mercedem justi accipiet [5]. » Sed et Apostoli in Actibus in corporali ministerio mensarum occupati, majus judicarunt persequi opus orationis, et verbi: « Non est æquum, inquiunt, » nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis: sed » eligentes viros plenos Spiritu sancto, constituamus super » hoc opus: nos vero orationi, et ministerio verbi instantes » erimus [6]. » Vides quomodo prima a secundis discriminavit, quamvis utraque ejusdem radicis bonæ germina sint?

XXVIII. Quare oratio primas habeat; ametur, et præponatur a vobis reliquis mandatis. Solum ob Dei dilectionem omnia fiant, atque ob intentionem perveniendi, gratiæ

[1] Luc. x, 40. — [2] Ibid. 41 et 43. — [3] Joan. xiii, 14, 15. — [4] Matth. xx, 26-28. — [5] Id. x, 41, 42. — [6] Act. vi, 2-4.

auxilio, ad imperturbatam puritatem, corpore, atque externa compositione, ut fieri solet, leviter, et sine consideratione, aut orationis genuum solum aut psalmodiæ per meram linguam, aut jejunii, aut ministerii peracti non propter Deum solum, et reliquis exterioribus actibus contenti, ipsam veritatem, quæ est Dei dilectio in interiore homine a Deo requisita, et a Spiritu effecta, nobis ipsis occultemus, propter ignorantiam, in justificationibus tantam externis confidentiam habentes : sed intentio dilectionis in Deum ex vera conscientia, et sincera affectione omnium mandatorum præcedat. Quando enim illa proprie, atque omnino præcedit, ac curat, ut in nobis Spiritus operetur; consequenter etiam oratio optat genuum flexionem, et ministerium acceptabile fit, et impletur. Omniumque mandatorum professio pure, ac sincere a nobis per operationem Spiritus perfici potest. Tunc enim filii Dei fieri, et hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi declarari dignabimini, et filii cœlestis Sponsi esse, et fratres Christi divina gratia appellari, secundum promissiones inexplicabiles omnium divinarum, sanctarumque Scripturarum, qui scopus est, et spes Christianorum. Per quæ enim bona opera hæc consequi poterimus, nisi per ea, quæ prædiximus, confirmantes pluribus simul argumentis testimonia Scripturæ, et perfectum pietatis finem demonstrantes? Dilectione, et spe credentes Deo veraci et vero, ea, quæ supra nostram naturam et potestatem promissa sunt nobis, ex beneplacito, et bonitate ipsius ope largienda, quotidie crescentibus nobis in Domino, nostroque progressu omnibus manifesto, fore ut consequamur spiritum adoptionis integre, perfecteque credentibus nobis indubitata, et sana fide, per quem tum a pudendis affectionibus, manifestis et occultis; tum a peccatis opere, et cogitatione commissis, liberari possumus. Atque hoc modo purum cor, eorum instar, quos beatos dicit

Dominus, possidere dignamur, absolventes quidem certamen ex propria deliberatione perfecte, quod instituimus. Ita filii Dei, et filii regni, et fratres Christi per Spiritus adventum, et communicationem fieri dignati, cum ipso per infinita sæcula quiescentes simul regnabimus. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADHORTATIONES QUATUOR.

De virtute, ad novitium monachum.

PROLOGUS.

I. Dominus ad salutem hominum profectus in mundum, mandatum de invicem diligendo dedit nobis [1]. Charitatis autem opus est, etiam adhortari ac consolari invicem in timore Dei. Quoniam igitur a parvitate mea sermonem audire expetivit tua pietas, me ipsum propter obedientiam, gratia Christi cooperante, obtuli ac tradidi. Et nunc de eisdem argumentis hæc in hunc retuli commentarium. Si quid ergo utile inveneris, menti tuæ inserito, ut te fructum ferente Domino, ego quoque consilii mercedem recipiam. A nobis autem, qui inter fratres versamur, non requires verborum artificium, quod non didicimus; neque ornatum dictionum, quas non novimus: verum quæ in simplicitate, sinceritate et charitate sine ullo verborum apparatu tibi sunt conscripta, cum charitate accipito, eaque apud te ipsum augeto; quippe qui sis nobis magis ido-

[1] Joan. XIII, 15.

neus, et quasi semina quædam atque occasiones a nobis capiens, in tuæ mentis latitudine plurimum fructificare facias. Et quæ modice ac tenuiter a nobis denuntiata sunt, efficaciter exhibe his, qui tecum sunt, o studiosissime discendi, illosque ad observandas nostræ profundæ stultitiæ inscitiæque admonitiones hortare, qui neque sumus assueti in scribendo ad eloquentiæ ostentationem; neque in orationis arte exercitati. Cæterum charitate nos commonente, ut tibi et omnibus, qui tecum sunt, significemus; sicut jampridem nos ipsos magno studio atque conatu, dum de virtute addiscere expeteres, tradidimus, divinæ gratiæ præsidio, verorum sermonum exercitiis : ita et tu cæteris studiose secundum gratiam tibi a Domino concessam inservies, ut ne amplius fratres in fraudem impellantur et seducantur.

ADHORTATIO I.

II. Si vitam solitariam in eremo colueris, perfectorum anachoretarum exercitationes atque progressus investiga. Sin autem in cœnobio degeris, regulas conventuales ne despexeris. Utrumque enim, si in singulis servetur ordinibus in pura conscientia, gratum et acceptum erit Deo. Si ergo solitariam vitam vixeris, cave ne optimas formas anachoretarum, qui rectam tibi semitam straverunt, depravaveris; quin potius te formam atque exemplum utile omnibus exhibe, semper dictum illud Apostoli discutiens : « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia » mihi licent, sed non omnia ædificant [1]. » Ne recte factis

[1] 1 Cor. VI, 12, et X, 22, 23.

deturbet te ex loco tuo inimicus. In cœnobio agens, a legitima et apostolica regula ne declinaveris; quæ enim parva esse videntur delicta, non afferunt exiguum aut qualecumque detrimentum. Præclarum est igitur, ac valde præclarum, non magnifice de se ipso sentire, neque aliquid agere, quod ex proprio sui ipsius amore nascatur, eoque damnationis sententiam subire. Decet igitur in synaxi atque conventu cum aliis fratribus convenire, vigiliis, labore manuum, aliisque exercitationibus; quod maximum humilitatis est signum : nec non communem cum aliis mensam, extra tamen corporalem infirmitatem, frequentare; et propria voluntate non detineri, qui est vanus tumor. Oportet ergo unumquemque opus, quod incœpit extruere, cum omni humilitate et patientia perficere. Ingenio autem instabilem esse, et mente vagari de loco in locum, et ex opere in opus, immaturum fructum reddit; si tamen ullum iste fructum feret omnino. Neque vero in quolibet loco fratrem eodem modo oppugnat adversarius; sed hic quidem suadet, ut anteponatur dura et austera vita, quæ sanctis justisque operibus commendatur: ibi loca utilia fugienda suggerit, quod nulla sit ibi erga ullos indulgentia, ne erga imbecilliores quidem. Ita mentem adulterat, fratrique subversionem molitur, et quidem in cœnobio degentem, eremum imaginari facit, quasi multa sit ibi solitudo. In eremo autem versantibus, tanquam nimis squalida omnisque consolationis expertia illa loca fugienda suadet, et hæc sæpius movet, ut instabilem ubique fratrem reddat, deridendumque proponat, ac nullam virtutem ad perfectionem perducere possit.

III. Quemadmodum enim si quis turrim ædificare incipiat, et torpore ac tædio ædificii affectus, dicat se porticum extruere malle, et ubi jam fundamenta fodere cœperit, rursus dicat satius esse cellam ædificare, illamque im-

perfectam etiam relinquit, plane stultus vanusque ejus scopus deprehenditur; sic et monachus, nisi in uno loco, spiritali intellectu perseveraverit, fructum perfectum reddere non poterit. In cœnobio igitur residens, canonem seu regulam cum omni pietate ac timore Dei sequere, et quamvis bis in die ad comedendum tradatur, semper cibum cum gratiarum actione sumito. Et si quid fratres religione ac pietate inter alios magis conspicui faciunt, fac et ipse in conscientia pura, et recte in Domino proficies. Quod si in disceptationem mens venerit, quasi multa sint in mensa apposita fercula, cogitemus non nostra cibos ordinatione præparatos esse. Quod si vicissim, quæ sunt opportune parata, vilia et perpauca videantur, atque id incipiat animus ferre molestius, cogita et Dominum ipsum gloriæ, qui homo factus est, panes hordeaceos non respuisse. Oportet ergo spiritali intellectu occurrere adversario in omnibus ejus insidiosis congressionibus, ad retundendas ipsius imposturas per virtutem Crucifixi. Ultra autem mensuram, temperantem esse velle, ut puto, commendabile non est; sicut neque utile est debitam temperantiam spernere. Quemadmodum enim per diuturnam quis abstinentiam a cibis constitutis, sibi corporis enervationem, atque languorem remissionemque ad sua obeunda munia parit; ita et nimia ciborum repletio atque ingluvies homines damnabiles reddit. « Væ » enim, inquit, qui nunc saturati estis, quoniam esurie» tis [1]. » Quin et per intemperantiam voluptatibus, quæ infra ventrem sunt, subjicietur incontinens. Quare pie atque decenter corpus nostrum gubernetur oportet. In eremo autem versans, dignas semper tecum virtutes habe, rectam de fide sententiam, animi submissionem, vigilantiam, et fortitudinem. Distractiones autem animi, et avaritiam fuge. Sinceram sanctitatem cole, et patiens laborum esto.

[1] Luc. VI, 25.

Omnium te consolatorem præbe. Ad indulgentiam erga alios promptus sis et accuratus.

IV. In contemplatione Deo congruenti mentis evagationem de vita; quod et passiones animi sedat, et dæmonas fugat. Neque corporalem imbecillitatem aut mortis præsentiam pertimueris : verum sic cum lætitia exitum expectabis, quasi ex metallis, aut ab exilio in regnum cœlorum sis revocandus, secundum eum, qui ait : « Cupio » dissolvi, et esse cum Christo [1]. » In cœnobio degentem hæc amplecti oportet : obedientem secundum Deum se præbere absque ulla prorsus contradictione : compatientem quoque in proximum, et ab inani gloria alienum : honoris ac dominandi non cupidum : vigiliis autem et orationibus intentum, et in piis religionis exercitiis manuumque labore perseverantem. Fugere denique oportet, et tacere, atque quietum esse. Fugere quidem hæreticos, et homines perniciosos atque corruptores : tacere autem vetita, Deoque non placentia : abstinere autem a turbis, rebusque mundanis. Non aberrare e cella in cellam; non offendiculum aut scandalum proponere proximo; non sine judicio aut ratione verba proloqui; neque iracundiæ aut furori obsequi; non delectari ornatu vestium; non carnem ad pulchritudinem exterere, non oculum effrenatum habere : non callidus atque astutus videri optes, ne in vanam decidas gloriam, quæ voluptatis, iræ, et mœroris procreatrix est. Magis autem te ipsum satage exhibere simplicem et fuco carentem ut plurimum. Corpus a peccato custodi, ne creatori tuo mentiaris. Donum enim nos ipsos Domino obtulimus, neque amplius corporis nostri potestatem habemus. Sive enim angustiamur, sive oppugnamur, ad arbitrium nostrum auferre donum non licet. Quemadmodum enim si quis votum vovens Deo, munus Domino obtulerit, quod

[1] Philip. 1, 23.

sacerdos acceptum in templo seponit; etsi postea pœnituerit eum, qui munus obtulit, non amplius in sua potestate est auferre donum, postquam Domino illud obtulit; adeo ut, si occulte hoc suffurari molitus fuerit, non jam quasi suum auferre velit, a culpa absolvetur, sed velut sacrilegus punietur : sic quoque qui Deo suas animas consecrarunt, corporis sui potestatem amplius non habent. Beati qui hanc viam servant, et justitiam colunt : gaudentes enim et collaudentes Deum, in regnum cœlorum introibunt. Quod utinam nos consequamur, gratia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ADHORTATIO II.

V. Attendendum est a consilio perverso. Nam quemadmodum duo aliqui splendide induti, simul per forum euntes, alteruterque non sibi præcavens, impingendo in lutum incidit, vestemque præclaram omnino destruit; postea motus invidia, etiam proximum in cœnum dejicit, ne ipse solus turpis videatur. Sic etiam hic, qui virtute exciderunt, nituntur supplantare cæteros, ne soli in dedecore versentur. Loquuntur humilia, dulciterque respondent, ut a modestia avellentes, in peccata eos, qui sibi obsequuntur, deturbent. Neque confunduntur, improba factitantes; sed proximum exhortantur, dicuntque : « Cur nos abominaris? quia peccatores sumus, condemnas nos? Ille, et ille, de quibus fama est, nonne eadem faciunt ? An ignoras istam rem esse, labi atque resurgere? » Neque illos pudet, cum hæc dicunt. Quare? quia ipsi lapsi, nolunt assurgere : quinetiam et scandalum multis, et lapsum, et interitum afferunt : et

quasi esca in hamo, iis utitur diabolus. Interdum etiam sanctos quoque Prophetas criminari incipiunt, ad inescandas animas infirmas. O cor perversum talium hominum! O os malitia ac dolo plenum! O guttur, sepulcrum apertum, incunctanter perimens incidentes in ipsum! Juste traduntur passionibus ignominiæ, eo quod cognitionem Dei repulerint : unde et a Deo propter multitudinem impietatum ipsorum ejicientur, quod neque Deum timuerint, neque Christianorum pietatem cæteris rebus anteposuerint, animas juniorum decipientes. Quapropter ab iis tibi cave, charissime, ne mollibus suis verbis comburant te. Fuge ipsorum consuetudinem, ne felle amarior fias, et in bicipitem gladium incidas secundum documentum Salomonis [1]. Et omnis quidem homo salutem proximi curans, prolapsum cernens, exitare atque erigere conatur; stantem vero, ne cadat, retinet. At hi, tanquam corruptores, alios quidem stantes magno studio dejicere nituntur; alios autem lapsos, humique jacentes, per desperationem interficiunt Et cum dicendum fuerit : « Charissime, attende tibi : nihil Dei timore sublimius, nihilque vita religiosa pretiosius. Peccasti? non adjicias ultra ; sed de prioribus veniam peccatorum tuorum deprecare. » Nunc adhuc simul sumus, et paulo post ab invicem separabimur. Et si læserimus proximum, ingemiscens in nos culpam conjiciet, dicens : « Quia ex conversatione hujus hominis damnum percepi, utinam ejus notitia caruissem : scandalizavit enim animam meam. Quantorum mihi malorum extitit conjunctio societatis ejus? » Si vero in bonis profuerimus proximo, nostri memor dicet : « Auxiliare, Domine, fratri huic, sicut auxiliatus est mihi, propter nomen tuum, confirmavitque animam meam in timore tuo : cumque periturus essem, propter tuam gratiam servavit me. » At hi, qui contraria sapiunt, animarum deceptores

[1] Prov. v, 4.

sunt : non enim tantum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt. Quando vero rursus aliquem ab opere execrando abstinere conspexerint, mox absurdas causas coacervant, dicentes : « Ille frigidi est temperamenti. » Convincuntur vero etiam in hoc, quod hæc non bona mente proferunt. Nam si hoc esset secundum illius intentionem, non opus esset Apostolum dicere : « Omnis qui in agone con» tendit, ab omnibus se abstinet[1]. » Sed dicere oportebat : « Omnis qui certat in agone, calido temperamento præditus, ab omnibus se abstinet. » Si igitur hi quidem continentia indigent, illi vero non, quis, obsecro, diligentium Dominum, vanam istam suspicionem non reprehendat? Quem enim inimicus non impugnat, ac tribulat, sive masculos, sive fœminas? Necessaria ergo continentia; conjuncta tamen cum pio ac religioso consilio.

VI. Attendamus igitur nobis, ne magnam ipsi nobis damnationem asciscamus, et in hoc sæculo constituti, et post vitæ hujus exitum. Nam qui hodie pulcher, cras deformis : variis enim infirmitatibus hoc corpus reperitur circumdatum. Unde qui religiosam et cum virtute conjunctam sectantur vitam, non solum florida eorum ætate commendabuntur, qua temperantiam sibi elegerunt ; sed etiam in senectute summæ admirationi erunt. Præclara enim sementis non solum dum in campis virescit, spectatores delectat; sed et quando agri ad messem albescunt, spicasque incurvatas, ac in terram depressas habent; valde enim oblectat intuentes. Maxima ergo possessio est vita religiosa et virtute ornata. Cave igitur ne ab hominibus voluptatum amatoribus abripiaris, qui quidem diversimode lascivientes, propria coïnquinant corpora, juxta eum, qui dicit : « Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere[2]. » Quin et Parœmiastes illicitos actus redarguens, ait : « Talis

[1] 1 Cor. IX, 25. — [2] Ephes. V, 12.

» est et via mulieris adulteræ, quæ cum peregerit opus, lota, » ait se nihil fecisse absurdum[1]. » Ita et qui peccatorum consuetudine ducti, turpissima agentes, parvipendunt, quasi nihil egissent mali, omne suum studium in diabolicis concupiscentiis reponentes. Quando vero maxime etiam in sacras Scripturas, quasi essent in ridicularum numero ponendæ, dicteria jaciunt[2] : quorum judicium justum est. Hi et in tabernis conversationes fovent, ad ebrietatem vinum bibentes. Unde quoque pietas et continentia apud eos abominationi est. Quin et plebeiis in extrema malitia versantibus impudentiores isti existunt. Et hoc vere luctu planctuque dignum : quoniam illustrem celebremque virtutem in tantam vilitatem deduximus. Cæterum Deus magnus atque benignus, dives in misericordia[3], ac potens in operibus, sublevet infirmitatem nostram, conteratque Satanam sub pedibus nostris[4], nobisque largiatur fortitudinem atque intellectum spiritalem, ut in veritate reliquum vitæ tempus transigentes, gratiam apud eum inveniamus in illa die magna atque horrenda judicii. Quoniam ipsum decet confessio atque potentia imperiumque in cunctos generationum generationes, et in sæcula sæculorum. Amen.

VII. Esto igitur prudens, sicut serpens, ac simplex, sicut columba[5], quia in medio luporum versaris. Intellige quæ dico, charissime. Ne mori verearis pro Christo, sive strangulatio te invaserit, sive gladius, sive in lacum te conjecerint, sive in fluminis undam, sive in profundum maris : cave propter humanum timorem perdas continentiam, qui paulo post in pulverem resolveris. Ne divina mandata spreveris : et quamvis non adsint qui reprehendant, nihil tamen latet Dominum, Abelis vindicem[6]. Sive ergo in cœnobio degis, sive in eremo, puritatem atque temperan-

[1] Prov. xxx, 20.— [2] Rom. 1, passim.— [3] Ephes. ii, 4.— [4] Rom. xvi, 20.— [5] Matth. x, 16. — [6] Gen. iv.

tiam ne despexeris. « Sancti enim eritis, quia ego sanctus » sum, ait Dominus [1]. » Et, « Qui se humiliaverit, exaltabi- » tur [2]. » Humilis autem est ille, qui opere virtutem prædicat. Qui igitur ista amplexus fuerit, revera humilis secundum voluntatem Domini erit. Paucis ergo tibi hanc virtutem commendare cupio, ut vel inde parte vim ejus cognoscas, divinæ gratiæ auxilio. Humilis inani non ducitur gloria : non elatum se gerit circa Domini ministerium, ob timorem ejus. Humilis propriam voluntatem non ponderat, veritati contradicens; sed veritati paret. Humilis ob proximi profectum non invidet, neque lætatur super alterius ruina : gaudet vero potius cum gaudentibus, et flet cum flentibus. Humilis egestate ac paupertate pressus non abjicit animum, et in prosperitate ac gloria non insolescit; sed in eadem perpetuo virtute persistit. Humilis alium fratrem apud alium non traducit, quod est satanicum : sed pacificatorem agit, malum pro malo non reddens. Humilis non majores se tantum honorat, sed et inferiores. Humilis totis viribus pietatem sectatur. Humilis non corripitur ira, non agit contumeliose, neque vociferatur, sed omnia pietatis ergo contemnit. Humilis non malitiose ac callide rem gerit, neque pigrum se præbet, etiamsi media nocte ad opus vocetur : obedientem enim se mandatis Domini exhibet. Humilis acerbitatem dolumve non novit, sed in simplicitate atque innocentia servit Domino in sanctitate, ac pace, gaudioque spirituali. Humilis non ebriatur vino, neque ventri indulget, præcepta Domini timens. Humilis si verba increpatoria audierit, non obmurmurat; neque, accepta etiam alapa, impatienter fert : nam discipulus ejus est, qui crucem pro nobis sustinuit. Humilis amorem sui ipsius detestatur : unde neque primas tenere quærit; sed se in

[1] I Petr. I, 16, et Levit. XI, 44, XIX, 2, et XX, 7. — [2] Luc. XIV, 11.

hac vita, velut navis conscensorem, reputat. Humilis delectatur audire sermones spirituales, suamque mentem a præceptis Altissimi non removet : abnegavit enim se ipsum in veritate propter spem in Dominum nostrum Jesum Christum. Felices atque beati hujusmodi, quoniam ad ipsos dicet Dominus : « Non amplius vos vocabo servos, sed » amicos et fratres [1]. » Ipsi gloria in sæcula. Amen.

ADHORTATIO III.

VIII. De quibus autem animi cogitationibus mihi locutus es, non me latet : nam et ego ipse ab iisdem passionibus molestor : neque meam occulto infirmitatem. Quocirca oportet nos assidue orare, ut nos liberet Dominus a dæmonum insidiis. Neque enim nos in quiete ac solitudine tantum exagitant; sed et in domo Domini convenientibus nobis vehementer insultant; masculorumque corpora turpiter atque impudice nos conspicari efficiunt, et ad ipsam impuram usque actionem nos falsa imaginatione illudit draco; et quasdam cogitationum sordes atque quisquilias occulte subseminat, ad conturbandum fratrem, ne pura mente immaculatis Salvatoris nostri Dei attendat sacramentis. Attamen per oculorum custodiam, mentisque attentionem istum superabit continens, divina cooperante gratia. Decet ergo nos omni custodia custodire cor nostrum ac sensus : quoniam magno bello expositi sumus in hac vita, et inimicus furit. Sed non propterea detrectandum est certamen; verum corporaliter vincamus ejus phantasmata, et illum disrumpi sinamus. Novit enim Dominus

[1] Joan. xv, 14, 15.

quanta vexator noster cauteria nostris cordibus per cogitationes admoveat. Non enim ut homo, videt Dominus: « Nam homo videt in faciem; Deus autem intuetur cor[1]. » Cæterum pugnantium est, cæstum pugnamque non admittere. Qui autem passionibus acquiescit, quomodo adversus illas decertabit? præsertim cum jam se servum vendiderit voluptatibus, omnique cum benevolentia tyranno vectigalia pendat. Ubi enim inimicitiæ, ibi bellum: et ubi bellum, ibi certamen: et ubi certamen, ibi coronæ. Porro si quis ab acerba liberari velit servitute, bellum cum diabolo committat oportet. In quo quidem bello victores effecti sancti, cœlestibus digni sunt habiti bonis. Sed nos interpellans forte quis dixerit: « Si igitur ubi adversus passiones sunt inimicitiæ, ibi et bellum fieri solet, quomodo libidinosos vehementer ab inutilibus passionibus impugnari cernimus, cum tamen non permittuntur iis resipiscere?

IX. Non arbitror ego, charissime, bellum hoc secundum virtutem fieri, et ad resistendum tyranno; sed ad obsequendum passioni voluptatum atque libidinis: unde neque voluntate ab inimico separantur. Nam qui bellum gerunt, nulla sunt inter se concordia vel fœdere conjuncti, sicut ad Saül dicit alienigena: « Date mihi virum, et » descendamus in singulare certamen: et si percusserit » me, erimus vobis servi: si autem ego percussero eum, » vos servi nobis eritis[2]. » Cum igitur hi se ipsos mancipaverint voluntati ac voluptati inimici, quomodo belligerare inter se dici poterunt? Quod si impugnantur, non tanquam de virtute solliciti decertant, sed eo inopiæ atque necessitatis adacti, et quidem merito, ab eo qui commercium conciliavit iniquitatis: unde et se ipsos præcipitant, qui studium omne in ejusmodi collocant, talibusque acquiescentes, etiam dona conferunt, ac stipendia persolvunt,

[1] 1 Reg. xvi, 7. — [2] Id. xvii, 8, 9.

ut voluntatem ejus, qui ipsos decepit, perficiant. Quamobrem nulla in iis, ubi malum et scelus offenderint, est vis discernendi, aut continentia, aut a malo abstinentia. At Sanctorum bella atque certamina non sic se habent. Nam dum oppugnantur, resistunt : dum incontinentiæ flamma incenduntur, continentiæ remedium adhibent : ac dum vexantur, sustinent, ipsamque materiam præsentem aversantur propter timorem Domini. Illi vero oppugnantur, non quasi contraria tyranno sapiant; sed ut consueta vectigalia reddant, pravarumque voluptatum functiones exerceant. « A quo enim quis superatus est, hujus et servus » est [1]. » At ex certatoribus si quis etiam supplantatus fuerit, citius resurgit. Nam qui a barbaris detinentur, et tyrannicæ subjecti sunt potestati, non omnes gaudent eorum servitute, a quibus sunt capti : sed ii, qui direptionibus et cædibus delectantur, hi soli læti ac hilares permanent absque vinculis atque carceribus, cum passione teneantur : quare et pro barbaris pugnant, ac exploratores adversus contribules constituuntur : morum enim improbitate cum barbaris copulantur. Qui vero super populatione ac desolatione consanguineorum anguntur, perditionemque animæ suæ lugent, hi fugere conantur, ægre ferentes impium illud vivendi genus, occasionemque observant recuperandi libertatem illam, qua olim fruebantur, et nulla cum adversariis benevolentia conspirant. Quare ex illorum manibus erepti, adversarii impiorum erunt, pietatis propugnatores facti.

X. Tempus igitur pœnitentiæ instat : quare qui ab illa injuria, acerbaque servitute volunt liberari, resistere eos oportet voluntatibus tyranni, et oppugnare ipsum propter charitatem Creatoris. Tunc enim periculum præclari capient certaminis, virtutis sudores distillantes, quando non

[1] 2 Petr II, 19.

labiis duntaxat, sed et cordis affectu ad eum dicent : « Notum sit tibi, diabole, nos voci tuæ aurem non præbituros, nec voluptatibus tuis amplius servituros. » Oportet autem in certamine supplices ad Deum voces emittere cum iis, qui dicunt : « Quoniam non est confusio confidentibus in » te [1]. » Et nunc sequimur te toto corde, ac timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos, sed fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Erue nos secundum mirabilia tua, et da gloriam nomini tuo, Domine : et confundantur omnes, qui ostendunt servis tuis mala, et confundantur ab omni potentia, et robur eorum conteratur : et sciant quia tu es, Domine, Deus solus, et gloriosus super universum orbem terrarum. Et licet vehementer insaniens tyrannus septuplo fornacem voluptatum succenderit; tamen confidant qui spem posuerunt in Domino, quod paulo post fornax in rorem mutabitur : et quem antea timuerunt tyrannum, ipse deinceps eorum umbram contremiscet propter auxilium, quod iis supervenit ab alto. Beati igitur qui sanctificationem custodiunt in humilitate atque misericordia : quoniam profunda perfruentur pace membra ipsorum, dum eorum anima in Spiritu sancto lætabitur. Nemo autem se quietem consecuturum confidat, si obsequentem se hostis voluntati præbuerit : quia ipse tyrannus iis tanquam mancipiis abutetur, ad quodcumque opus impium eos pertrahens [2] : aliorum quidem corpora sodomiticis actionibus corrumpens turpiterque commaculans; ut cum fœminæ congressu abstineant, persuadeat eis de virginitate sibi blandiri, cum tamen toto sint corpore coinquinati : atque in his, tanquam a peccato sint liberi, efficit inimicus, ut glorientur; dum amara eos uva et racemis acerbissimis explet atque infarcit [3].

[1] Psal. LXVIII, 7, et Dan. III, 40. — [2] Rom. I. — [3] Deut. XXXII.

XI. O acerbum atque difficile bellum! Quot modis efficit pessimus venator, ut nos homines ad iracundiam Dominum provocemus! Beati qui non inciderint in retia ejus; vel certe si inciderunt, disruperunt ejus laqueos, et exiluerunt ab eo profugientes, ut piscis e sagina salvatus. Nam piscis in aquis constitutus, si captus perruperit rete, seque in fundum impulerit, salvatur : at cum extractus in terram fuerit, sibi amplius opem ferre non potest. Sic et nos donec in hoc sæculo versamur, potestatem a Deo habemus disrumpendi a nobis vincula earum rerum, quas cupit inimicus, abjiciendique grave onus peccatorum per pœnitentiam, ac salvandi nos in regnum cœlorum. At si tremendum illud nos præoccupaverit edictum, et anima e corpore egressa fuerit, corpusque in sepulcrum illatum; non amplius nos ipsos juvare poterimus, quemadmodum neque piscis ab aquis extractus, et in vasculo conclusus sibi amplius opem ferre potest. Demus ergo operam, charissimi, ut inimici laqueos bonis evitemus operibus, antequam veniat dies illa magna atque illustris, in qua revelantur quæcumque in occulto ac tenebris egimus. Ne igitur expectemus, donec mors venerit : ut non confundamur in resurrectione mortuorum, quando amicti conspicientur Sancti stolis candidis, quas sibi per bona patrarunt opera. Si nos ipsos tunc conspexerimus non solum resplendente nudatos gloria; verumetiam denigratos, ac fœtore plenos : qualis putas nos occupabit confusio? Despiciamus pravæ concupiscentiæ opus, et tanquam rem nihili, vincamus exiguum istud pietatis amore, et ne in minimo cernamur reprobi. Magnum naufragium peccati opus. Enitamur igitur, ne tali tantoque periculo succumbamus. Nos enim propria negligentia a passionibus opprimimur, sine labore atque molestia ulla vivere volentes, et importunas causas in nobis ipsis effingentes : dum hic quidem ait : « Ab in-

fantia in monasterio commoratus sum, et ideo acrius mihi passiones inhærent. » Sed audiat talis, quod multi Sanctorum a juvenili ætate bonum certamen decertantes, voluptates proculcarunt. Alius autem rursus : « In mundo, inquit, educatus sum, multorumque malorum periculum feci, unde et consuetudo compellit me ad appetitus. » Audiat quoque iste multos Sanctorum, qui antea improbis pejorem vitam duxerant, demum vivendi modum mutantes, optimos extitisse, ac Deo charos et acceptos. Paruerunt enim ex animo dicenti : « Noli æmulari in malignantibus, » neque zelaveris facientes iniquitatem : quoniam tanquam » fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera her» barum cito decident [1]. » Malignus ille suis nos præstigiis ad noxia quæque impellens fascinat, ad divini timoris contemptum studens nos adducere. Cæterum nos acrioribus cogitationibus atque consiliis venenum ipsius repellamus, gratia Domini nostri Jesu Christi nobis cooperante : cui gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

ADHORTATIO IV.

XII. Dixit quidam Sanctorum : « Meditare bona, ut ne mediteris mala : » siquidem mens non patitur otium. Demus igitur mentem nostram meditationi divinorum eloquiorum, orationibus, bonisque cogitationibus. Nam meditatio vana vanitatis opera suscitat : at bona meditatio fructum bonum reddit. Revolvamus et hoc mente, quod multi tyranni regiones atque munitiones varias occuparunt, quorum jam fama extincta jacet, et perierunt, quasi non fuissent [2].

[1] Psal. XXXVI, 1, 2. — [2] Eccli. XLIV, 9.

Quam multi reges imperium multarum habentes gentium, erexerunt sibi imagines atque columnas, arbitrantes per similia se nomen post exitum ex hoc sæculo comparaturos! et supervenerunt alii, qui, illorum eversis simulacris contritisque statuis, proprias imagines substituerunt : verum et illorum quoque opera ab aliis evertentur. Alii porro præclara sibi extruxerunt sepulcra, opinantes se his sibi nomen æternum firmaturos, sua in epitaphio insignia formamque describentes. Successit alia ætas : datus est alteri potestati dominatus, et ager. Hi vero tumulum expiare cum vellent, ossa eorum instar lapidum transtulerunt. Et quid iis adeo præclaræ ac sumptuosæ sepulturæ, pyramidesque profuerunt? Cuncta igitur vanitatis opera in nihilum desinunt. Qui vero in Deo ditari, et in ipso celebrari malunt, non sic : nam vitam sibi æternam gloriamque indissolubilem parant. Quemadmodum enim lumen solis, ac lunæ, chorique astrorum ad hoc usque tempus non est obscuratum, neque inveteratum, a creatione eorum huc usque : et omnis quidem carnis generatio ac sanguinis, instar frumenti maturi, quod suo tempore metitur, contrahitur; lumen autem solis, ac lunæ, atque stellarum eodem modo novum ac recens permanet, viget et enitescit juxta determinationem Creatoris, qua iis definivit, ut diei ac nocti præessent [1] : sic et diligentibus ipsum constituit regnum cœlorum, gaudiumque sine fine duraturum. Et sicut in hoc verus, ita et in illo veracissimus. Atque ista quidem præteribunt, quando voluerit Creator; gloriæ autem Sanctorum non erit finis.

XIII. Studeamus ergo fructus facere pœnitentiæ [2], ne a gaudio illo exclusi, emittamur in terram tenebrosam ac caliginosam, in terram tenebrarum æternarum. Ingredere, si videtur, in cubiculum tuum, et occlude ostium cum fe-

[1] Gen. I, 16, et Psal. CXXXV. — [2] Matth. III. Luc. V.

nestris; oppila autem et quæcumque pellucentia; et sede intus, aspiciesque quantum habeant dolorem tenebræ, ubi sine labore et tormento versaris, atque arbitratu tuo potes, cum volueris, aperire atque exire. Qualem igitur habere tibi dolorem videntur tenebræ illæ exteriores, ubi fletus ac stridor dentium[1]? Considera intus caminos tui ipsius foci, et attolle oculos versus ortum solis, ac cerne differentiam, tenebrarumque opera fuge. Vitium tenebræ, virtus vero lumen est. Vitium dum investigatur, suos denigrat operarios; at virtus, dum exercetur, suos cultores illustrat. Ne existimes, charissime, te solum præ cunctis hominibus affligi: nam omne caput in labore, et omne cor in mœrore. Et quemadmodum fieri nequit, ut aliquis super terram effugiat hunc aërem: ita impossibile est homini, quandiu in hoc sæculo est, tribulationibus atque molestiis non tentari. Et ii quidem, qui terrenis rebus distrahuntur, per hujusmodi quoque affligentur: qui vero spiritualia consectantes, in spiritualibus laborant, hi beati erunt: fructus enim ipsorum multus in Domino. Patientia perfecta tibi sit, in quo vocatus es opere. Firma anchoras ac funes, ne in pelagus paulatim navis tua impellatur; et tunc docebit te experientia, quasi pace in portu constitutus fruereris. Mundus assimilatur pelago; portus vero est vita religiosa. Noli esse amator evagationis, sed potius per patientiam ex aliorum scandalis, dum peregrinantur, lucrum cape. Atque ut hoc quoque dicam, quando universum obierimus mundum, nonne tandem nos cella manebit, si salutem assequi voluerimus? Si porro in cœnobio non perseveramus, et dum soli sumus, non quiescimus: ubi igitur nostrum diversorium erit? Simile hoc illi est, qui dicit se neque solis calorem ferre posse, neque etiam umbram. Et ubi tandem consistemus? Vereor equidem ne caminus ille nos exci-

[1] Matth. VIII. Luc. XIII.

XIV. Quare caveamus nobis ab acedia, neve laboris tædium consectemur. Si vincti Salvatoris nostri Dei sumus, ne vincula tribulationum erubescamus, sed cum gaudio illa sustineamus, adventum ejus e cœlo expectantes, ut nos choro Sanctorum ascribat. Qui enim passionum ipsius socii fuerint, etiam consolationis participes erunt[1]. Si quis porro opus laboris ægre ferat : quot sunt secundum mundum manibus ac pedibus laborantes, homines divites, multisque stipati, qui neque noctu, neque interdiu quiescunt, necessitate laborum oppressi, et velut catena quadam ac vinculo constricti. Possideamus igitur laborem voluntarium, et patientiam spontaneam propter timorem Dei : et non negligamus tolerantiam, humilitatem, continentiam, compassionem : compassionem autem dico, non ut in malitia proximo consentias, verum ut fratri in rebus spiritualibus coopereris ad compunctionem excitandam ac lacrymas. Et si non appareat lacryma, contritio tamen cordis perseveret : nam et in lacrymis differentia reperitur. Beatus autem, qui Dominum propriæ animæ suæ speculo contemplatur, effundens laudem ejus cum gemitu coram bonitate ipsius : quoniam exaudietur deprecatio ejus. In medium tibi affero aliud depositum in Domino, tanquam homini Dei et salvari cupienti.

XV. A refectione surgens, noli vagari per cellas, sed in tua cella quiesce : multos enim diabolus per vinum decipit. Quare post refectionem in alia cella versari, signum est audaciæ et perversitatis. Nam ex consessionibus hujusmodi proveniunt ruinæ animarum, et potissimum cessante præfecti baculo : nam qui divino nolunt timore suam refrenare mentem, humano terrore indigent, ut saltem per hunc ab inutilibus abstineant, quemadmodum servus temperate modesteque se gerit ob severitatem domini. At-

[1] 2 Cor. 1.

tende igitur tibi ipsi, et negligere noli : nam si in vino sapiens et prudens tibi videaris, nec tibi nec aliis proderis. Si universam sacram edidicisti Scripturam, vide ne forte animo efferaris : omnis quippe Scriptura divinitus inspirata humilitatem animi edocet. Qui autem contraria iis, quæ didicit, sentit aut agit, prævaricatorem sese eo ipso constituit. Si spiritus superbiæ, aut ambitionis, divitiarumve te conturbet, ne abripiaris; quin potius strenue maligni ac fraudulenti spiritus impugnationi ex adverso resiste. Considera vetera ædificia, inveteratasque imagines, ac ærugine consumptas columnas : tecumque cogita atque aspice, ubi jam sint prædictorum possessores, atque artifices ; et stude placere Domino, ut regno cœlorum reddaris dignus : « Quia omnis caro ut fœnum, et omnis gloria » hominis tanquam flos fœni [1]. » Quid majus, honorificentiusve regno? cujus appetitores propter varios in eo casus atque infortunia, illud spreverunt, et sibi ipsis insidias pararunt, mortem vitæ præferentes : quoniam Deum non exquisierunt, neque speraverunt in salutare ipsius. Qui autem cœlesti regno reperiuntur digni, nullo istorum tentabuntur, in pace atque exultatione in cœlo cum Angelis degentes, et citra dolorem, mœrorem, gemitumque cum gaudio atque lætitia collaudantes, ac superexaltantes, magnificantesque Regem cœlorum, et Dominum universæ terræ. Cui convenit laus, gloria, et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Isaï. XL, 6. I Petr I, 24.

CAPITA X.

De virtute.

PROLOGUS.

Necessarium duxi, charissime, et alia quædam cum his congruentia in hoc commentario addere, ut legens depreceris Dominum pro me peccatore atque operibus confuso, ut mihi peccata remittat, faciamque fructum ei gratum, antequam edictum veniat tremendum de anima mea e corpore tollenda : quando omnis humanus apparatus et ornatus evanescet. Væ tunc ei, qui Dominum Deum nostrum offenderit, neque resipuerit. Requiret enim tempus in negligentia deperditum, et non inveniet. Ploremus igitur coram Deo nostro, ut miserationes ab ipso obtineamus. Donec tempus habemus, parcamus nobis ipsis, et placare Dominum studeamus. Non est nobis certamen de pecuniis, quarum jacturam licet quis fecerit, alias pro illis rursus comparare sibi poterit. De anima nobis periculum, quam si perdiderimus, non amplius recuperare poterimus, juxta quod Scriptum est : « Quid proderit homini, si mundum » universum lucretur ; animæ vero suæ detrimentum patia- » tur? aut quam dabit homo commutationem pro anima » sua ? Filius enim hominis venturus est in gloria sua, et » tunc reddet unicuique secundum opera ejus [1]. » Si ergo datur retributio, nullaque opera nostra latere possunt Deum; quare non operamur bonum, ut bonum bonis retribuatur; abstinemusque a malo, ne mala nos invadant?

[1] Matth. XVI, 26, 27.

sicut scriptum est : « Recede ab iniquo, et non timebis, et » tremor non appropinquabit tibi[1]. » Dicere erubesco, et tacere nequeo, ob meam meique similium ignavorum negligentiam; quod milites hujus sæculi, misera a rege dona accipientes, prompte alacriterque ad mortem usque pro ipso periculis se subjiciunt : quanto magis nos, quibus tales factæ sunt promissiones, debemus non cessare ab operibus justitiæ, ut a venturo salvemur judicio; ne tanquam inimica utamur nostra anima, quam sibi vindicat Deus. Cogitemus quomodo ardorem solis, vehementiamve febris tolerare nequeamus, et quo pacto inextinguibilem illum ignem pro nihilo ducimus? Deus autem suo nos consilio dirigat, manuque sua forti nos protegat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT I.

Beata civitas, quæ a piis regitur, et navis, quæ a peritis gubernatur, et monasterium, quod a continentibus administratur. Væ autem civitati, quæ ab impiis dirigitur, et navi, quæ ab imperitis gubernatur, ac monasterio, quod ab incontinentibus administratur[2]. Nam et civitas replebitur barbaris ob impietatem eorum, qui eam tenent, et navis confringetur propter imperitiam gubernatorum; monasterium autem desolabitur ob ignaviam administrantium.

[1] Isaï. LIV, 14. — [2] Eccli. X, 16, 17.

CAPUT II.

Si sub obedientia spiritualium Patrum consederis, non, cum tibi ministratur, et assentationis verba audis, apparet fidei tuæ stabilitas ac firmitas : sed quando contemptus, atque percussus sustinueris; nam etiam fera cum demulcetur, merito mansuescit, atque mitescit. Ne itaque erga corripientem et instituentem te amarulentior fias : si nimirum cupis vas electionis evadere; sed scias obedientiæ in Domino, ac humilitatis profectum, quoniam huc progressus es, nempe si ejus gloriam cognoscens, eam tibi delegisti. In hac, frater, Sanctorum vita illustris est et magnifica. Moyses enim servus Domini, etsi doctrina Jethro non erat imbutus, verumtamen illi se subjecit, atque servivit [1], quamvis in Ægypto satis esset eruditus. Jesus quoque Nave filius perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, ut Moysis successor fieret [2]. Et Samuël per obedientiam, quam Heli sacerdoti præstitit, dignus habitus est, qui vocem Dei audiret [3]. Elisæus vero hujus virtutis adminiculo pallium et gratiam sui accepit magistri [4]. Quid porro homines similes nobis, passionibus subjectos, commemoro? Ipse quoque Deus Verbum incarnatum vitam in humilitate et obedientia traduxit, sicut nos docet Evangelista, dicens : « Et erat subditus illis [5]. » Rursus autem et Apostolus ait : « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mor» tem, mortem autem crucis [6]. » Quinetiam quotquot vivendo nolunt bonam parentum tolerare disciplinam, non levi se periculo exponunt. Plerique enim, qui in civitatibus

[1] Exod. III, 1. — [2] Deut. XXXIV, 9, et Jos. I, 16. — [3] 1 Reg. III, 4-14. — [4] 4 Reg. II, 13. — [5] Luc. II, 51. — [6] Philip. II, 8.

a magistratu puniuntur, propter inobedientiam, atque contumaciam, duramque cervicem, fustibus cæduntur. Quin et puellæ nolentes bonis morem gerere admonitionibus, et verecundia, ac pudicitia abjecta, in plateis, vicisque turpem vitam traducentes, in summa sunt infamia : quæ autem intentæ sunt operi, et silentio, atque pudicitiæ vacant ; ab hominibus quidem honorabuntur, a Domino autem glorificabuntur. Bonum incœpisti opus : in eo persiste, ut magnificeris a Domino cum mansuetis et humilibus in regno cœlorum.

CAPUT III.

Si ad dimidium frater tuus perduxerit opus aliquod, contigeritque ipsum in morbum incidere, tuaque opera indigere in opere, curam ejus suscipe, omni cum humilitate patienti compatiens. Postquam vero sanitatem is recuperavit, ne fratris tui appetieris opus ; ne forte tibi ipse a Domino et hominibus damnationem asciscas. Sed fortasse suggerit cogitatio, non sine divina providentia id accidisse, ut ille se male habeat, et ego interim hoc consequar. At cur non bonum illud cogitasti ; quod scilicet divino id factum sit permissu, ut cujusmodi voluntate sis, demonstres, tui-ne ipsius, an fratris amator ? Quod si a morbo liberatus ipse recusaverit, rem bona conscientia, cum permissu tamen præfecti, accipe, ut bonum habeas testimonium ab his, qui foris sunt[1]. Justitia enim indiget pietas. De sanctissimo quippe Simeone, qui Salvatorem in ulnas suas accepit, scriptum est : « Quod esset justus et pius[2]. »

[1] 1 Tim. III, 7. — [2] Luc. II, 25 et 28.

CAPUT IV.

Firmo ac stabili corde simus, charissime; nam virtuti adversatur segnities. Ne igitur exigua nobis ingruente acedia, evadamus pusillanimes : verum vim nobis ipsi inferamus, magnanimi viatoris instar; quippe cui cum defectio atque debilitas per viam accidit, non cadit animo, neque a scopo desistit propter longitudinem viæ; sed se ipsum consolatur, dicens : « Adhuc modicum restat viæ, et ad diversorium pervenies, atque quiesces. » Et Dominus vim ejus cernens, robur illi viresque præbet, viæque mollit, ac mitigat asperitatem. Segnities enim atque pigritia paupertatis conciliatrices sunt, non modo donorum spiritualium, sed etiam necessitatum corporalium.

CAPUT V.

Si ante cunctos in synaxim ac congregationem prodeas, ac persistas, donec absolvatur, ne in hoc te efferat cogitatio : quoniam et artifices multum studii, ac vigilantiæ in suo opere adhibent. Neque corpore duntaxat præsentem te exhibeas Domino, sed et cogitationes in corde humili colligito. Superbia enim latibulo similis est, in quo draco libenter moratur, et eum, qui ad illud accesserit, interficit. Porro de non inebriando se vino, aut de mulierum consuetudine vitanda, superfluum mihi videtur tuæ significare pietati; quia manifestum est omnibus hoc a

virtute esse alienum. Necessarium est ergo non solum in hac parte impetum dæmonum observare, atque cavere: sed neque cum maribus conferre licet sermones lascivos atque effœminatos, qui animam in perniciem trahunt. Non tamen quod malum sit fœmina, ejus conversationem aversamur: sed quia facile est inimico per colloquia et conversationem mulierum nos subvertere, et ad transgressionem divini mandati inducere. Quocirca nos oportet undequaque observare malorum spirituum jacula, confidentes armaturæ, ac virtuti Spiritus sancti. Nam qui unam portam inimico præcludit, duas autem ei aperit, existimans se securum esse; fallitur hic, quisquis est. Necessarium est ergo, ut nos ipsos undique communiamus, nullamque occasionem præbeamus iis, qui occasionem quærunt. « Deus » enim non irridetur[1]: » et, « Horrendum est incidere in » manus Dei viventis[2]. » Cui gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

Frater quidam sub obedientia spiritualium Patrum residens, alium fratrem adiit, dixitque: « Cupio relinquere Patres meos spirituales, et per me tranquille degere. » Ad quem ille: « Homo, inquit, quidam habebat filium, quem accipiens, tradidit in manus artificis, qui eum artem suam doceret: eratque puer distractus circa opus. Cumque post dies aliquot adolescens ad patrem suum accederet, dixit: « Pater, tolle me ab hoc magistro meo: per me enim magis artem apprehendere potero. » At pater ad ipsum: « Si

[1] Galat. VI, 7. — [2] Hebr. X, 31.

cum ab aliis, inquit, docearis et manuducaris, nihil didicisti, quid per te solum præstare poteris, o fili, qui non addidicisti, neque obedivisti, quemadmodum oportet? video te male erga artem, quam addiscis, affectum, o fili, metuoque ne forte frustra in te laboraverim. Arripe igitur opificium tuum, sicut oportet, fili, ut in arte exercitatus, ipse tibi requiem invenias: nam ineruditis disciplinæque expertibus occurrit mors. » Quapropter et nos, charissime, caveamus a nobis abjicere jugum obedientiæ in Christo, ne forte non placeat Deo: cumque in tentationem inciderimus, non sit qui auxilietur nobis. Quando enim Agar ancilla Saræ aufugit a conspectu dominæ suæ, inveniens eam Angelus Dei, dixit ad ipsam: « Revertere ad dominam » tuam, et humiliare sub manu illius [1]. » Fecitque illa, sicut dictum erat ad eam. Cum vero adesset tempus ejus, assumpto commeatu, dimissa est cum fiducia una cum filio suo: oberranteque ipsa per solitudinem, adeo ut siti peritura videretur simul cum filio suo Ismaël, non despexit eam Deus [2]. Oportet ergo et nos patienter perferre tribulationes, tanquam Domino servientes, et non hominibus. Ideoque dum sub obedientia versamur, ne opera inobedientiæ agamus, ne et nos patiamur, quemadmodum passus est Giezi minister prophetæ Elisæi [3]: quin potius per piam religiosamque obedientiam fructum reddamus perfectum Domino nostro Jesu Christo: cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

[1] Gen. XVI, 9. — [2] Id. XXI, 17 et seqq. — [3] 4 Reg. V, 27.

CAPUT VII.

I. Si quis ad te accesserit secreto, dicens : « Conveniamus inter nos, ac simul fœdus et amicitiam incamus, ut si quid dixero tibi, me sine ulla contradictione audias : » deinde etiam post jusjurandum si te in peccatum inclinare atque subvertere voluerit, ne morem geras illi, quamvis magnifica protulerit, seque ipsum humi prostraverit, ut violes Dei præceptum, supplicans. « Noli acceptor esse » personæ adversus animam tuam [1]. » Novit quippe diabolus non tantum ista subornare; sed etiam e Scriptura afferre, carnisque infirmitatem allegare, ac multa alia comminisci, ut hominem prævaricatorem mandatorum Dei efficiat, habeatque quod contra eum glorietur. At nos tali illius studio, inanique labore edocti, ad pietatem fortes in proposito susceptoque consilio erimus. Nam si illi, dum propriam cupiunt voluntatem perficere, aut potius operantis in eis diaboli, tantum studium artemque exercent, ne suo frustrentur instituto, quanto magis eos, qui spiritualem exercent vitam, decet peritiores ac vigilantiores esse, ut ne adversus eos glorietur diabolus? Atqui oportebat non jurare omnino ob præceptum Salvatoris nostri Dei [2]. At nunc abreptus es verbis? ne parvi facias. In manus enim malorum venisti propter amicum tuum. « Ne dederis som» num oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis, ut » salveris, tanquam damula e laqueis, et quasi avis de » reti [3]. » Verumtamen ne cadas animo, neque confundaris : est enim emendatio sententiæ, si de cætero præ oculis ha-

[1] Eccli. iv, 26. — [2] Matth. v, 34. — [3] Prov. vi, 4, 5.

beas Dominum. Attende igitur tibi ipsi : non enim obnoxius es jurijurando, si te ipsum a malo elongaveris. Nam ipse, qui Evangelium in mundo prædicavit, propter nimium suum in homines amorem, ipse, inquam, Dominus mandavit hominibus, ut pœnitentiam agant, abstineantque ab omni peccato [1]. Videndum igitur ne, dum voluptates nostras explere desideramus, jurisjurandi prætextum adducamus, quasi amplius nos ex inimici retibus subducere nequeamus [2]. « Deus non irridetur [3] : » cupientibus salvari manum porrigit. « Declina ergo a malo, et fac bonum [4] : » sicque sermonem servaveris, secundum eum, qui dixit : « Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam » sermones tuos [5].

II. Vis autem ut plenam perfectamque tibi fidem faciam, quod verbis non sis obnoxius? si mala vitaveris, bona autem egeris, subtraxerisque te ab omni homine ambulante inordinate [6]. Audi parabolam, aut potius exemplum. Homo quidam habebat filium, qui patrem suum vehementer honorabat, studebatque omnia ejus præcepta servare, eique in cunctis obsequebatur. Alius autem quidam invidia ductus super profectu junioris, occulte accedens, dixit ei : « Jura mihi adversus patrem tuum, quod quæ tibi sum dicturus, facies, servabisque absque omni contradictione. » Atque ille, non recte agens, juravit ipsi. Deinde post hoc dixit ad eum : « Vade, ac dedecore patrem tuum affice, ipsumque plagis cæde, et noli amplius revereri conspectum ejus : et quæcumque tibi mandaverit non facienda, facito : quoniam jurasti mihi, et non poteris non obedire iis, quæ tibi a me dicta sunt. » Sed numquid tantam sustinebit dementiam, aut potius impietatem filius, et non despiciet iniquissimum consilium illius, propter cultum ac reveren-

[1] Matth. III, 2. — [2] 1 Thess. V. — [3] Galat. VI, 7. — [4] Psal. XXXIII, 15. — [5] Id. CXVIII, 101. — [6] 2 Thess. III, 6.

tiam erga patrem? ad eumque respondebit : « Video te hominem non verum nec justum esse, sed inimicum patris mei, animæque meæ insidiatorem. At me non decipies, sicut serpens sua calliditate Evam [1] : neque me ad impietatem versuta tua improbitate compelles. Nolo ut me accusare vel reprehendere pater possit, quod tuæ impietati paruerim. Despicio itaque consilium tuum nefarium ob patris mei reverentiam, animæque meæ salutem : auresque meas crucis signaculo obsigno, ne amplius intret in aures meas verborum tuorum virus : ipsamque tuam consuetudinem vitabo, propter dolum in te latentem. »

III. Admonet quoque nos Apostolus, ut subtrahamus nos ab omni fratre ambulante inordinate [2]. Nam Deus malis actionibus non colitur. Ne igitur abduci te a scelestis hominibus patiaris, charissime, ut non exacerbes patrem tuum, qui in cœlis est, contraria præceptis ejus agendo, et non habeas excusationem in die judicii. Propter transgressionem enim mandatorum sancti Evangelii, Deum provocas. Attende tibi ipsi, summam sermonis per Prophetam edoctus ; ait enim Propheta : « Juravi, et statui, » non quidem transgredi præcepta tua, et cuncta judicia tua ; sed, « Juravi, » et statui custodire mandata tua, et omnia judicia justitiæ » tuæ [3] : » Rursusque ait : « Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi [4]. » Et in hoc per Dei misericordiam magnas evitabis tentationes atque pericula. In illo autem eveniet quod scriptum est : « Convertetur labor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas » ejus descendet [5]. » Charitatem igitur ac unionem posside, non quidem per juramenta, et blanditias, aliave prohibita, coactam ; sed quæ secundum Deum sit, et ex animi affectu directa : quippe in qua nihil iniquum aut coactum obrepit.

[1] Gen. III. — [2] 2 Thess. III, 6. — [3] Psal. CXVIII, 106. — [4] Ibid. 163. — [5] Id. VII, 17.

Eritque gratia Domini nostri Jesu Christi tecum. Cui gloria et imperium in sæcula. Amen.

CAPUT VIII.

I. Devita consessum hominum hæreticorum ac libidinosorum, nihil fidele loquentium. Nam instar sagittarum, sermones ipsorum vulnerant corda. Novi quosdam sermonibus animas pervertentes; cujusmodi quidem homines fortasse per symbola quædam, seminis fluxu laborantes et leprosos Scripturæ sermo appellat [1]. Quemadmodum enim qui seminis fluxu laborat, immundum reddit, secundum legem, ubicumque consederit, vel quodcumque consputaverit : sic et horum impurus fluxus animæ male affectæ, sermonumque consputatio execrabiles reddit suscipientes, et fortasse illorum depravata animi affectio cum eo, qui lepra laborat, comparanda est, sicut jam dictum est. Et omnis quidem Sanctorum cœtus zonam habebat lumbos constringentem, asperitatem vitæ demonstrantem : nam armaturam Spiritus sancti possidebant, et undequaque virtute sancti Spiritus confirmati erant. Istos autem ex propria negligentia hoc dono cernimus nudatos; nec lumbi ipsorum cogitationibus castis coërcentur; verum cuncti eorum mores dissoluti, atque corrupti sermones, actionesque. Atque is quidem, qui circa fidem laborat : « Quid noceat, inquit, cum quovis homine versari, sive recte credat, sive male sentiat, modo sanam nos fidem teneamus? » At qui voluptatibus ventris indulgent, his quæ infra ventrem sunt dicent : « Et quid obesse poterit edere,

[1] Lev. xv, 22.

ac bibere, et deliciis frui? » Mala est corporalis concupiscentia : malum est concupiscere rem alienam, seu furari. Et si quando de his quoque coarguantur, iterum dicent : « Necessitate coactus hoc feci. Furatus sum, ut esurientem explerem animam. » Quid hoc dicto impurius? aut ejusmodi lepra turpius ac indecentius? Ideo non permittit sermo divinus execrandas hasce cogitationes in sanctarum animarum castris versari : sicut neque lepræ contactu notatos sinit Lex tentoria figere in medio castrorum filiorum Israël. Etenim turpissimum revera in medio illustrium atque sanctarum cogitationum morari; et immundis interim cogitationibus aditum præbere. Dissolutionem autem, ac turpitudinem, corruptionemque operum ipsorum, atque indecens propositum, et inverecunda ac inexcusabilia eorum opera innuens, dicit : « Quicumque tactus fuerit lepra, vestimenta ejus dissuta sint, et caput ipsius revelatum, et circa os ejus contegatur, et immundus vocabitur omnibus diebus, quibus fuerit super eum lepræ contactus et immundus cum sit, immundus erit, separatusque sedebit, et extra castra erit conversatio ejus [1]. » Ex his sunt, qui dicunt : « Comedamus, et bibamus ; cras enim moriemur [2]. » Sunt autem isti hominum, qui a veritate aberrant, sermones, atque etiam hæretici sensus.

II. Nam hæretici suum volentes confirmare errorem, ex divinis Scripturis loca atque testimonia depromere conantur, ad corda obedientium ipsis pervertenda, ad quos pulchre et magnifice quidam Sanctorum enuntiavit, dum sic docens ait : « Cum sit igitur tale illorum argumentum, quod neque Prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apostoli tradiderunt, quod abundantius glo riantur plus quam cæteri cognovisse, de iis, quæ non sunt

[1] Levit. XIII. — [2] Num. XII. — [3] Levit. XIII. — [4] Isai. XXII, 13, et I Cor. XV, 32.

scripta, legentes; et quod solet dici, de arena resticulam nectere affectantes, fide digna aptare conantur iis, quæ dicta sunt, vel parabolas dominicas, vel dictiones propheticas, aut sermones apostolicos, ut illorum figmentum testimonio non carere videatur. Ordinem quidem, et textum Scripturarum supergredientes atque transilientes, et quantum in ipsis est, solventes membra veritatis. Transferunt autem, et transfingunt, et alterum ex altero facientes, seducunt multos ex eis, quæ aptant ex dominicis eloquiis, male composito commento. Quomodo si quis regis imaginem bene diligenterque fabricatam ex gemmis pretiosis a sapiente artifice, solvens subjacentem hominis figuram, transferat gemmas illas, et reformans, faciat ex iis formam canis, aut vulpeculæ: et hanc male dispositam, dehinc distinguat disterminetque, et dicat hanc esse regis illam imaginem bonam, quam sapiens artifex fabricavit, ostendens gemmas, quæ bene quidem a primo artifice in regis imagine compositæ erant, male vero a posteriore in canis figuram translatæ sunt: et per gemmarum phantasiam decipiat idiotas, qui comprehensionem regalis formæ non habeant, et suadeat hanc turpem vulpeculæ figuram, illam esse præclaram regis imaginem. Eodem modo et hi anicularum fabulas assumentes, deinde sermones, et dictiones, et parabolas hinc inde avellentes, aptare volunt fabulis suis eloquia Dei [1]. » Itaque sufficienter exemplis edocti, fugiamus perversos hæreticorum sermones, imitationemque eorum, qui in luxu ac lascivia vivunt, etsi ex Scripturis testimonia proferre videntur; ut fide, et operibus sani, fructum referamus perfectum Domino nostro Jesu Christo. Cui gloria in sæcula. Amen.

[1] S. Irenæus, lib. 1, adversus hæreses, cap. 1.

CAPUT IX.

Considera habitum, quo indutus es, o humilis monache, et cerne quantum sit inter hunc, sæcularemque discrimen, diligenterque animadverte quidnam iste designet. Constat quippe, quod sæcularium morum rerumque significet abjectionem, spiritualiumque operationum recordationem afferat. Noli igitur virtutem negligere, sed totis viribus sanctificationem procura; quoniam ideo e mundo egressus es. Acquire ergo tibi castitatem, ut inhabitet in te Spiritus sanctus. Audi bonam in Domino admonitionem, charissime, et hanc nequaquam spernas, ut quietem in te invenias. Noli animum convertere ad detestabiles concupiscentias, assentationesque vanas. Ne quis te fallat verbis inanibus, et ne zelaveris in malis, neque erratis attendas alienis. Te castum custodi, et si jam cœpit in te peccati flamma incendium excitare, eam lacrymis restingue: salvat enim eos Dominus, qui ad ipsum convertuntur. Hæc igitur tibi a Domino deposce; nam eos Dominus diligit, qui in sanctitate ipsi serviunt. Possessio pretiosa est puritas in cogitatione recta : hanc si amaveris, a Domino glorificaberis, et in omnibus prosperaberis. Ista audiens, vide ne diabolus oculos mentis tuæ vanis cogitationibus claudet; non enim ille te adjuvabit, quando ab Angelis traheris improbis, qui certe ne sibi quidem ipse opem ferre potest. Illi enim parata est gehenna, et Angelis ejus [1] : at tibi gaudium paradisi præparatum, si ab operibus ipsius recesseris. Tunc lætatur diabolus, quando vitam turpiter degis; dolet autem,

[1] Matth. xxv, 41.

quando in bonis te viderit proficientem actionibus. Ne ergo jam dictam virtutem despexeris : in ejus enim exercitio parum laboris atque molestiæ capies. Verum confide, quoniam cito fructus ejus comedes. Si autem utiles commonitiones male acceperis, in novissimis te pœnitebit, quando consumpseris carnes corporis tui, et dices : « Cur detestatus » sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor » meum : nec audivi vocem docentis me, et magistro non » inclinavi aurem meam ? Pene fui in omni malo, in medio » Ecclesiæ et synagogæ [1]. » Ne ergo salutem nostram negligamus, charissime ; neque æmulemur eos, qui in lascivia et superbia, ac sine timore vivunt. Nam confusio et improperium operient eos, qui oderunt Dominum. Dies nostri currunt, et finis appropinquat. Ploremus coram Domino Deo nostro, antequam tenebris concludamur exterioribus. Quomodo dies istos cum multis lacrymis poterimus quærere, si in malis eos transegerimus, nihilque omnino profuerimus ? « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies » salutis [2]. » Beati sobrii atque vigilantes, quoniam ipsi in exultatione coronabuntur. Beati qui lugent nunc, quoniam ipsi cum electis Dei consolabuntur [3]. Beati qui laborant in Domino, quoniam deliciæ paradisi eos manent : quibus concedatur nobis perfrui, intercessione omnium, qui complacuerunt Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Prov. v, 12-14. — [2] 2 Cor. vi, 2. — [3] Matth. v, 5, et Luc. vi, 21.

CAPUT X.

I. Vitam spiritualem consectemur, charissime, ut opere fidei cooperante, ex utrisque homo reperiatur perfectus. Ad theologiam vero tum demum vix erimus idonei, quando superando passiones, a nobis ipsi omnem affectionem carnalem exterminaverimus, nullamque occupationem mente retinuerimus. Tunc enim Spiritus sancti gratia requiem in nobis inveniens, intelligendique vim præbens, illuminabit corda nostra instar lucernæ instructæ, oleo et stuppa plenæ, in qua quidem ignis subjectam materiam apprehendens, lampadem accendet abunde exhilarantem, ac eos, qui adsunt, illuminantem. Si vero passionibus adhuc angimur et opprimimur, in iisque volutati dignitates petimus, non vulgariter periclitamur, lucernæ assimilati oleo et combustibili materia destitutæ, quæ ne ad breve quidem tempus calorem et efficacitatem ignis ferre poterit. Oportet ergo primum procurare præparationem ad intelligibilis luminis susceptionem, ut spiritualibus gratiarum donis digni reddamur. Vitam spiritualem sectemur, ut mens in potestatem Spiritus sancti redacta sanctificetur, una cum corpore per Spiritus participationem. Singulis diebus a Domino conpunctionis lacrymas efflagitemus, ut nobis de peccatis nostris flentibus, anima nostra a peccatorum corruptione revirescat. Non negligamus propriam animam. Fodiamus circa ipsam, stercora projicientes, ut emollita atque calefacta, fructum utilem referat Domino. Pro ligone Vetus ac Novum Testamentum habeamus, et stercorationis loco, ardorem sancti Spiritus. Istis curam geramus animæ, rigan-

tes eam lacrymis, ut sic exculta, lacrymisque irrigata, fructum reddat in justitia : ne ex negligentia dicamus et nos in separationis hora cum timore atque tremore, sicut rex Amalecitarum : « Siccine amara mors est [1] ? » Ezechias quia cum valeret, non neglexerat justitiæ opus, tempore angustiæ ac mortis consolationem apud Dominum invenit : nam cum mortis sententiam per Prophetam accepisset, convertit faciem suam ad parietem, et oravit Dominum dicens : « Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram » te in veritate et in corde vero, et quæ placita sunt coram » te feci [2]. » Flevitque Ezechias fletu magno. Et quid ad eum misericors Dominus ? Mox et e vestigio per Prophetam ad ipsum misit, dicens : « Audivi orationem tuam, et vidi la» crymas tuas : et ecce addo tempori vitæ tuæ quindecim » annos : sed et de manu regis Assyriorum salvabo te [3], » et reliqua.

II. Vides quale bonum sit non negligenter vivere, sed semper ante oculos timorem Dei habere? Magnus nobis timor ac tremor imminet. Demus et nos operam bonis operibus, ut tempore necessitatis ac tribulationis protectorem inveniamus Dominum. Prædictorum ergo non immemor, charissime, attende tibi ipsi, et vehementer custodi animam tuam, ne quæsita frustreris margarita. Pietatem et temperantiam ama, ut valde proficias. Si vero negligenter vivere incœperis, crapulæ et ebrietati te dando, exterminaberis simul cum iis, qui delicatis et conquisitis vescuntur cibis. Et primo quidem divinam in istis gratiam avertes. Deinde vero ab iis, qui te in his dissolutum atque impudentem cernunt, condemnaberis. Tertio, neque ipsa manuum cujusque nostrum industria ad tantos sumptus sufficiet. Inde porro enascuntur distractiones, curiositates, mendacia, injuriæ, divagationes, et erga eminentes ac su-

[1] 1 Reg. xv, 32. — [2] 4 Reg. xx, 3. — [3] Ibid. 5, 6.

blimes personas assentationes, ac quæcumque his similia. Unde maximum bonum est pietas et temperantia. Siquidem edacitas, victusque immoderatio dissolvit; temperantia vero ædificat. Atque ista sibi mutuo adversantur, nec se una admittunt. Si ergo pietatem ac temperantiam recta cogitatione dilexeris, omnibus ex partibus exaltaberis. Pietas enim seorsim habitare docet, et non diu extra cellam versari, neque vana suadentibus commisceri. Verum neque sis de splendido vestitu sollicitus, eoque distraharis : neque multa vestimenta conteras, quieti vacans. Temperanter autem vivens, de multis expensis non eris sollicitus, præsentibus contentus. Tribus enim, aut quatuor, sive quinque paxamaciis paucisque lentibus, cæterisve leguminibus, sive oleribus exigentem necessitatem exples : Dominumque in cunctis istis adjutorem habes atque cooperatorem, vires animæ tuæ bona spe impinguantem. Qui vero lascivis effusi sunt concupiscentiis, curis atque sollicitudinibus plena est omnis vita eorum. Quin et recordationis ipsius Dei oblivionem capiunt, quo pejus graviusque est nihil. Nam continua Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum, prætore accedente. Unde et mundum sancti Spiritus habitaculum efficitur. Ubi vero memoria Dei abest, ibi tenebræ ac fœtor dominantur, omnisque res improba exercetur. Existimo autem quasi gradus quosdam esse in iis, quæ tum ad carnalem vitam, tum ad religiosam virtuteque ornatam conversationem referuntur.

III. Et diabolus quidem malitiæ inventor, qui nostrum omnium interitu gaudet, efficit ut anima deorsum ad carnalia se inclinet : atque ita paulatim pertrahit, atque devolvit, agitque præcipites eos, qui non multum attendunt; donec ad ipsum inferorum profundum eos deducat, peregrinos, alienosque a regno cœlorum illos reddens. Unde Apostolus tanquam gradus quosdam ad infernum ducentes

enumerans, ait: « Manifesta sunt autem opera carnis, quæ » sunt : fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum ser-» vitus, veneficio, inimicitiæ, æmulationes, iræ, contentio-» nes, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, » comessationes, et his similia[1]. » Quis autem istorum finis, magna cum vehementia declarat, dicens : « Quæ prædico » vobis, sicut et prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum » Dei non possidebunt[2]. » Propterea necessarium fuerit totam nostram mentem ac cogitationem ad superna attollere, neque illam sinere deorsum ad vetita demitti.

IV. Si vero nos in aliquo supplantaverit inimicus, cito resurgamus : ne etiam ad reliqua nos mala pertrahat, paulatim convolvens, rapiensque nos ex uno lapsu in alium, et denique ad fundum ipsum perditionis atque desperationis subvertat. Si porro etiam nos in quæcumque prohibita inimicus deduxerit, ne in illis permaneamus, neque de nobis ipsi desperemus; cum liceat ista omnia per pœnitentiam transilire, et in ipsis pietatis septis consistere. Cæterum tunc vitæ mutationem, sinceramque nostram pœnitentiam cernens Dominus, quodque ipsum solum toto corde desideremus, et quæ grata atque accepta ei sunt, faciamus; non amplius ut servis loquetur nobis ; sed tanquam amicos veros, ad perfectiores sublimioresque virtutes nos invitabit, dicens : « Amice, ascende superius[3] : » id est, ad bonum, pulchrumque ascensum, in cœlos sustollentem, cujus gradus sunt fides, spes, charitas, cæterique fructus Spiritus : factique cives supernæ Jerusalem, gaudeat cor nostrum : audiumque nostrum nemo tollat a nobis[4]. Dominus autem Deus omnipotens suo nos deducat consilio, fortique manu sua nos protegat. Væ enim, et interitus homini non habenti Deum adjutorem sibi : quoniam non est alius præter Deum vivum : quia ipse est Dominus cœli et

[1] Gal. v, 19-21. — [2] Ibid. — [3] Luc. xiv, 10. — [4] Joan. xvi, 22.

terræ : et omnia quæcumque voluerit, facit in cœlo sursum, ac in terra deorsum, et in mari, et in abysso[1] : neque est ullus, qui resistere possit voluntati ipsius. Ipsi gloria, atque majestas, et magnificentia in sæcula sæculorum. Amen.

CAPITA XII.

In illud : Attende tibi ipsi.

PROLOGUS.

Debitores sumus, charissimi, ut nos inter nos admoneamus, et consolemur, secundum vocem Apostoli[2]. Dicit autem et alibi : « Scienti bonum facere, et non facienti, » peccatum est illi[3]. » Sed et Prophetam audi dicentem : « Ecce labia mea non prohibebo[4]. » Suscipite ergo consilium etiam vilitatis meæ, obsecro, et si quidem offendi verbo, ignoscite mihi tanquam homini rudi ac peccatori. Si autem recte sermones dicti sunt, hoc gratiæ opus est. Gratia igitur sermonem nobis suppeditante, non oportet cohibere labia. Malitiæ quippe pigritiam conjunxit Dominus, dicens : « Serve male et piger, oportuit te committere » pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem » utique quod meum est cum usura[5]. » Donet porro nobis Dominus, qui sermonem accipimus, fructus acceptos facere et offerre Domino : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXXXIV, 6. — [2] 1 Thess. V, 11. — [3] Jacob. IV, 17. — [4] Psal. XXXIX, 10. — [5] Matth. XXV, 26, 27.

CAPUT I.

Ausculta, charissime, qui venisti, ut monachus fieres, et sæculo renuntiare elegisti. Si legitime quod instituisti perfeceris, non modo super te gaudebunt homines, sed etiam Angeli Dei, sicut scriptum est: « Quoniam plus gaudium erit » in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam » super nonaginta novem justis, qui non indigent pœniten» tia [1]. » Quare legitime cœpisti? legitime perfice: et antequam te induas, intellige te in certamen venire. Quibuscum autem colluctandum sit, audi eum, qui dicit: « Non » est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem; sed » adversus principes, adversus potestates, adversus mundi » rectores tenebrarum sæculi hujus, contra spiritualia ne» quitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, » ut possitis resistere in die malo [2]. Ne ergo cursu defatigeris, donec bravium assequaris [3]. Mundum odisti? superbiam quoque ejus oderis. Divitias momentaneas abjecisti? abjice etiam divitiarum fastum. Parentibus tuis carnalibus valedixisti? in renuntiationis proposito persevera, generose virtutum labores perferens. Non enim ad unum duntaxat diem renuntiatio appellatur, sed extendit se usque ad mortem. Si vere victor evadere velis, disce fortiter tolerare virtutum molestias in mansuetudine sapientiæ. Nimirum a vilioribus injuriam atque contumeliam passus, ne irascaris: despectus, sustineas: colaphis exceptus, patienter feras: calumniis circumventus, longanimem te geras: depressus ac longe relictus, gratias agas. Vide enim civem tuum, La-

[1] Luc. xv, 7. — [2] Ephes. vi, 12, 13. — [3] 1 Cor. ix, 24.

zarum inquam, mendicum, in quanta inopia atque labore expectavit Dominum[1]. Respiciebat quippe in retributionem mercedis, sicut scriptum est : « Non enim sunt con» dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ » revelabitur in nobis[2]. » Quocirca et tu, charissime, qui Domini beatitudinem consequi desideras, per humilitatis viam incede : et donabit tibi Dominus coronam vitæ, quam repromisit diligentibus ipsum[3]. Quoniam ipsius est gloria in sæcula. Amen.

CAPUT II.

I. Duo viri proficiscebantur ad quamdam civitatem, quæ stadiis aberat triginta. Cum autem duo aut tria jam confecissent stadia, oblulit se in via locus, in quo sylvæ, et arbores erant umbrosæ, et fluenta aquarum, multaque ibidem delectatio. Qui dum contemplarentur ista, alter quidem ad urbem spectandam contendens, instar cursoris locum præteribat; alter vero cum constitisset, ut contemplaretur, remansit retro. Deinde cum prodire jam vellet extra arborum umbram, calores timuit : atque ita diutius ibidem dum remaneret, locique simul amœnitate sese oblectaret atque occuparet, bestia ex iis, quæ in sylva commorantur, prodiit, apprehensumque ipsum pertraxit in suum antrum. Alter vero, qui neque neglexisset, neque forma arborum locique se detineri passus esset, recta ad urbem perrexit.

II. Ad hæc frater : « Interpretationem, inquit, istius addis-

[1] Luc. xvi, 20-23. — [2] Rom. viii, 18. — [3] 2 Tim. iv, 8, et Jacob. i, 12.

cere cupio; quoniam quid sibi velint ista, non assequor. » Cui ille : « Audi, inquit, gratia nobis cooperante. Duo homines sunt, qui ad pietatis iter, scopumque ambulare atque contendere cœperunt. Inimicus autem eos a cursu impedire cupiens, desideria ipsis ingerit dæmoniaca, videlicet, inanem gloriam, ambitionem, superbiam, ac quæcumque alia his similia. Quorum ille, qui ad supernæ vocationis bravium comprehendendum in Christo sollicite properabat, ab istis non est detentus. Qui vero arborum, locique amœnitate capi se atque occupari passus est, hic est, qui suam avertit mentem ab invisibilibus ad visibilia. Porro æstus est labor atque molestia virtutum. Quod autem ipse in loco tardaret, et a bestiis caperetur; hoc mentem ac cogitationem desiderio terrenarum rerum inhærentem denotat : unde, instar sævientis feræ, peccatum egrediens apprehendit eum, sicut Scriptum est : « Nam » concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : pecca» tum vero cum consummatum fuerit, generat mortem[1]. » Quare, charissimi, fugiamus desideria sæcularia, ne forte rursus in servitutem redigamur peccati. Ait enim Salvator : « Amen dico vobis : omnis qui facit peccatum, servus » est peccati[2]. » Serviamus ergo libenter atque hilariter Deo, qui nos libertate donavit, et ne corruptionis passionibus deliniamur. Neque attendamus venustati vestitus, aut cuculli, cincturæve, aut analabi conspicui; quin potius humilia consectemur, et ab inani gloria remota, sicut decet Sanctos. Nam turpe est eos, qui maxima sibi subjecerunt, a vilioribus vinci. Sed in eo semper nostrum sit studium, ut qui intra nos est homo[3], placeat cordium ac renum scrutatori Deo[4], et inutilia despiciamus. « Nemo enim duo» bus servire potest dominis[5], » secundum vocem Domini.

[1] Jacob. I, 15. — [2] Joan. VIII, 34. — [3] Rom. VII, 22, et Ephes. III, 16. — [4] Psal. VII, 10. — [5] Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13.

Quis enim faber addiscens, unquam pro secure hastam sibi comparat? aut quis humilitatem excolere volens, de vana gloria dimicat? aut quis cœlestia expetens, non spernit terrena? Concedat autem nobis Dominus, ut quæ grata et accepta ipsi sunt, faciamus ac cogitemus. Quoniam ipsum decet gloria in sæcula. Amen.

CAPUT III.

I. Si porro carnis pugna in te insurrexerit, ne verearis, neque succumbas cogitationibus, ne tuum adversus te inimicum insolentiorem reddas, seminetque in te aliquid de suis consiliis, ac dicat: « Impossibile est inflammationem in te cessare, nisi concupiscentiam expleveris; ut vulnere tibi inflicto, ex adverso consistens, tuam irrideat mollitiem atque ignaviam. Verum expectans expecta Dominum [1], precesque tuas cum lacrymis coram bonitate ipsius effunde, et ipse te exaudiet, elevabitque ex lacu miseriæ sordidarum cogitationum, et a volutabro luti turpissimorum phantasmatum: et constituet super petram sanctitatis pedes tuos; et videbis auxilium ab ipso tibi emissum. Expecta modo, et ne relaxeris cogitationibus, neque defatigeris sentinam exhauriendo: in propinquo quippe est portus vitæ. Nam, te adhuc loquente, dicet: « Ecce adsum. » Cæterum aspicere tuum certamen expectat, an revera ad mortem usque adversus peccatum sis decertaturus. Ne ergo dejeceris animum: non enim te reliquit. Etenim tuum certamen cernit ipse, et sanctorum Angelorum chorus, et dæmonum turba. Angeli coronas vincenti præbent: dæmones victo dedecus

[1] Psal. XXXIX, 2.

afferunt. Magnum certamen Angelorum pro te, charissime: magna cura ac sollicitudo dæmonum contra te, Christo dilecte. Attende igitur tibi ipsi, ne familiares atque amicos contristes, alienosque lætitia afficias. Familiares dico, sanctos Angelos; alienos autem, impuros dæmonas.

II. Non est locus absconditus ab oculis Dei, charissime: non est caligo in oculis Domini, frater. Ne igitur te decipiat adversarius; juxta enim pedes Dei consistis. Ne parvi facias. Scriptum est enim: « Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum[1]. » Cave igitur relaxeris cogitationibus; verum viriliter age: prope est enim auxiliator. Audi Prophetam dicentem: « Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. Circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. Circumdederunt me, sicut apes favum: et exarserunt, sicut ignis in spinis, et in nomine Domini ultus sum eos. Impulsus eversus sum, ut caderem: et Dominus suscepit me. Fortitudo mea, et laus mea Dominus: et factus est mihi in salutem[2]. » Sustine igitur in certamine, ut cum probatus fueris, coronam vitæ accipias, quam repromisit Dominus diligentibus se[3]. Nam impugnari a passionibus, et repugnare eisdem, probatos nos reddit ad belli periculum. Nisi enim impugnaremur, eos, qui oppugnantur, fortasse condemnaremus, certaminis experientia destituti, ac in superbiam incideremus. Non enim grave est oppugnari, et repugnare passionibus; sed grave est per ignaviam cadere coram adversariis, ipsisque succumbere. Resiste ergo urenti concupiscentiæ, ut flammam, quæ nunquam extinguetur, effugere queas. Nam si nos passiones superarint, non recedent a nobis; quin et magis adversum nos insolescent. Audi eum, qui ait: « Mel distillat a

[1] Isaï. LXVI, 1, et Act. VII, 49. — [2] Psal. CXVII, 10-14. — [3] 2 Tim. IV, 8, et Jacob. I, 12.

» labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces » tuas; postea vero felle amariorem invenies, et acutam » magis gladio ancipiti[1]. » Attende igitur tibi ipsi, ne gloria divini aspectus priveris; nam scriptum est : « Pacem se» quimini cum omnibus, et sanctificationem, sine qua nemo » videbit Deum[2]. » Cui convenit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

Ne admiseris consilium prave sentientium, qui dicunt : « A quo die mortuus fuero, quid expecto? » eaque ad exacerbandum Dominum Deum, qui judicaturus est vivos et mortuos. Væ animæ obsequenti suspicioni huic. Væ homini sic sentienti. Consilium istud in mortis promptuaria obedientes sibi deducet. Hoc consilium a Deo separat, et ad diabolum declinare facit. Tu autem tanquam fidelis pessimum consilium fuge; « Et noli esse incredulus, sed » fidelis[3]. » Nam credimus post mortem esse judicium et retributionem. « Fidelis quippe est, qui repromisit[4] : » non enim injustus Deus, qui obliviscatur mercedem reddere his, qui in veritate servierint ipsi, sicut scriptum est : « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis » ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ipsum[5]. » Cupis autem, charissime, vim nosse sermonis? Considera qualem gloriam etiam super terram acquisierint Sancti; sicut scriptum habetur : « Memoria justorum cum laudi» bus, nomen autem impiorum extinguitur[6]. » Tu vero,

[1] Prov. v, 3, 4. — [2] Hebr. xii, 14. — [3] Joan. xx, 27. — [4] Hebr. x, 23. — [5] Isaï. lxiv, 4, et 1 Cor. ii, 9. — [6] Prov. x, 7.

charissime, fidem habe iis, quæ in divinis Scripturis scripta sunt. Fuge autem sermones incredulorum : « Depravata » enim est illorum mens et conscientia. Confitentur se » nosse Deum; factis autem negant[1]. » Cerne enim Herodem regali veste amictum, ac ad populum concionantem : sed quia non dedit gloriam Deo, Angelus Domini percussit eum, et consumptus a vermibus expiravit, atque interiit[2]. Si ubi virtutem fueris adeptus, aliquos adversum te suscitaverit honestatis inimicus, ut te affligant; ne pertimescas, neque ob timorem humanum pietatem deseras; « Nam hor» rendum est incidere in manus Dei viventis[3]. » Audi Salvatorem dicentem : « Si me persecuti fuerint, et vos perse» quentur[4]. » Quare fugere oportet corruptos prave sentientium hominum sermones, et non solum ad habitum attendere, vel canitiem, sed ad sensum viri. Hi enim sunt, de quibus ait Apostolus : « Habentes speciem quidem pie» tatis, virtutem autem ejus abnegantes[5]. » Ne forte fallacibus eorum verbis assentiens, et ab angusta, atque arcta via recedens, vocem illam acerbam, omnisque consolationis expertem, et planctu amarisque lacrymis plenam audias, flammæ, atque incendio inextinguibilis ignis traditus : « Fili, » recordare quia recepisti bona tua in vita tua, et Lazarus » similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cru» ciaris[6]. » Sed ad Deum intentionem tantummodo dirige, ut de bona, religiosaque vita anteacta, gaudeat in futuro sæculo anima tua cum justis, et gaudium tuum nemo abs te auferat[7]. Quoniam Deo gloria convenit in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Tit. I, 15, 16. — [2] Act. XII, 23. — [3] Hebr. X, 31. — [4] Joan. XV, 20. — [5] 2 Tim. III, 5. — [6] Luc. XVI, 25. — [7] Joan. XVI, 22.

CAPUT V.

Nunc duæ sunt tribulationes, quibus omnis sub sole homo implicatur : una secundum Deum, altera secundum mundum ; et absque alterutra, sive secundum Deum, sive secundum mundum, præsentem vitam transigere impossibile est. Ac illa quidem, quæ mundi est, tribulatio difficilis est, et sine mercede : quæ autem ex parte Dei, spem vitæ æternæ habet. Tu autem, ut sapiens, quam delegisti, in eam incumbe; neque tuas cogitationes sequaris : sed primum quidem Dominum invoca, quando ab iis turbaris; consilium a quocumque homine Dominum timente accipe. Nisi enim admonitiones timentium Dominum sustinueris, anima tua erit instar civitatis muro destitutæ, quam, cum voluerit barbarus, ingredietur et capiet. Scriptum est enim : « Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; se- » niores tuos, et dicent tibi [1]. » Qui autem sapiens est, audiet consilia. Fugiamus porro ebrietatem : fugiamus consuetudinem mulierum, quantum in nobis erit. Nam sermo mulieris tanquam laqueus in corde, pertrahitque amplectentem eum ad turpem commixtionem [2]. Si corporalis te invaserit infirmitas, noli dejicere animum, sed cum gratiarum actione tolera. Ait enim Apostolus : « Quando infirmor, » tunc potens sum [3]. » Et alibi dicit : « Beatus homo, quem » tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum [4]. » Projiciamus ergo sollicitudinem nostram, charissime, in Dominum, quoniam ipsi cura est de nobis. Pro victu autem

[1] Deut. XXXII, 7. — [2] Prov. VII, 12. — [3] 2 Cor. XII, 10. — [4] Psal. XCIII, 12.

nostro operemur, dum valemus. Si vero, superveniente aliqua infirmitate, præfecti (quod absit) curam nostri abjecerint, Deus præter expectationem subsidium nobis emittet. Nam scriptum est : « Pater meus, et mater mea » dereliquerunt me ; Dominus autem assumpsit me [1]. » Si pura ipsi conscientia serviamus, etiam corda præpositorum nostrorum ipse in nos diriget, ac sua nos beatitudine dignos reddet. Ne ergo molestus tibi sit labor; nam multi etiam nihil operantes, a negligentia atque tempore turbati sunt. Disce igitur operans, ut ne discas mendicans. Noli ergo in opere tuo negligentem te præbere; quoniam scriptum est : « Dominus prope est [2]; » et laborantibus secundum Deum multiplicem mercedem retribuet : « Nihil solliciti sitis [3]. » Cæterum perfer, ut justorum promerearis requiem; in illa enim requie non erit labor, non negligentia atque pigritia, non cura et sollicitudo, non tristitia, non infirmitas, non concupiscentia prava, neque aliud hujuscemodi : sed gaudium, pax, et exultatio in Spiritu sancto. Nam adversario nostro in gehennam ignis projecto cum omnibus Angelis, et instrumentis ejus, cunctæ actiones atque machinamenta ipsius cessabunt. Dominus autem dignos nos omnes reddat gaudio illo ineffabili : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

I. Audi, charissime; graves et curatu difficiles morbi; nisi adustivis et astrictivis medicamentis admotis, non eradicantur. Et tu, charissime, veritatem audiens, cave

[1] Psal. XXVI, 10. — [2] Philipp. IV, 5. — [3] Ibid. 6.

irascaris. Si vero adversus eum, qui medicinam tibi affert, indignaris, jam te declaras sanari nolle, neque a morbo liberari, sed adhuc in sordibus hærere malle. Nam si veritatem abscondamus, et voluptatis illecebras aliis consulamus, nihil a falsis prophetis differimus, qui populum seducebant, ad gratiam unicuique loquentes. At Dei Prophetæ, quod veritatem prædicarent, odio habebantur et occidebantur [1]. Non quod inter Prophetas ego me referam, cum similis sim cani oves domini sui sequenti, qui simul atque aspexerit lupum venientem, non quiescit; sed mox surgens, irruit in ipsum : pastores autem, audito canis latratu, surgunt, et insequuntur corruptorem, ac oves salvant. Quid ergo nostram negligimus salutem, charissimi? Cur circumferimur concupiscentiis veteris hominis; et externum quidem hominem habitu ornamus, internum autem operibus corrumpimus? Non duro simus corde, instar Pharaonis [2]; ne et partem cum ipso sortiamur; neque duræ cervicis, sicut quidam filiorum Israël, ne promissionis terra privemur. Conversationem imperitorum atque impudentum hominum oderimus; quoniam via ipsorum non est absque periculo, sicut scriptum est : « Gens absque » consilio est, et non est in eis scientia [3]. » Unde et Propheta dicebat : « Domine omnipotens, non sedi cum consessu » vanitatis ludentium, sed metuebam a facie manus tuæ : » solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum [4]. » Audi porro quomodo alibi quoque genus nostrum lugeat Propheta : « Væ mihi, inquit, quia periit pius de terra, et » rectus in hominibus non est. Omnes in sanguinem ju» dicantur : unusquisque proximum suum tribulatione tri» bulat, ad malum manus suas præparantes [5]. » Diligamus igitur pietatem. Et quamvis contumeliis afficiamur, quam-

[1] Matth. XXIII, 35, et Hebr. XI, 4. — [2] Exod. IX, 7. — [3] Deut. XXXII, 28. — [4] Jer. XV, 17. — [5] Mich. VII, 1-3.

vis flagris cædamur, propterea non relinquamus eam; nam thesaurus est bonis abundans, et virtutibus plenus. Deum flectit ad respicienda bona ejus, qui possidet illam, quemadmodum scriptum est : « Super quem respiciam, » nisi super humilem, et tranquillum, et trementem ser» mones meos [1]? » At beatus, qui cuncta amore pietatis respuit.

II. Attende igitur tibi ipsi, charissime, ne propriam salutem negligas. Noli attendere ignavis, sed vigilantibus; neque naufragantibus, sed iis, qui salvantur. Quousque tandem iis, qui ad turpia atque indecentia te compellunt, subservies? Noli effici passionum servus, sed ab iis potius te liberum redde. Multa tibi vigilantia opus est. In scammate consistis : ne te inertem præbeas. Nam ex adverso hostis subsistit, quemadmodum scriptum habetur : « Ad» versarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circuit » quærens quem devoret [2]. » Cernis quam insatiabilis sit adversarius, quantaque ejus violentia? non enim ferire tantum vult aliquem, et semivivum relinquere; sed mox totum devorat non vigilantem. Donec ergo tempus suppetit, decerta. Nam si tempus nostrum per ignaviam deperdiderimus, aliud tempus non reperiemus. Quot quantique homines ab Adam ad nostra usque tempora fuerunt; et ubi jam sunt? Quis novit numerum? Qui formavit eos, Dominus Deus : qui educit in numero orbem suum : « Qui» que numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis no» mina vocat [3], » ipse singulos, et uniuscujusque novit opus. Qui solus sapiens est, et bonus, et potens : qui tremendus est, et injuriarum immemor : qui miseretur eorum, qui convertuntur, et propitiatur iis, qui pœnitentiam agunt. Te, Domine, creatorem nostrum, ac Deum adoramus. Tibi gloriam, et honorem offerimus; quoniam et a

[1] Isaï. LXVI, 2. — [2] 1 Petr. V, 8. — [3] Psal. CXLVI, 4.

mea pateris te collaudari abominabili conditione. In hoc enim, Domine, magna tua misericordia atque benignitas, quod etiam indignos vocas, nec peccatores pœnitentes aversaris, tribulatos non despicis, et pusillanimes non derelinquis. Beata ac ter beata anima, quæ te solum concupiscit : nam quæ te desiderat, etiam mandata tua custodit. Cur igitur nos propriam negligimus salutem, charissimi? Ex momentaneis æterna revolvamus animo. Quanta enim quis cura accedit recitaturus quod didicit præceptori, aut operis manuum redditurus pensum præfecto? Cur itaque nos de hora illa non sumus solliciti, quando totius nobis vitæ reddenda erit ratio? Rursus dum quis tardat hyeme ad horam vespertinam in cella aliena, compulsus adire propriam : quanta putas anxietate corripietur propter tenebras, et confusione aëris? Et quo pacto nos inevitabilem illam ita parvipendimus viam? Quid nobis occurret post animæ separationem a corpore? Attendamus ergo nobis, charissimi, ut in justorum lætitia collætemur. Qui enim deceptionibus et imposturis se ipsum tradiderit, multis confringetur, et affligetur, dum in hac versatur vita. Hodie comedit, bibit, et voluntatem suam, quantum potest, sed non quantum vult, explet, exultans in damno animæ suæ : postero autem die, si non habeat, quibus saturetur, plurimum contristabitur. Qui vero sibi ipsi attendit, optimum habitum assumens; hunc lætitia non deficiet, neque hæc marcescet, quæ est spes futurorum bonorum, sicut scriptum est : « Memor fui Dei, et delectatus sum [1]. » Precamini etiam, obsecro, pro me miserabili apud Dominum; quoniam ipsi convenit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal LXXVI, 4.

CAPUT VII.

I. Noli esse pravæ conversationis, et famæ non bonæ : neque morem geras peccato, ne te abominabilem reddat. Magis autem obtempera æquitati, atque justitiæ, ut te ex probatorum numero unum efficiat. Noli animarum scandalum esse; sed attende tibi ipsi, ut et aliis prosis. Ita sane, Dei electe, tibi ipsi attende, ut cæteros quoque ædifices. Noli malus esse, ne in novissimis tuis mœrore afficiaris. Annon audis quod dicit Scriptura : « Quoniam plagæ at» que livores, et contritiones occurrent improbis, et neque » mercedem referunt dolorum [1] ? » At tu fortiter virtutum labores perfer propter Dominum, ut coronam reportes. Ad nuptias invitavit te Dominus : ne ingratum te præbeas, sed veste nuptiali induere, ut in ipsius collæteris thalamo, et non tanquam contemptor, audias : « Amice, quomodo huc » intrasti, non habens vestem nuptialem [2]? » et tunc, ligatis manibus, et pedibus, immitteris in tenebras exteriores, ubi erit fletus, et stridor dentium. Dum autem vestem audis nuptialem, charissime, ne de vestimentis id existimes; sed de bonis operibus. Et tu ergo, charissime, qui in monachorum meruisti ordinem referri, enitere ut virtutem professionis ac promissionis demonstres, ne reprobus efficiaris. Noli ergo durus esse, non libidinosus, non iracundus, non rixosus atque contentiosus, non intemperans, neque impudens; sed potius mansuetus, pius, humilis, temperans, modestus, quietus, pacificus, prudens, corporisque tui puritatem servans, quemadmodum Christo pactus es; ut si in illa nobis dixerit

[1] Prov. xx. — [2] Matth. xxii, 12.

hora : « Cur non visitastis viduas, et pupillos in tribulatione eorum ? » respondere queamus ei, dicentes : « Domine, ut in quiete ac silentio tibi citra ullam distractionem serviremus. » Sin vero dixerit nobis : « Cur immaculatos non servastis vos a sæculo ? » quid respondebimus ei, siquidem in eo contaminati fuerimus ? neque enim ea virtus est, quando quis ab impuro abstinet opere, et figuras interim effingit ac simulacra, quæ alios ad passionem commovent, quia scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum, et proxi» mum tuum sicut te ipsum [1]. »

II. Fuge sermones inutiles, ne in turpes cogitationes incidas. Nam quemadmodum sermones boni conducunt animæ, ita non boni eam pervertunt, secundum Apostolum : « Corrumpunt, inquit, mores bonos colloquia prava [2]. » Rursus ait : « Omnis sermo turpis ex ore vestro non pro» cedat ; sed si quis bonus est ad ædificationem utilitatis » atque opportunitatis, ut det gratiam audientibus. Et nolite » contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in » die redemptionis [3]. » Cave dicaris inobediens, durus, temerarius, susurro, bilinguis, murmurator, immitis, fratrum inimicus, osor virtutis; sed potius voceris obediens, verax, modestus, taciturnus, impiger, misericors, sobrius, fratrum amator, hospitalis, cultor virtutis, consolator, religiosus. Hæc bona et utilia sunt hominibus. Ne igitur efferamur, sed magis humiliemus nos ipsos. Quæ enim est potentia nostra, ut efferamur ? nonne ecce exiguus labor nos vel humi inflectit atque prosternit ? Diligamus ergo humilitatem, ut nos exaltet Dominus. Quocirca attende tibi, ne in te dominetur iracundia, atque excandescentia, et injuriarum memoria, ut non in perturbationibus, et instabilitate vitam degas. Cæterum longanimitatem tibi ipsi compara, ac mansuetudinem, innocentiam, et quæcumque

[1] Matth. XXII, 37 et 39. — [2] I Cor. XV, 33. — [3] Ephes. IV, 29, 30.

decent Christianos, ut quietam, atque tranquillam vitam transigas. Excelsi sunt montes Ararat : lati campi solitudinis : validum ac vehemens est Aquilonis frigus in terra; at solis æstus in Austrum effunditur. Inter volucres cœli maxima est aquila; at inter bestias terræ, leo : inter filios vero hominum, qui timet Dominum. « Magnus Deus noster, » et laudabilis valde [1] : » qui creavit omnia, et exaltat timentes se. Ipsi convenit gloria in sæcula. Amen.

CAPUT VIII.

I. Si dum tu opus Domini in humilitate, ac pietate operaris, adversarius aliquos ex negligentioribus in te armet, cupiens a vita te recta removere; ne verearis, neque timeas, aut a via recta declinaveris; cum dicat Apostolus : « In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : » aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, » sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus : » semper mortificationem Domini in corpore circumferen» tes, ut et vita Jesu in corpore nostro manifestetur. Sem» per enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter » Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mor» tali [2]. » Sustine igitur Dominum, electe Dei, ut qui modo te affligunt, obstupescant in admirabile salute tua : sicut scriptum est : « Justus si morte præoccupatus fuerit, in » refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diu» turna, neque annorum numero computata. Cani autem » sunt prudentia hominibus; et ætas senectutis, vita imma» culata. Placens Deo factus, dilectus est; et vivens inter

[1] Psal. XLVII, 3, XCV, 4, et CXLIV, 3. — [2] 2 Cor. IV, 8-11.

» peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret » intellectum ejus, aut ne dolus deciperet animam illius. » Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, et inconstan- » tia concupiscentiæ transvertit mentem innocentem. Con- » summatus in brevi, explevit tempore longa : placita enim » erat Domino anima illius. Propterea properavit e medio » malitiæ. Populi autem videntes, et non intelligentes, nec » ponentes in mente talia, quoniam gratia, et misericordia » in electis ejus, et inspectio in sanctis illius. Condemnat » autem justus mortuus vivos impios, et juventus consum- » mata longævam senectutem injusti. Videbunt enim finem » sapientis, et non intelligent quid cogitaverit de illo, et » quare munierit illum Dominus. Videbunt, et contemnent : » illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc in ca- » sum sine honore, et in contumeliam inter mortuos in » æternum : quoniam disrumpet illos præcipites sine voce, » et commovebit eos a fundamentis : et usque ad novissi- » mum desolabuntur : et erunt in dolore, et memoria illo- » rum peribit. Venient in computationem peccatorum suo- » rum timidi, et reprehendent illos ex adverso iniquitates » ipsorum [1]. Tunc stabit justus in magna fiducia adversus » eos, qui se angustiaverunt, et qui spreverunt labores ejus. » Videntes eum, turbabuntur timore horribili, et stupebunt » in incredibili salute : dicentque intra se pœnitentiam » agentes, et præ angustia spiritus ingemiscent. Hic erat, » quem habuimus aliquando in risum, et in similitudinem » improperii. Nos insensati vitam illius æstimabamus insa- » niam, et finem ipsius sine honore. Quomodo computatus » est inter filios Dei, et inter Sanctos sors illius est? Ergo » erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non illuxit » nobis, et sol non est ortus nobis. Lassati sumus in viis » iniquitatis et perditionis, et pertransivimus solitudines

[1] Sap. IV, 7-20.

» desolatas; viam autem Domini ignoravimus. Quid pro» fuit nobis superbia? aut divitiæ cum jactantia quid con» tulerunt nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, » et tanquam nuntius percurrens : sicut navis, quæ per» transit fluctuantem aquam, cujus, cum præteriit, non est » vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in flucti» bus : aut tanquam avis, quæ transvolat in aëre, cujus » nullum invenitur argumentum itineris illius; sed percus» sione alarum verberans levem aërem, et scindens eum » per vim stridoris, commotis alis transvolavit; et post hoc » nullum signum invenitur itineris illius : aut tanquam » sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuo » in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic et nos » nati desiimus esse; et virtutis quidem signum nullum va» lemus ostendere : sed in malitia nostra consumpti sumus. » Quoniam spes impii tanquam pulvis est, qui a vento » tollitur : et tanquam pruina tenuis, quæ a procella dis» pergitur; et tanquam fumus, qui a vento diffusus est; » et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. » Justi autem in perpetuum vivent, et in Domino est mer» ces eorum, et cura illorum apud Altissimum. Ideo acci» pient regnum decoris, et diadema pulchritudinis de manu » Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio suo » defendet illos [1]. » Ne ergo quemquam oderis in corde tuo : neque malum reddideris pro malo : sed charitatem tibi ipsi compara, quam supra omnem aliam virtutem divina extollit Scriptura : ipsi enim rerum omnium procreatori comparavit eam, cum ait : « Deus charitas est [2]. »

II. Frater quidam e cœnobio senem accessit, atque consuluit. At ille ad eum : « Similia, inquit, sunt cœnobia ludis litterariis. Nam alii in prætorio incedunt : alii sub caminis. » Quo quidem sermone adjutus frater, sibi pœnitentiam im-

[1] Sap. v, 1-7. — [2] 1 Joan. iv, 16.

posuit. Unde ipsa utamur re, tanquam lucro, ne reprobi facti, e cœlesti ejiciamur regno, et in caminum ignis immittamur. Quando provectos in habitu conspexeris negligentes, tunc magno præsidio indiges, ne istos forte imitans, eamdem inambules viam; neve per continentiam tuam contra eos extollaris, quod quidem est superbiæ peccatum. Sed audi eum, qui dicit : « Attende tibi ipsi, et cus- » todi animam tuam valde. » Neque enim ex operibus alienis nos justificabimur : neque alii ex nostris operibus condemnabuntur. Nam quando nudi et aperti atque retecti coram Judice adducemur, reddituri de cunctis, quæ fecimus, rationem, non alius condemnabitur pro alio; nam unusquisque proprium onus portabit. Si quis tibi suas revelet cogitationes, ne curiosius rem investiges; præsertim si oculus mentis tuæ debilis sit; ne forte, dum ille enarrat, iisdem perturberis passionibus, similisque reddaris gubernatori inter fluctus et undas. Oportet igitur, ut nos audientes initium eorum, quæ dicuntur, ea quæ consequuntur intelligamus : atque ita consolemur afflictum, aut iis rebus, quas a sanctis viris accepimus, aut quibus ipsi tentati sumus. Non enim est voluntas Domini, ut alius per alium corruat; cum cunctos ipse cupiat salvos fieri. Tu vero, charissime, ne cuivis homini cogitationes tuas aperias; sed iis duntaxat, quos spirituales esse probaveris; nam multæ sunt insidiæ atque fallaciæ diaboli. Dixit quippe Salvator : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vesti- » mentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : ab » operibus vero ipsorum cognoscetis eos [1]. » A viris porro spiritualibus ne te occultaveris : ne forte inimicus angulum comperiens, in te latitet. Cum iis vero, qui carnalia sapiunt, noli conferre consilia; nam voluptatibus ac libidinibus dediti, in dies peccata sibi accumulant, illudque dicti-

[1] Matth. VII, 15, 16.

tant : istud et solum mihi imputetur peccatum, Propheta interim deplorante atque dicente : « Væ iis, qui trahunt » peccata sua quasi funiculo longo, et quasi jugi corrigia » vitulæ, iniquitates suas [1]. »

III. Unde vitare oportet sermones inutiles, eorum conversationem, qui timorem Domini despiciunt : quoniam nihil quod sit utile loquuntur, nihil propter Dominum faciunt, nihil de virtute ac religione, nihil de honestate ac gravitate morum tractant. Sermones quippe eorum laquei sunt mortis : consilium ipsorum, fovea inferni : impunitas et risus, temulentia et perditio animæ, consuetudo eorum. Terribilis ac dirus serpens loquitur per ipsos. At tu, o homo Dei, ista fuge : sectare autem justitiam, pietatem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. « Bonum fidei » certamen decerta : vitam æternam apprehende, ad quam » vocatus es, et præclaram confessionem es professus [2]. » Vide, dilecte serve Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ne momentanea inescari te patiaris deceptione : non vita priveris æterna. Recte vigila. Ad negotiandum vocatus es? ne perdas margaritam, ne thesaurum tuum deprædetur inimicus : ne navis demergatur una cum onere, et vacuus revertaris ad propria. Inimicus sciens quantam apud Deum referat gloriam, qui immaculatum sese ab inquinamentis servat carnis; vehementer per cogitationes impugnat, cupiens hominem iis innectere, ut non consequatur gloriam futuram. Et, si animam invenerit abjecisse cogitationes inutiles, non frequentat eam ; sed neque prorsus recedit. Accedit autem magis, ubi ipso pulsante mox aperient; et corpus simul cum anima per sordidissimas cogitationes, non resistenti sibi, coinquinat. Ac demum tanquam bonus consiliarius ipsi suggerit : « Præstat tibi, inquiens, in mundum redire, et consortem ac sociam capere, quam sic ca-

[1] Isaï. v, 18. — [2] 1 Tim. vi, 12.

runculam corrumpere. A sobrio porro et vigilante cuncta ista recedent. Attende igitur tibi, et nihil horum te offendet. Quapropter necessarium fuerit fiduciam fugere: iterumque dico, fuge fiduciam, ne impudentia te invadat, ligatumque velut malum aliquem captivum, servum peccato tradat, ac tunc dicere incipias: « Veni in altitudinem » maris, et tempestas demersit me [1]. » Et rursus: « Infixus » sum in limo profundi, et non est substantia [2]. » Unde fugere oportet perversorum hominum consuetudinem, non tanquam homines odio prosequens, sed damnum respuens. Quod si cum segnioribus præoccupatus fueris, attende tibi ipsi, ut et illos lucrifacias recta vitæ ratione, ac te ipsum non perdas. Ne credas animam tuam illis, qui inutilia loquuntur, ac temperantiam profitentur. Ait enim Salvator: « Ex abundantia cordis os loquitur [3]. » Subtrahe ergo te a juveniliter agentibus, et ab iis, qui ridiculis circumferuntur, ut ne sis inobediens ei, qui dicit: « Juvenilia desideria » fuge [4]. » Ne accipias personam adversus animam tuam, non parvam, non magnam, non in imperio ac potestate constitutam: nemo enim te ex igne inextinguibili liberare poterit. Audi dicentem: « Quid proderit homini, si mun» dum universum lucretur; animæ vero suæ detrimentum » patiatur [5]? » Cave igitur libertatem erga Deum deperdas propter honorem, aut gloriam aliquam humanam; vel propter cibum, seu potum, sive indumentum. Ista enim cuncta corruptioni sunt obnoxia; actiones autem uniuscujusque, sive bonæ, sive malæ, descriptæ continentur. « Quæ sursum sunt sapito, non quæ super terram [6]: » ut promissionibus perfruaris Patris, qui in cœlis est; et connumereris inter electos Filii; et cum omnibus sanctis suis

[1] Psal. LXVIII, 3. — [2] Ibid. — [3] Matth. XII, 34, et Luc. VI, 45. — [4] 2 Tim. II, 22. — [5] Matth. XVI, 26. Marc. VIII, 36, et Luc. IX, 25. — [6] Coloss. III, 2.

benedicat tibi Spiritus sanctus. Quoniam ipsi convenit gloria in sæcula. Amen.

CAPUT IX.

I. Charissime, attende tibi ipsi, ne forte serpens te eos imitari doceat, qui suam contemnunt salutem, ac dicere : « Non es melior iis, qui passionibus succumbunt. » Tu vero considera quod scriptum est : « In magna domo non » solum sunt vasa aurea et argentea ; sed et lignea et fictilia : » et quædam quidem in honorem, quædam autem in contu- » meliam [1]. » Si ergo Dominum non audieris, peccati opera peragendo, eris vas contumeliæ : sin vero Domini opera perfeceris, eris vas electum, pretiosum, sanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum præparatum. Attende tibi ipsi, obsecro, ut et in præsenti sæculo, et in futuro misericordiam apud Dominum consequaris. Quod si tibi ipsi non attenderis, et hic contereris, et ibi non requiesces. Nam quæ extra rectum fiunt tramitem, nihil præter damnationem continent et pœnitentiam. Ne ergo contemptores propriæ salutis imiteris, et eos, qui solum sibi habitum arrogant ; ut non similis reddaris militi ab adversariis capto, et regis duntaxat geras insignia. Verax quippe est, qui ait : « Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus » est peccati [2]. » Foliis enim similis est habitus : fructus vero est ipsum opus. Qui terreni regis milites sunt, sanguinem effundunt, ut regi suo placeant : at tibi non opus est, ut sanguinem fundas, sed solum ne a peccato vincaris, ut

[1] 2 Tim. II, 20. — [2] Joan. VIII, 34. Rom. VI, 16, et 2 Petr. II, 19.

non fructifices morti. Sobrius esto, et vigila, charissime : vigila, et labores sustine. Non enim injustus est Deus, qui tui obliviscatur laboris : sed et pro obscuritate, quam in cella residens toleras, illucescet tibi lumen veritatis : sicut scriptum habetur : « Exortum est in tenebris lumen rectis [1]. » Decerta bonum certamen fidei [2], ut victoriam adversus hostem referens, absque rubore et verecundia adores Regem gloriæ. Non enim eos duntaxat, qui gladio perempti sunt, et martyrio a tyrannis affecti, coronat Dominus; sed eos etiam, qui religiosa exercitatione, et charitate probati sunt. Nam quemadmodum illi propter Dominum flagra ac verbera pertulerunt; sic et isti vexationes et exercitationes amore Domini subierunt. Attende tibi, ne fiat verbum malum in corde tuo. Ne fœdus ineas cum improba cogitatione. Sic enim quidam passus est antiquorum, aliquid ex anathemate in tabernaculo suo abscondens [3] : similiter et Giezi minister Elisæi [4] : et non latuerunt Deum, sed ne homines quidem. Cum enim clam scelus commisissent, palam retributionem acceperunt; cum hic quidem cum tota familia ab omni populo lapidatus sit; ille vero cum universo semine suo lepra infectus usque in sæculum. Verax est enim, qui dixit : « Deus non irridetur. Quod enim semina» verit quis, hoc et metet [5]. » Disce cum patientia, ut damna effugias, quæ occurrunt non quiescentibus. Ausculta eum, qui dicit : « Fili, si sapiens tibi fueris, sapiens eris et » proximo : sin autem malus evaseris, solus mala exantla» bis [6]. » Unde nos vincit adversarius? Unde nostræ redundant passiones? nonne per nostram inobedientiam? Edocti enim non attendimus : reprehensi super delictorum correctione, negamus. Homines cælamus, et Deum despicimus; non morigerantes ei, qui dicit : « Amen dico vobis,

[1] Psal. III, 4. — [2] 1 Tim. VI, 12. — [3] Jos. VI. — [4] 4 Reg. V. — [5] Galat. VI, 7, 8. — [6] Prov. IX, 12.

» quia etsi hi tacuerint, lapides clamabunt [1]. » Astutiam nobis suggerit callidus serpens, verbis vincendi eos, qui nos corrige volunt : sicque peccatum in nobis multiplicatur, cum non habeat resistentem sibi.

II. Deprædatur te inimicus tuus, et non jam intelligis, o anima mea? suas in te operatur concupiscentias, et toleras? Fuge consilia ejus improba, o homo. Recordare tuorum cum Deo pactorum, et sanctificationem custodi, ut gratiam invenias coram Domino. Audi dicentem : « Fu» gite fornicationem [2]. » Et nosse cupis, quam gravis atque periculosa sit fornicatio? Quos enim occidere nequiverunt in eremo morsus serpentum, hos Madianitarum fornicatio prostravit [3]; et per fornicationem etiam idolorum victimam comedere non recusarunt : unde ex populo ceciderunt uno die viginti tria millia [4]. Quod si præventus es, ne lapsui inhæreas, neque longanimitatem ac patientiam Dei contempseris. « Memor esto quod mors non tardabit [5]. » Recordare fieri non posse, ut manus Dei effugias. Quare noli negligere; sed pœnitentiam age, lacrymas effunde, ingemisce, quoniam illusus es. Etsi enim nos oblivioni delictum tradiderimus, qui tamen nos creavit Deus, uniuscujusque novit opus. Ne igitur ignavum te præbeas; sed viriliter adversario tuo resiste : et aditum, per quem ingredi consuevit inimicus ad prædandum te, præclude : ut non amplius inveniens ingressum, re infecta recedat. Hoc autem occludere ipsi aditum, est munire sensus, per quos in animam ingreditur sive bonum, sive malum, visum, auditum, odoratum, tactum, gustum, et cogitationes, ne extra id, quod decet, evagentur. In mentem tibi revoca gigantes, charissime, qui sua potentia terram corruperant [6] : ut eos unico momento Dominus per aquas diluvii a facie

[1] Luc. XIX, 40. — [2] 1 Cor. VI, 18. — [3] Num. XXV, 31. — [4] Exod. XXXII. — [5] Eccli. XIV, 12. — [6] Gen. VI.

terræ deleverit, et potentia eorum non iis profuit. Revolve animo terram Sodomorum et Gomorrhæ [1]: quo pacto propter peccatum habitantium in ea, fuerit eversa, et non profuerint ipsis deliciæ atque superbia. Curemus ergo salutem nostram, charissimi, ne forte repentinus nos occupet finis, et in multa damnatione hinc abeamus.

III. Quid porro nobis videtur de eo, qui ex hac vita excessit? an quod post diem unum ad domum suam reversurus sit? an post annum? an post centum, aut mille annos? Cur igitur transeuntia affectamus, et quæ nunquam præteribunt, pro nihilo ducimus? Dic suggerenti tibi concupiscentias sordidas et immundas: « O veritatis inimice, ut tu desiderio tuo satisfacias, ego dedecore et ignominia afficiar? Vade ad tui similes impudicos atque lascivos. Porcorum gregem depoposcisti tibi? Demergere in mare cum ipsis. Non me amplius servum tibi habebis, aut voluntati obedientem tuæ. Sufficit mihi præteritum tempus. Deinceps nunc veritatis satagam, et Deum meum obtestabor, ut me perfecte a tuis liberet operibus. Spiritum enim sanctum dedit mihi, et ego eum exacerbavi. Animam et corpus mihi mundum donavit; ego autem ista contaminavi. » Sic, charissime, suggerenti tibi perniciosas affectiones responde. Dixit Sanctorum quidam: « Cani similis est fornicatio. Si blandiaris, manet apud te: si pellas, aufugit. » Audi eum, qui dicit: « Singulariter sum ego, donec » transeam [2]: » hoc est, sibi ipsi unumquemque attendere, donec ex præsenti excedamus vita. Attende tibi, obsecro, et ne vitæ tuæ rationem despexeris. Ne amore voluptatis modicæ deperdas fructus laborum tuorum; neque ob immunditiam mercedem operis tui prodas, mercedem silentii atque quietis, mercedem vigiliarum, continentiæ, et reliquarum virtutum, propter impudicitiam amittas; similis-

[1] Gen. XVIII et XIX. — [2] Psal. CXL, 10.

que reddaris projicienti mercedem suam in marsupium pertusum. « Modicum fermentum totam massam fermen-»tat [1]. » Quare te ipsum confirma in timore Domini. Audi quæ dico, charissime. In vita sæculari disertus ac loquax, magnus dici solet; at in solitaria vita, qui quietem ac silentium sectatur, magnus est apud Dominum. Rursus, in vita sæculari, qui suum ornat corpus, et subinde vestimenta mutat, humanam obtinet gloriam : at in professione hac, qui ista contemnit, et solum necessario corporis usui attendit, gloriam sibi in cœlis acquirit, secundum eum, qui dicit : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his con-»tenti simus [2]. » Rursus, in sæculari vita, qui corporis robore et divitiis gloriatur, magnus apud homines videtur : in ista vero professione, qui humilitatem colit, vere a Domino exaltatur, sicut scriptum est : « Quæ stulta sunt mundi, »elegit Deus, ut fortia confundat ; et ignobilia mundi, et »contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea »quæ sunt, destrueret : ut non glorietur omnis caro in »conspectu Dei [3]. »

IV. Diligamus ergo quæ placita ac grata sunt Domino, tanquam servi frugi, et grati; etiamsi scelestorum et facinorosorum insidias sustineamus; et licet a barbaris capti, in servitutem tradamur, ne nostram salutem desperemus. Scriptum est enim : « In tribulatione invocavi Dominum, »et exaudivit me in latitudine [4] : » simul reputantes nobiscum, Prophetas quoque in captivitatem abductos, et in aliena regione servitutem ærumnasque subiisse, quorum tamen mens nunquam est a Deo abalienata. Siquidem externum nostrum venundari, aut non venundari hominem, non ex iis est, quæ in nostra sunt potestate. Cæterum communicare, aut non communicare internum nostrum ho-

[1] Gal. v, 9, et 1 Cor. v, 6. — [2] 1 Tim. vi, 8. — [3] 1 Cor. 1, 28, 29. — [4] Psal. cxvii, 5.

minem impietati, hoc in nobis situm est. Unde Sancti tyrannos redarguerunt, mortisque minas spreverunt, virtutem sibi vindicantes [1]. Quocirca et nos, cum simus filii Prophetarum, charissimi, eorumque vestigiis insistamus, perfectam ipsorum fidem possideamus, quia scriptum est : « Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fi» dem [2] : » ut cum iis simul in cœlestibus conjungamur ubi exulat luctus ac dolor et gemitus in splendore Sanctorum. Vigilemus ergo, et oremus, ut non intremus in tentationem [3]. Meditemur eloquia Spiritus sancti, ut in Scripturas incumbamus, et quando etiam librum manibus non tenemus, in mente eloquia Dei habeamus. Si quis suas tibi enarraverit cogitationes, suaque detexerit errata: ne mente eum contempseris, tanquam qui talia peregerit : sed potius de fratris conversione admirare. Nam quod quis sponte sua peccata spiritualibus viris revelat, correctionis vitæ signum est : quod vero occultet, animi male affecti indicium existit. Nullus enim cum furibus currens, et partem suam cum adulteris ponens, hos prodit unquam ; quia nimis passioni et affectioni indulget. Quare oportet cum omni humilitate eum, qui familiariter sua exponit arcana, consolari, sicut scriptum est : « Considerans te » ipsum, ne et tu tenteris [4]. » Dicit enim Dominus per prophetam Ezechielem : « Et tu, fili hominis, dic ad filios po» puli tui : Justitia Justi non liberabit eum, in quacumque » die erraverit : et iniquitas impii non nocebit ei, in quacum» que die conversus fuerit ab iniquitate sua [5]. » Largiatur autem nobis Dominus, ut viam erroris expertem possideamus usque in finem, angustam scilicet et arctam ; ut adversarii nostri diaboli os obstruatur, ne habeat quod de nobis malum dicere queat. Quia Deum decet gloria in sæcula. Amen.

[1] Hebr. XI. — [2] Id. XIII, 7. — [3] Matth. XXVI, 41, et Luc. XXII, 40 — [4] Gal. VI, 1. — [5] Ezech. XXXIII, 12.

CAPUT X.

I. Attendamus nobis ipsis, charissimi, quoniam acerbi nobis sunt inimici et immites, super hominum ruina gaudentes, eamque solam lætitiam habentes. Hinc sancti Patres scientes eorum adversum nos conatum perversum, non segnes fuerunt, non vaga et distracta mente : sed sibi ipsis attenderunt, sibique attendentes, et Deo complacuerunt, et homines in bonum ædificarunt. Cujusmodi sanctus Antonius extitit, quemadmodum et sanctus Athanasius archiepiscopus meminit in vita, quam de eo conscripsit. Nam et multa exercitatione, eaque incitatiore ac vehementiore est usus. Jejunabat enim semper; indumentumque gerebat, interius quidem cilicinum, exterius autem pelliceum : idque ad mortem usque servavit; ita ut neque corpus sordium causa aquis ablueret, neque penitus suos pedes lavaret, neque illos unquam omnino vel aqua tingeret, nisi necessitate cogente. Sed neque quis eum denudatum unquam conspexit, nec prorsus Antonii corpusculum nudum, præterquam cum post mortem sepeliretur, cuiquam patuit. Rursusque ait : « Etsi ista ad illius virtutem parva; ex iis tamen, qualis vir Dei Antonius fuerit, considerare et æstimare licet : quippe qui a juventute ad tantam usque ætatem, æqualem semper servabat in exercitatione alacritatem : et neque senectute fractus, delicatioribus utebatur cibis; neque propter debilitatem corporis immutabat sui indumenti habitum. Aut si forte pedes aqua tingeret, attamen in omnibus illæsus permanebat. Nam etiam oculos illæsos integrosque servabat, recteque cernentes [1]. » Et ne singula

[1] S. Athanasius in vita S. Antonii.

consectemur; cunctis, qui cibis variis, et lavacris, diversisque vestimentis utuntur, ipse multo illustrior apparebat, ac clarior, et ad fortitudinem alacrior. At nos, quæ corpus molliter foveant, nobiscum excogitantes, distrahimur atque efferimur, non considerantes quam acres adversarios habeamus. Unde et ipsi hostes tantam nostram cernentes segnitiem, promptius animosiusque adversum nos insurgunt, impudicitiæ nos jaculis semper transfigentes. Attendamus igitur nobis ipsis, ut Dominus illorum in nos destruat insidias. Hæc autem dico, fratres, non quasi vitæ puritate ego conspicuus sim; nam si Dominus mea revelet peccata, antequam in supplicium mittar, pudor atque confusio operum meorum, tormenti pars mihi erit. Sed ista a me sint dicta per gratiam Domini, ut dum vos boni consilii commoda capitis, ego quoque vilis et abjectus saluberrimi consilii mei mercedem referam. Quemadmodum enim qui ad animarum eversionem cohortationibus utitur, perditionis earum atque exitii particeps erit : sic et qui ad vitæ morumque emendationem suis consiliis est auctor, optimam mercedem a Domino consequetur, si et ipse ab inutilibus deinceps recesserit. Quod si cum fratre amicitiam habeas, teque conscientia tua arguat, quasi ex ejusmodi conjunctione detrimentum animæ sustineas; te ipsum ab eo separa. Dixit enim quidam Sanctorum « : Cum omnibus charitatem habe, ab omnibus abstine. » Hæc autem dico, charissime, non ut homines oderis, sed peccatum averseris. Scriptum est enim : « Si cor nostrum non reprehenderit nos, fidu- » ciam habemus ad Deum, ut quidquid petierimus, accipia- » mus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ » sunt placita coram eo, facimus. Si vero reprehenderit nos » cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit » omnia [1]. »

[1] 1 Joan. III, 20, 21.

II. Frater fratri hortator erat in iis, quæ ad Deum pertinent. Pereunte autem altero, dixit qui hortabatur ad eum : « Ecce fratrem hunc amoneo, et me audire renuit. » Cui ille respondit : « Te debet audire; da veniam. Te enim audire, honestum illi est; audita agere, jucundum. » At ille : « Nequaquam : nisi enim compererit secundum Deum esse quæ dico, ne me audiat : neque me solum, sed ne Prophetam quidem, si præter Dei voluntatem consilium dederit. » Ait enim Apostolus : « Et si nos, aut Angelus de cœlo evan» gelizaverit vobis præter id, quod accepistis, anathema » sit [1]. » Quinam enim in Babylone contra Susannam insurrexerunt? nonne seniores? et non solum seniores; sed et judices, ac præsides populi [2], qui quod sibi ipsis non attenderunt, quam miserabili fine vitam clauserunt! neque illis sane ipsorum dignitas profuit. Veritatis ergo curam habeamus, fratres, ut veritas nos circumdet ac protegat. Et in hoc quidem sæculo si quis de re male gesta apud principem insimuletur, si ad alia loca confugiat, fortasse salvatur. At nos a conspectu Dei quonam profugere poterimus? secundum eum, qui dicit : « Quo ibo a Spiritu tuo? » et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic » es : si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas » meas ad orientem, et habitavero in extremis maris : et » enim illic manus tua deducet me, et tenebit me dextera » tua [3]. »

III. Diligamus quietem ac silentium, ut a distractionibus liberemur. Diligamus continentiam in charitate Dei. Diligamus castitatem et humilitatem. Simus humiles, et affabiles parvis ac magnis, ut vanam effugiamus gloriam, cunctosque diaboli laqueos. Ebrietatem, et risum, inutiliaque malignantium hominum verba execremur ac detestemur : omnia enim agunt, omnia excogitant, ut suis voluptatibus potiri

[1] Galat. I. — [2] Dan. XIII. — [3] Psal. CXXXVIII, 8-10.

possint. Tu autem, dilectissime, ista fuge, ut qui Deo placere professus es : omnia secundum Deum operare. « Deus » enim non irridetur, secundum dictum Apostoli. Nam » quod seminaverit homo, hoc et metet. Quoniam qui se» minat in carne sua, de carne et metet corruptionem. Qui » autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æter» nam [1]. » Noli sordidis immorari cogitationibus, ne quando te in actum deducant turpitudinis : sed eas detestare ac repelle, ut mens tua serena sit atque tranquilla. Precare Dominum, ut cordis tui oculos illuminet. « Quæ enim » impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud » Deum [2]. » Cum ad orandum steteris, noli vaga ac distracta mente esse, ne quasi contemnens inveniaris. Attende tibi ipsi, charissime, ne forte dum cernis hujus sæculi divites deliciis affluentes, carnesque suas nutrientes, tanquam in die occisionis, eos propter ejusmodi fluxam ac momentaneam rerum abundantiam beatos prædices. Quoniam non opulentum, non deliciis deditum, non potentem, beatum dicit Spiritus sanctus ; sed eos, qui timent Dominum : sicut scriptum est : « Beatus vir, qui timet Dominum [3]. » Et, « Beati omnes, qui timent Dominum [4]. » Præfectum te constituerunt? Esto præfectus pacis, ut portæ regni cœlestis pandantur tibi, simulque cum facientibus pacem ingrediaris. Dicit enim Spiritus sanctus : « Aperite portas, in» grediatur populus [5]. » Et quis ac qualis populus? servans justitiam, et custodiens veritatem, suscipiens veritatem, et custodiens pacem. Unde quidam Sanctorum dicebat : « Fiat pax et justitia in diebus meis [6]. » Audi et sanctum Jacobum dicentem : « Quis sapiens est et eruditus inter » nos? ostendat ex bona conversatione operationes suas in » mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis,

[1] Gal. VI, 7, 8. — [2] Luc. XVIII, 27. — [3] Psal. III, 1. — [4] Id. CXXVII, 1. — [5] Isaï. XXVI, 2. — [6] 4 Reg. XX, 19.

»et contentionem in cordibus vestris, nolite gloriari, et »mendaces esse adversus veritatem : non est ista sapientia »desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. »Ubi enim zelus et contentio ; ibi inconstantia et omne opus »pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum »quidem pudica est : deinde pacifica, modesta, suadibilis, »plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine »simulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur »facientibus pacem [1]. » Largiatur porro nobis Dominus concordiam atque unionem secundum voluntatem suam. Precemini autem et pro me misero, obsecro, ut obscuratum in me oculum Dominus illuminet. Quoniam ipsius est regnum et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT XI.

Non torpeamus, fratres, servientes invicem propter Dominum. Multi enim puellæ cujuspiam amore capti, servire propter amatam non recusarunt. Quid ergo nos magnum præstamus, si nobis mutuo propter Dominum servimus? Ne simus negligentes, considentes in cella, charissimi : memores, quod sancti Martyres ferreis vinculis conclusi fuerint etiam cum multis tormentis. Ne ergo cellæ angustiam effugiamus. Non deficiamus operantes memores, quoniam multi ex Sanctis in metalla missi sunt propter Dominum. Numquid igitur, si nos temporibus illis fuissemus, nostram vitam ob torturas prodidissemus? Meminerimus, fratres a Domino dilecti, beneficiorum Domini Dei nostri, qui nos creavit et crescere fecit, qui nutrit nos et protegit nos in

[1] Jacob. III, 13-18.

omnibus : qui educit ventos de thesauris suis ad obsequium nostrum : qui elevat nebulas ab extremitatibus terræ in ministerium nostrum : qui multiplicat volatilia, pecora, et animalia aquatilia ad obsequium generis nostri : qui fecit solem in lumen diei, et lunam ac stellas in lumen noctis propter nostrum genus : qui salvavit nos per mysterium pretiosæ crucis suæ. Serviamus ei in timore ac tremore multo, et spe bona; quia advenæ et peregrini sumus in hac vita, secundum eum, qui ait : « Advena et peregrinus » sum in terra, sicut omnes patres mei [1]. » Obsecro vos ego minimus, ego vilis et abjectus, ego qui decem millium talentorum sum debitor, qui quemvis peccatorem peccatis excedo : sustinete optimum hoc consilium. Servate in omnibus vos ipsos irreprehensibiles, ut sitis absque confusione. Si quis autem se ipsum in re aliqua condemnet, deinceps sese irreprehensibilem servet, nequid habeat adversarius, quod de nobis malum dicat, hominum, inquam, inimicus, corruptor, et alienus, hostis justitiæ, qui in malis nostris gaudet : qui debilis in eos est, qui Domino in veritate serviunt : qui spernitur ab iis, qui Dominum in veritate diligunt : qui conculcatur ab iis, qui faciunt voluntatem Domini puro corde. Quoniam Deo nostro gloria et magnificentia in omnia sæcula. Amen.

CAPUT XII.

Persiste igitur, charissime, in vocatione, qua vocatus es. Da gloriam Deo, quod dignatus sit te in gregem ovium suarum referre, ut in pascuis ovium ejus enutriaris. Ergo ad

[1] Psal. XXXVIII, 13.

finem usque tolera, ut salvetur anima tua. Nam scriptum est : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [1]. » Esto instructus in omni conversatione tua. Dicentem ausculta : « Fili, si sapiens fueris, lætificabis et cor meum [2]. » Noli esse asper in lingua tua, neque durius respondeas fratri tuo; sed cum omni humilitate ac timore Dei sit loquela tua. Numquid enim argento bonum sermonem comparamus ? nullo sane eum pretio emimus, nisi sola nostra voluntate: quoniam utriusque nobis viæ potestatem dedit Dominus, ut uniuscujusque cognoscatur affectio et animus. Sic ergo nostræ sint responsiones ad invicem, o electi Dei, quemadmodum fidelis quispiam servus cum suo colloquitur domino. Verax quippe est, qui ait : « Omnis qui se exaltat, » humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur [3]. » Sint porro sermones nostri mutui, non de rebus peregrinis atque externis; verum de utilitate animæ, de mutua inter nos ædificatione, de recte factis, de omni opere bono : sicut scriptum est : « Ut det gratiam audientibus [4]. : » et, « Nolite con» tristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die » redemptionis [5]. » Quoniam ipsum decet gloria in sæcula. Amen.

[1] Luc. xxi, 19. — [2] Prov. xxiii, 15. — [3] Luc. xiv, 11. — [4] Ephes. iv, 29. — [5] Ibid. 30.

SERMO.

Quod non oporteat ridere, et extolli; sed plangere potius, et nos ipsos deflere.

I. Initium eversionis animæ monachi est risus, atque confidentia. In his cum te, monache, conspexeris, in malorum te concidisse abyssum noveris. Ne desinas igitur orare Deum, ut ab hac te morte liberet. Risus atque confidentia monachum in turpes animi passiones conjicit; neque solum juvenes, sed et senes. Risus et confidentia monachum deprimit. Dixit quidam Sanctorum de confidentia loquens : « Confidentia similis est vento urenti, monachi fructus corrumpens. » De risu autem jam audi. « Risus beatitudinem luctus exterminat, eaque quæ sunt ædificata, destruit. » Risus Spiritum sanctum contristat : animæ obest, et corpus corrumpit. Risus virtutes expellit, non meminit mortis, neque supplicia cogitat. Aufer a me risum, Domine, luctumque ac gemitum mihi concede, quem a me ipse requiris, Deus. Initium luctus est, agnoscere se ipsum. Sit vero luctus noster non secundum hominem, neque ut videatur ab hominibus; sed secundum Deum, qui novit etiam abscondita cordis, ut apud eum mereamur beatitudine perfrui. Hilari itaque amœno simus aspectu, exultantes in Spiritu sancto super donis Domini; cogitatione autem et animo plorantes atque gementes, Deumque exorantes, ut ab omni specie mala nos servet : ne cœlorum regno privemur, bonisque quæ præparavit iis, qui complacuerunt ei. Luctus ædificat, et custodit. Luctus animam lacrymis abstergit, mundamque eam reddit. Luctus temperantiam gignit, vo-

luptates excindit, et virtutes perficit. Quid plura? Luctus a Deo prædicatur beatus [1], et ab Angelis consolationem accipit. Unde et quidam ex Discipulis Domini dixit : « Risus » vester in luctum convertetur, et gaudium in mœrorem. » Humiliamini igitur sub potenti manu Domini, et exaltabit » vos [2]. »

II. Sed quid ego peccator faciam, qui nec lugeo, nec defleo me ipsum cum compunctione? Dico enim, et non facio. Væ mihi, quam negligenter me gero! væ mihi, quam parvipendo salutem meam! væ mihi, quoniam scienter pecco. Scio, cum male facio; nec tamen a malo declino. Væ mihi, quia inexcusabilis sum! Verbis quidem inter eos, qui ad dexteram futuri sunt [3]; re autem inter eos numeror, qui ad sinistram statuentur. Tibi, Domine, soli bono, injuriarumque immemori confiteor peccatum meum. Etenim me tacente, tu omnia nostri, Domine, nihilque occultum est a facie oculorum tuorum. Sed quoniam tu per Prophetam dixisti, Domine : « Dic tu primum peccata tua, ut jus» tificeris [4]. » Peccavi, Domine, peccavi, et non sum dignus respicere ac contemplari altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum. Quia ob modicam voluptatem pro nihilo ignem æternum reputavi, regnumque tuum assequi non sum conatus. Quid igitur infelicissimus ego mortalium faciam? Plangam me ipsum diu noctuque, donec tempus adhuc suppetit, quo lacrymæ suscipiantur. Largire mihi, Domine, lacrymas compunctionis, qui solus bonus es, et misericors, ut iis tibi supplicem, ut maculæ cordis mei emundentur. Væ mihi, quid agam? Quo pacto gehennam ignis, ac tenebras exteriores, ubi fletus est et stridor dentium, effugiam? Væ mihi, quid faciam? Quomodo tartarum, sempiternumque supplicium, et vermem venenum

[1] Matth. v, 5, et Luc. vi, 21. — [2] Jacob. iv, 9, 10. — [3] Matth. xxv, 34. — [4] Isaï. xliii, 26.

ejaculantem semperque vigilantem evadere potero? Væ mihi, quid faciam? Quomodo comminationes malorum, qui suppliciis præsunt, Angelorum subterfugiam? quoniam horrendi sunt, et absque misericordia.

III. « Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum[1], » ut sedens fleam noctu diuque, Deumque, quem ad iram provocavi, placatum reddam? Peccasti, o anima mea? pœnitentiam age. Nam ecce dies nostri, velut umbra, prætereunt. Adhuc modicum, et hinc migrabis. Formidabilia loca pertransitura es, o anima mea. Ne differas de die in diem converti ad Dominum. Væ mihi, o anima! operibus immundis divinam a te fugasti misericordiam. Ne des igitur tibi requiem, neque sileat pupilla oculorum tuorum; sed procidens optimo et benignissimo Deo, ora eum, ut mittat tibi ab alto gratiam et misericordiam. Fratres, horrenda atque tremenda non multo post pertransituri sumus loca; fierique non poterit, quin per illam ingrediamur viam. Nullus eorum, quos hic habemus, nobis opem ferre, aut comitari nos poterit: non parentes, non fratres, non amici, non genus, non divitiæ, aut quid his simile. Caveamus ergo bona opera negligere, ut ea in tempore necessitatis inveniamus. Sobrii simus, et vigilemus in præsenti sæculo, ne post corporis separationem nos apprehendant principes tenebrarum. Et quis illa hora nos adjuvabit, redimetque ex manibus eorum? Si divina tunc protectione despoliati reperiamur, sævi atque crudeles ibi tenebrarum aderunt principes, qui nec regem timebunt, nec tyrannos curant, non parvum, non magnum; nisi solum eum, qui in Dei cultu ac pietate vitam suam transegerit, in operibusque se bonis occupaverit. Ab hujus sibi conspectu timebunt, recedentque timore perculsi, magno cum studio transitum præbentes, sicut scriptum est: « Quoniam gratia

[1] Jer. IX, 1.

» et misericordia in electos ejus, et respectus in Sanctos » illius [1]. » Rursusque ait : « Justorum animæ in manu Do» mini sunt, et non tanget eos tormentum [2]. » Anteibit enim justitia eorum ante faciem ipsorum, et gloria Dei cooperiet eos. Tunc invocabunt, et Deus exaudiet eos : clamabunt, et ipsis dicet : « Ecce adsum. Fidelis enim est, qui » repromisit [3]. » Beatus, qui in hora separationis invenietur liber. Ne igitur torpescamus, fratres charissimi, neque res alienas ad nos attrahamus, quæ penitus sunt corruptibiles. Illa via quæcumque destruit. Nam, adventante separationis hora, voluptates marcescunt, deliciæ ac vana gloria pereunt, divitiæ cum cupiditate dominandi deficiunt. Adventante separationis hora, cuncta ista, et his similia dissolventur.

IV. Domine, horam illam animo mecum revolvens, procido tuæ bonitati, rogoque, ne me tradi patiaris nocentibus mihi. Ne glorientur inimici tui adversus servum tuum, benignissime Domine, dentibus stridentes, animamque meam peccatricem exterrentes ; neque dicant : « In manus nostras venisti, nobis es traditus : verumtamen hæc est, quam expectabamus, dies. » Ne, Domine, ne, quæso, obliviscaris miserationum tuarum. Ne, Domine, ne retribuas mihi secundum iniquitates meas, et ne avertas a me faciem tuam, neque dicas mihi : « Amen dico tibi, non novi te [4]. » Tu, Domine, corripe me ; verum in misericordia ; et inimicus meus non supergaudeat mihi [5], sed ejus minas extingue, omnemque operationem ejus destrue : et da mihi viam ad te dedecoris expertem atque inoffensam. Exorari te sine, Domine, non quidem propter justitias meas, sed ob miserationes tuas, et propter nimiam bonitatem tuam. Salva animam a morte oppressam. Recordare, bone Domine, quod et peccans, et ad mortem usque vulneratus, ad alium non

[1] Sap. IV, 15. — [2] Isaï. LVIII, 2. — [3] Hebr. X, 23. — [4] Matth. XXV, 12, et Luc. XIII, 27. — [5] Psal. XXXIV.

confugerim medicum, neque manus meas expanderim ad Deum alienum nisi ad tuam bonitatem. Tu enim es universorum Dominus, qui habes potestatem omnis spiritus. Tu dixisti, Domine : « Petite, et dabitur vobis : pulsate, et » aperietur vobis [1]. » Munda me, Domine, ante meum exitum ab omni peccato. Ne repellas deprecationem meam, benignissime Domine. Indignum os clamat ad te, et cor non rectum, et anima peccatis contaminata.

V. Exaudi me, Domine, propter bonitatem tuam : non enim repellis precationem vere pœnitentium, qui ad te convertuntur. Verum mea pœnitentia non est pura, sed corrupta. Ad horam unam pœnitentiam ago, et duabus te ad iram provoco. Confirma cor meum in timore, bone Domine. Statue pedes meos super petram pœnitentiæ. Vincat meam malitiam tua bonitas, Domine. Vincat eas, quæ in me sunt, tenebras lumen gratiæ tuæ. Domine, qui oculos cæci aperuisti, aperi tenebris circumfusos oculos cordis mei. Qui verbo leprosos mundasti, munda maculas animæ meæ [2]. Fiat in me gratia tua, Domine, sicut ignis, comburens in me cogitationes immundas. Tu enim solus bonus es, lumen quod omne lumen excedit, gaudium super omne gaudium, requies superans omnem requiem, vita vera, salus in æternum permanens. Tibi soli bono ego omnis supplicii reus, ego qui quamcumque pœnam mereor, supplex procido. Tibi redemptori supplico, ne in fine adversarius me comprehendat. Sed tu, Domine, tanquam bonus et malitiæ immemor, atque misericors, resuscita membra mea, quæ peccatum diffregit. Vivifica animam meam, quam iniquitas occidit. Cor meum illumina, quod improba concupiscentia obcæcavit. Libera me ab omni opere malo, et insere in me charitatem perfectam, Domine Jesu Christe Salvator mundi : nomenque servi tui libro

[1] Matth. VII, 7. — [2] Id. VIII, IX, XII, XX. Marc. I, et Luc. V.

vitæ inscribe, finem mihi bonum largiens, ut relata de diabolo victoria, absque confusione adorem coram throno regni tui cum omnibus justis. Quoniam tibi convenit gloria in sæcula. Amen.

VI. Obsecro vos, dilectissimi fratres, electi Dei, ut pro me peccatore apud Dominum precemini, sicut Apostoli pro Chananæa : digni pro indigno, honorandi pro vili et abjecto; ut oratio mea per acceptabiles vestras preces ante conspectum Dei dirigatur. Quia ipsi convenit imperium, et magnificentia. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO ASCETICUS I.

I. Labor et dolor me ad loquendum atque dicendum compellunt : verum indignitas mea silentium mihi imperat. Cordis mei dolores loqui vehementer urgent : sed peccata mea potius ut taceam suadent. Cum igitur utrinque coarcter, loqui mihi magis expedit, quam silere, ut vel sic a dolore cordis mei respirem atque quiescam. Anima quippe mea dolore plena est, et oculi mei lacrymas concupiscunt. « Quis ergo dabit capiti meo aquam, et oculis » meis fontem lacrymarum [1], » ut deplorem diu noctuque vulnera animæ meæ, magnamque relaxationem instituti monastici hac nostra ætate invalescentem? Est enim anima mea mille confecta vulneribus et ignorat : siquidem elatio ejus atque arrogantia ipsam sua considerare vulnera non sinit, ut curentur. Sola autem monastica institutio, quæ

[1] Jer. IX, 1.

Patrum nostrorum temporibus vigebat, recte servabatur : quippe qui fulserunt ut luminaria per totum mundum, piam atque religiosam in eo vitam ducentes, inter tribulos et spinas, hæreticos inquam, ac homines impios ; et veluti lapides quidam pretiosi, ac margaritæ illustres enituerunt : quorum et ipsi inimici atque adversarii, ob summam castissimamque illorum conversationem, imitatores facti sunt.

II. Quis enim admirandam illorum cernens humilitatem, animo non est compunctus ? aut quis eorum mansuetudinem et quietem aspiciens, stupore non est correptus ? Quis ita pecuniæ atque avaritiæ deditus, ut voluntaria illorum paupertate perspecta, non illico mundi odium conceperit ? Quis ita rapinis inhians, et superbus, ut cum vitæ illorum honestatem integritatemque exploratum habuerit, in æquitatem non sit mutatus ? Quis fornicator, aut profanus illos precibus intentos conspexit, et non continuo pudicus et castus est effectus ? Quis adeo ira aut furore fervidus, ut ex illorum conversatione atque colloquio in mansuetudinem non transierit ? hic igitur illi olim decertantes, nunc illic exultant : quoniam et Deus glorificatus est in eis, et homines exemplo illorum sunt ædificati : nostra porro institutio, relictis viis rectis, per præcipitia fertur, asperasque per vias incedit. Non enim reperitur hoc tempore qui propter Deum pecunias ac facultates deserat : neque est qui ob vitam æternam sæculo renuntiet. Non est mitis, non humilis, non quietus : non est qui contumeliis injuriisque affectus, patienter ferat. At cuncti et contensiosi : cuncti desides et indignabundi, vestiumque ornamenta sectantes : cuncti vani sunt et inanis gloriæ cupidi : cuncti proprio amore capti. Nam is quidem, qui ut instituatur accedit, antequam se instrui patiatur, alios instruere cupit : priusquam doceatur, aliis leges dictare ambit : antequam syllabas connectere noverit, philosophatur : antequam subda-

tur, subjicere sibi alios appetit : antequam superiorum imperatis morem gerat, ipse jubet et imperat : et priusquam corripi atque admoneri velit, ipse aliis leges præscribere nititur. Et si quidem senior sit atque provectior, cum audacia et superbia imperat : at si junior, contradicit atque repugnat. Quod si forte dives est, honorem sibi confestim deferri postulat : si vero pauper, de requie est sollicitus : sin autem operarius, digitos delicatos atque elegantes habere studet.

III. Quis igitur non deplangat, charissimi, nostram religiosam institutionem? nos enim, qui sæculo abrenuntiavimus, terrena adhuc sapimus. Agricolæ ac rustici despiciunt terram : et nos, qui videbamur esse spiritales, terrenis curis distringimur. An ignoramus, ad quid vocati sumus, fratres? an nescimus, quorsum venerimus, dilectissimi? ad temperantiam et abstinentiam vocati sumus, et ciborum varias exquisitasque delicias expetimus. Ad nuditatem persequendam venimus, et de vestium cultu contendimus. Ad obedientiam et mansuetudinem sumus vocati, et cum asperitate resistimus. Legentes non intelligimus, et audientes, ea quæ dicuntur non percipimus. Si quis forte per iter repente jugulatum hominem offendat, mutatur atque expallescit facie, et corde perhorrescit : nos vero occisos dum legimus Apostolos, et Prophetas lapidibus obrutos, frustra hæc legi existimamus.

IV. Et quid de Prophetis dico et Apostolis? Ipsum Deum Verbum in ligno suspensum occisumque propter peccata nostra audientes, mente vaga distrahimur, et ad risum convertimur. Sol non ferens injuriam ac contumeliam Domini, subductis radiis splendorem suum in tenebras convertit : et nos ex malitiæ nostræ tenebris converti nolumus. Velum templi cum nihil peccasset, a se ipso discissum est [1] :

[1] Matth. XXVII, 45. Marc. XV, 33, et Luc. XXIII, 45.

et nos propter peccata nostra corde compungi recusamus. Terra contremiscens a facie Domini ad nostrum terrorem sub pedibus nostris commovetur : et nos ne sic quidem timore concutimur. Urbes terræ motibus absorptæ sunt, et loca a facie iræ Domini desolata sunt : et neque sic terrore corripimur. Sol jam semel, et iterum super nos meridianis horis obscuratus est : et neque sic corde expavescimus. Persarum bella, ac diversarum gentium barbararum commota sunt, nostramque provinciam devastarunt, ut nos Deum timentes, pœnitentiam agamus, cum pœnitentia nobis opus sit non paucorum duntaxat dierum aut mensium; sed annorum ac temporum multorum : et ne sic quidem converti volumus.

V. Resipiscamus igitur, fratres, ut Deum peccatis nostris propitium habere valeamus. Deprecemur ipsum, quia iram ejus provocavimus. Humiliemus nos, ut nos exaltet. Ploremus, ut nos consoletur. Projiciamus a nobis omnem consuetudinem malam, et virtute quasi vestimento induamur, maxime nos, qui ad hoc angelicum vitæ institutum pervenire promeruimus. Ita, charissimi mei, modum ac normam illam illustrem perfectamque, quam Patres nostri olim tenuere, amplectamur. Ne hodie per abstinentiam macereris; cras autem epulis distendaris. Ne hodie aquam bibas, et cras vini potationi indulgeas. Ne hodie nudis pedibus incedas, et cras calceos caligasque assumas. Ne hodie cilicio utaris, et cras trilicibus vestimentis operiaris. Ne hodie simplicem amictum geras, et cras ornatum requiras. Ne modo mitis ac humilis appareas, paulo autem postea arrogans atque superbus sis. Ne hodie mansuetum et obedientem te præbeas, et cras inconstantem atque inobedientem. Ne hodie in te ploratus ac ejulatus audiatur, et cras risus atque contemptio. Ne hodie humi cubes, et cras in lecto molli dormias. Verum unam tibi regulam, charissime,

deligas, per quam Deo gratus acceptusque esse possis, tibique ipsi ac proximo tuo prodesse valeas. Quod si per abstinentiam te ipsum maceras atque mortificas, vitamque solitariam degis, Dominum tuum dicentem ausculta : « Quæcumque vultis, ut vobis faciant homines, et vos illis » facite similiter [1]. » Si vero ob corporis infirmitatem assidue tibi ab aliis ministrari oportuerit, vide et sollicite attende, ne proximo damnum injuriamve inferas.

VI. Propterea vero et perfecti olim Patres, jactis firmiter unius vivendi regulæ fundamentis, illum canonem, quem semel arripuerant, ad finem usque vitæ sine impedimento aliquo retinuerunt. Nam alii quadraginta annis, alii quinquaginta, nunquam vitæ ordinem immutarunt, continenter præclaram atque irreprehensibilem ciborum et linguæ temperantiam, humi cubationem, humilitatem, mansuetudinem, fidem, et charitatem, quæ perfectæ atque spiritualis ædificationis vinculum est, voluntariamque paupertatem servantes, et ab omnibus terrenis rebus se abstrahentes, ac vitam virtutibus decoratam agentes, et in vigilias orationesque cum lacrymis et compunctione incumbentes, risumque ultra vultus serenitatem erumpere nunquam sinentes. Superbiam illi prorsus conculcabant. Iræ atque indignationi locum plane non tribuebant. Aurum et argentum pro nihilo reputabant, et ut omnia summatim complectar, se ipsos ab omni sorde mundos servabant. Et ideo Deus quoque in illis habitavit, atque in eis est glorificatus : et quicumque illos videre vel audire meruerunt, Deo gloriam dederunt. Nisi enim quis se ipsum ab omni re iniqua, sordidisque cogitationibus, ac pravis affectionibus, ira quoque et indignatione, invidia atque superbia, et vana gloria, odio, et contentione, detractione, garrulitate, et nugis, cunctis denique (ne singula recenseam) quæ odit Deus,

[1] Matth. VII, 12, et Luc. VI, 31.

expurgaverit atque emundaverit, ita ut longe ab illis absit; nequaquam in illo habitabit Deus. Dicito enim mihi, obsecro : si quis te in lutum projiceret, et in eo semper te manere vellet, libenter-ne hoc ferres? Quod si tu, qui vermis es, illud sustinere nequeas, quomodo vis ipsum Deum, qui immaculatus et incontaminatus est, solusque sanctus et in sanctis requiescit, in te, qui cœnoso fœtore plenus es, inhabitare?

VII. Emundemus igitur nosmetipsos, dilectissimi, ut Deus in nobis inhabitet, et promissa ejus consequi mereamur. Ne, quæso, nomini ejus sancto, quod invocatum est super nos, injuriam inferamus. Ne propter nos nomen Dei nostri blasphemetur. Parcamus nobis ipsis, et intelligamus nomen nostrum nomini Christi consonare : Christus enim ipse, et nos Christiani vocamur. « Deus spiritus est [1] : » quare et nos efficiamur spiritales. « Ubi enim spiritus Domini, ibi » libertas [2]. » Demus igitur operam, ut hac libertate perfruamur. Consideremus qua nos conversatione dignatus est. Agnoscamus quod ad suas nos nuptias invitarit; nosque invicem sic diligamus, quemadmodum ipse nos dilexit. Desideremus eum, ut nos ipse glorificet. Attendamus nobis ipsis, ne duplici pœna in die judicii mulctemur; maxime si post sæculi abdicationem, adhuc ea quæ mundi sunt, sapiamus : si post pecuniarum opumque contemptionem, de iis adhuc solliciti simus : si post carnalium abrenuntiationem, iterum quæ carnis sunt persequamur. Quamobrem metuo ne repente nobis dies superveniat : nudique tunc inventi, ac miseri, et imparati, nos ipsos accusemus. « Idem » enim et in diebus Noë passi sunt, quando edebant et bi- » bebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias [3], » vendebant et emebant, donec repente superveniens diluvium

[1] Joan. IV, 24. — [2] 2 Cor. III, 17. — [3] Gen. VII, 5. Matth. XXIV, 37, 38, et Luc. XVII, 26, 27.

perdidit omnes. Res quippe admiratione dignissima tunc erat, fratres, intueri fera animantia in unum cogi, ac elephantes quidem ex India et Perside adventare; leones autem et pardos ovibus caprisque misceri, et nihil eis nocere: serpentes et volucres, nemine impellente, accedere, et circumcirca arcam degere atque excubare, idque per dies plurimos: ipsumque Noë studiose arcam fabricari, ac magnis illos vocibus ad pœnitentiam hortari; et ne sic tamen illi resipiscere voluerunt; neque tot mirabilius inspectis, tantoque variorum animalium atque immanium ferarum conventu compuncti sunt, ut salvari mererentur.

VIII. Timeamus igitur, charissimi, ne eadem et nos patiamur. Nam quæ fuerant scripta, jam completa sunt: et quæ prædicta erant, signa finem acceperunt: nihilque restat deinceps, nisi ut inimici nostri Antichristi adventus reveletur. Nam ubi Romanorum imperium finem acceperit, omnia consummari oportebit. Qui ergo salvari cupit, studiose contendat, et qui cœleste regnum intrare desiderat, negligentiam atque torporem omnem a se depellat. Qui a gehenna ignis liberari expetit, legitime decertet, et qui vermi nunquam dormienti pabulum esse noluerit, vigilem ac sobrium se præbeat. Qui exaltari optat, penitus sese humiliet: et qui vult consolari, lugeat ac fleat. Qui thalamum ingredi concupiscit, et gloriari atque exultare in eo, lucidam lampadem præferat, et oleum secum in vasis sumat: et qui ad illas nuptias invitari expectat, vestem sibi splendidam comparet. Est enim civitas illa Regis plena lætitiæ et jubilationis, plena luminis, dulcedinis, et suavitatis, quæ æternæ conjuncta vitæ omnibus in ea habitantibus jugiter manant. Si quis ergo illius Regis appetit civis atque familiaris fieri, celeriter eo pergat: nam dies jam inclinatur ad vesperam, nullusque quid sibi in itinere occursurum sit, novit. Quemadmodum enim si quis viator

sciens itineris sui longinquitatem, fatigatus in via obdormiat usque ad vesperam; ac deinde somno experrectus, videt jam diem inclinatam : cumque ulterius pergere tentet, repente in ipso itineris initio nubes illum ac grandines, tonitrua et fulgura, tribulationesque atque angustiæ undique obruunt atque exagitant, ita ut neque ad destinatum locum ultra progredi, neque domum retrogredi possit : ita etiam nos, si pœnitentiam agere neglexerimus, dum tempus pœnitentiæ adhuc nobis suppetit, graves sane pœnas similiter luemus. Advenæ enim et peregrini hic sumus [1]. Quare studeamus in civitatem ac patriam nostram cumulati divitiis introire. Negotiatores spirituales sumus, fratres, pretiosam quærentes margaritam, qui est Christus Salvator noster, gloriatio et thesaurus noster a prædæ periculo immunis. Quamobrem magna diligentia studeamus illum acquirere atque possidere.

IX. Felix sane, imo felicissimus, qui illum sibi acquirere ac vindicare studuit : sicut contra miserrimus atque infelicissimus est, qui Conditorem omnium nostrum possidere, atque ab eo possideri neglexit. An nescitis, fratres, nos vitis veræ, quæ Dominus est, palmites esse [2]? Videte igitur ne quis infructuosus inveniatur. Nam veritatis agricola Pater est, qui hanc vitem excolit, illosque, qui fructum afferunt, majore studio atque amore colit, ut copiosiorem fructum referant : eos vero, qui fructum non faciunt, excindit, et extra vineam projicit, ut igne comburantur. Solliciti ergo vobis ipsis attendite, ne infructuosi inveniamini, excisique igni tradamini. Similiter semen bonum sumus, quod seminavit cœli terræque Creator, Christus paterfamilias. Nunc tempus messis advenit, et messores paratas manibus tenent falces, solumque Domini nutum expectant [3]. Videte igi-

[1] Psal. XXXVIII, 13, et Hebr. XI, 13. — [2] Joan. XV, 5. — [3] Marc. IV, 29.

tur ne quis inveniatur esse zizania, et in fasciculos colligatus, comburatur igne sempiterno.

X. Non intelligitis, fratres mei, quam formidabile pelagus nobis sit transfretandum? Perfecti quoque, ac sapientissimi mercatores paratas suas tenent merces, expectantque donec illis secundus aspiret ventus, ut, trajecto pelago, ad portum vitæ applicent. Ego vero, meique similes, qui negligentia et otio diffluimus, variisque vitæ distractionibus tenemur, nullam prorsus animo sollicitudinem gerimus, quo hoc pelagus trajicere possimus. Quare metuo, ne quando repente ventus afflaverit, imparati reperiamur ac minime instructi, ligatosque in navim nos projiciant, ubi dies negligentiæ atque socordiæ nostræ deploremus, dum interim alios exultantes lætosque conspiciemus, nos vero ipsos in afflictione atque dolore constitutos. In illo enim portu unusquisque cum suis opibus ac mercibus gloriatur et exultat. An ignoratis, dilectissimi, quod ad nuptias a Rege regum vocati sumus? Cur ergo negligimus? Cur hic non tota animi intentione curamus nobis splendidam parare vestem, lampadémque lucentem una cum oleo in vasis sumere? An putatis nudum quemquam illuc ingredi posse? Quod si quis impudenter ac temere, absque veste nuptiali introire præsumpserit, scitis quid pati debeat ejusmodi? Jussu enim Regis, ligatis pedibus ac manibus, projicitur in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium. Vereor equidem, charissimi, ne nos ab illo thalamo affectiones carnales expellant, cum solo exteriore habitu ornati simus : exterior enim cultus ac habitus, cordis nostri et mentis indicium est. Siquidem ornatus indumentorum, vestisque nimis accurate composita nos vera illa gloria nudos indicant ac terrena sapere : et amor gloriæ nos vanitati deditos esse designat, ciborumque deliciæ gulæ concupiscentiam arguunt. Negligentia pigros atque inertes nos esse declarat.

Nimius amor plura acquirendi ac possidendi, quod Christum non amemus, neque desideremus, nos accusat. Invidiæ lues charitatem in nobis non esse denuntiat. Frequens pedum facieique ablutio nos nostris servire passionibus significat. Per linguam, quid cor nostrum appetat, declaratur : quæ enim cor desiderat, lingua proferre consuevit, motuque labiorum cordis nostri arcana depromuntur. Nam ubi os nostrum aperitur, amoto jam ostio atque custode, sermo etiam noster citra delectum, temereque progreditur; per verba autem cordis occulta produntur. Os siquidem, quod animi secreta non servat, suas illi cogitationes furatur : et dum intra se mens continere se existimat, oris temeritate atque effrenatione evulgatur, cum se minime videri arbitratur. Blandum detractionis vitium dum libenter auditur, animæ odio laborantis certum indicium est.

XI. Ne igitur quis erret, ut exteriore religionis habitu se aliquid esse existimet : qui se putat ejusmodi apparenti specie religiosum esse, se ipsum, fratremque suum fallit ac decipit. Et illa simulata religio quam sit falsa, ex ipsa protinus conversatione ejus facile cuivis constare poterit. Si enim cogitationes cordis ipsius addiscere velis, aures tuas ori ejus admove, statimque ex illo cognosces de quibus sollicitus sit ac cogitet : utrum de terrenis, an de cœlestibus; de spiritualibus, an de carnalibus; de voluptatibus, an de continentia ac temperantia; de opibus accumulandis, an de voluntaria paupertate; de humilitate, an de superbia; de charitate, an de odio. Nam de cordis thesauro os depromit escas ad se accedentibus; et linguæ usus, quibus cor perfrui desideret, Christo-ne, an rebus præsentis sæculi, ostendit : invisibilisque anima per actus proprii corporis cernitur, cujusmodi sit, bona-ne, an mala. Bona quidem per naturam est : at voluntate liberi arbitrii mutatur in malam. Cæterum dixerit fortasse quispiam passiones

ejusmodi naturales esse, eosque, qui indulgent, culpa ac crimine vacare. Attende tibi ipsi, ne pulchrum optimi Dei opificium in crimen ac culpam adducas. Fecit enim ipse cuncta valde bona, et naturam omnibus exornavit bonis. Esurit aliquis? non culpatur, si moderate comedat; et enim naturalis esuries. Sitit quispiam similiter? non redditur obnoxius reprehensioni, si quantum satis sit bibat; est enim sitis naturalis. Dormit aliquis? non trahitur in culpam, nisi immoderate dormierit; quippe si se ipsum nimium relaxarit, negligentiæque ac somno tradiderit, ita ut naturam immodici somni consuetudine vinci permiserit. Natura enim, et consuetudo utrarumque partium testes sunt atque præcones. Natura servitutem ostendit, et consuetudo propositum voluntatis indicat; ex utrisque enim consistit homo. Voluntas vero cum libera sit ac sui juris, tanquam agricola quidam est, naturæ nostræ consuetudine pravas ac bonas inserens, sicut ipsa voluerit. Malas quidem consuetudines hac inserit ratione. Per famem, gulam : per sitim, immodicam potationem : per somnum, negligentiam atque torporem : per aspectum, cogitationem improbam : et per veritatem mendacium inserit. Similiter virtutes bonas hoc inserit modo. Cibo inserit temperantiam, siti tolerantiam, somno vigilias, veritatem mendacio, et aspectui pudicitiam.

XII. In ictu enim oculi voluntas nostra, instar agricolæ, ut dixi, consuetudines malas radicitus evellit, bonas autem virtutes inserit, naturam vincens : nam veluti terra quædam actionis nostræ, natura est; agricola voluntas est; consiliarii vero atque magistri, divinæ sunt Scripturæ. Docent enim nostrum agricolam, quas quidem consuetudines pravas evellere et quas virtutes bonas inserere debeat. Nam quantumvis vigilans ac diligens noster agricola fuerit, absque divinarum Scripturarum doctrina obtusus est prorsus-

que rudis. Siquidem socrarum Litterarum institutio atque doctrina intelligentiam ipsi viresque præbet : et virtutes bonas ex propriis ramis ac surculis illi administrat, ut eas naturæ suæ ligno inserat. Fidem quippe illi præstat, quam infidelitati innectat : et spem, quam desperationi : charitatem, quam odio : scientiam, quam ignorantiæ : diligentiam, quam negligentiæ : laudem ac gloriam, quam probro atque ignominiæ : immortalitatem, quam mortalitati : divinitatem denique, quam humanitati inserat. Cæterum si contumacia atque arrogantia sua ductus ille noster agricola, magistrum atque consiliarium suum relinquere voluerit, divinas inquam Scripturas : errabit vagus, et in cogitationibus malas incidet; congerensque consuetudines absurdas atque perversas, inferet naturæ suæ quæ maxime ei sunt contraria : puta, infidelitatem, ignorantiam, odium et invidiam, superbiam, inanem gloriam, ambitionem, gulam, contentionem et contradictionem, aliaque plura his similia.

XIII. Ubi enim Legislatorem dereliquerit, et ipse derelinquetur ab illo : sin vero pœnitentia ductus se ipsum agnoverit ac reprehenderit, procidensque Legislatori dicat : « Peccavi, quod te deseruerim : » illico Legifer ad misericordiam flexus, eum clementissime suscipit, illique intellectum viresque bonas præbet, quo iterum naturæ suæ terram operetur, evellensque ex ea consuetudines pravas, inserat in illam virtutes optimas : coronisque præterea ac laudibus illum donat et ornat : ita nimirum, ut dum naturaliter esurit, abstineat; sitiens toleret; concupiscentiis stimulatus, pudicitiam teneat; somno gravatus, et pigritia atque segnitie a divinis laudibus torpescens, ad vigilias se convertat, seque ipsum ad glorificandum Deum compellat. Sicque coronatur, naturam vincens, virtutesque sibi acquirens. Gloria igitur benignitati ac clementiæ ejus, et confessio bonitati ejus, et adoratio miserationibus ejus. Quis enim

pater ita misericors? quis pater ita miserator? quis pater sic suos diligit filios, quemadmodum nos servos suos Dominus noster diligit? omnia quippe donat, omnia affluenter dispensat. Animarum nostrarum vulnera sanat, spretusque a nobis, longanimiter suffert. Omnes nos regni sui hæredes fieri desiderat. Vult etiam voluntatem nostram a se laudari, cum faciles levesque morbi per eam curentur; graves vero et incurabiles morbos ipse sanat. Et pigri quidem ac desidis vulnera curat, ut os suum ad ipsum glorificandum aperiat. Peccatori quoque peccata sua dimittit, ut eum ad promptitudinem et alacritatem bonæ voluntatis excitet. Infirmum cito exaudit, ne in pusillanimitatem incidat. Cæterum magnanimis, et eis, qui constanter ac perseveranter januam ejus pulsant, utrumque largitur, et sanitatem scilicet et mercedem.

XIV. Poterat ille quidem cuncta animarum nostrarum sanare vulnera, nosque etiam invitos ad bonitatem convertere; sed id facere non vult, ne voluntas nostra, arbitriique libertas laudibus ipsius privetur. Nos igitur ipsum in adjutorium atque patrocinium nostrum invocare negligimus, cum ipse dilexit nos et misertus est nostri? Ipse nos redemit: ipse mentis nostræ oculos illuminavit: ipse nobis suam cogitationem præbuit, suamque dulcedinem gustandam indulsit, ut ipsum jugiter sine intermissione requiramus. Felix ille ac beatus, qui, percepto dilectionis ejus gustu, ad charitatis ejus plenitudinem jugiter suscipiendam se ipsum præparavit. Nam qui ejusmodi charitate repletus fuerit, amorem alterius cujuscumque rei in se ipso nequaquam suscipiet. Quis ergo, dilectissimi, talem non diligat Dominum? Quis bonitatem ejus non adoret, confiteaturque, ac prædicet? Quam vero excusationem in die judicii habituri sumus, si desides negligentesque fuerimus? aut quidnam ei dicemus? An quia non audivimus? aut quia non cognovimus? vel quia

non didicimus? Quid, obsecro, ille potuit nobis facere, et non fecit? Ex immensa illa celsitudine et benedicto sinu Patris nonne ad nos descendit? nonne cum invisibilis esset, se ipsum nobis videndum exhibuit? et qui erat immortalis ignis, nonne propter nos incarnatus est? nonne, ut liberaret nos, palmis in faciem verberatus est? O miraculum timore ac tremore plenum! Manus lutea, ex pulvere terræ formata, alapam dedit Conditori cœli et terræ[1]! Nos vero miseri et infelices, qui terreni sumus et mortales, pulvis et cinis, ne usque ad verbum quidem sufferre invicem possumus. Cum esset immortalis, nonne mortem pro nobis pertulit, ut nos ad vitam revocaret? nonne sepultus est, ut secum nos pariter resuscitaret? Ex inimici nos vinculis absolvit, vinctumque eum tradidit nobis conculcandum sub pedibus nostris. Invocavimus aliquando ipsum, et non exaudivit nos? pulsavimus, et non aperuit nobis? Etsi vero audire interdum distulit, ideo moram fecit, ut merces nostra copiosior redderetur.

XV. Cur autem abrenuntiasti sæculo, charissime? an adhuc sæculi oblectamenta persequeris? pro nuditate cultum vestium, et pro siti vini potationem? Ad prælium invitatus es; et tu sine armis in aciem adversus hostes descendere cupis? pro vigiliis, somno deprimeris? pro luctu et planctu, in risum effunderis? pro charitate, odium in fratrem exerces? Ad obedientiam vocatus es, et subjici recusas? Ad hæreditatem regni ipsius invitatus es; et tu terrena sapis? Ad humilitatem et mansuetudinem; et tu superbia atque arrogantia intumescis? Et quid illi in die illa dicturus es? numquid, quia propter te humiliatus sum? quia pauper affectus sum? quia nudus incessi? quia esurivi, et sitivi? quia dilexi te ex tota anima mea, et proximum sicut me ipsum? An ignoras quia omnes sermones et cogitationes tuæ conscriptæ

[1] Matth. XXVI, 67. Marc. XIV, 65, et Joan. XVIII, 25.

sunt? et conscientia tua testis tibi erit, et si mentiri volueris, te arguet? An nescis quoniam omnis creatura cum metu ac tremore magno ante illius tribunal astabit; et millia millium, et centies millies millena millia Angelorum in conspectu ejus circumstabunt? Et tu mentiri cogitas, et dicere: «Quia propter te hæc omnia sustinui?» Vide ne duplicem luas pœnam, pessimorum scilicet actuum tuorum, et mendacii. Expergiscere ergo, et surge a somno, et redi in te ipsum. Revolve mente cogitationes tuas, et considera quia jam inclinata est dies. Sed et hoc jam, frater, intellige, quod qui heri nobiscum erant fratres nostri, et nobis loquebantur, hodie nobiscum esse desierunt. Evocati enim sunt ad suum nostrumque Dominum, ut unusquisque eorum negotiationis suæ rationem reddat. Ecce cognosce atque perpende, quæ hesterni atque hodierni sunt diei: et vide quomodo hesternus quidem dies quasi flos matutinus præteriit; hodiernus autem velut umbra vespertina. Contemplare quoque quæstum negotiationis tuæ, an secundum Deum procedat atque proficiat. Sicut enim cursor velocissimus, dies nostri pertranseunt. Beatus igitur, qui quotidie quæstum hujuscemodi negotiationis suæ acquirit, eumque in vitam æternam congregat.

XVI. Cæterum tu, dilectissime, cur negligis? cur torpore atque ignavia deprimeris? Cur pigritia ac tædio, tanquam vino inebriaris? Cur in te ipso exacerbaris? Mansionem-ne in hoc sæculo facturus es? Quemadmodum enim si duo aliqui viatores in itinere sibi mutuo occurrant, et in suum singuli hospitium pergant; vespere autem facto, in una, quæ se forte illis obtulerit, mansione simul remanserint, et illucescente jam die ab invicem separantur; novitque quilibet eorum quid habeat in domo sua, divitias an paupertatem, requiem an tribulationem: ita et nos sumus in hoc sæculo. Mansioni namque similis est hæc vita:

quippe ex qua separamur ab invicem, quilibet nostrum in suum locum pergens, intelligensque quid ante reconditum habeat. Nullus enim ex nobis ignorat quidnam ante se in cœlum præmiserit : puta, an preces cum lacrymis, an sanctas vigilias, an psalmodiam compunctioni conjunctam, an continentiam humilitati admixtam, an abrenuntiationem terrenarum rerum, an charitatem non fictam, et magnum desiderium Christi. Hæc si præmiseris, bono animo esto, quoniam ad requiem pergis. At si nihil ejusmodi præmiseris, quid in hac mansione proximum exacerbas? mane enim ab illo separandus eris? Quid superbis? aut quid insolescis? quidve mœrore deprimeris? an quia ne ipsam quidem mansionem separatim ferre potes? Quid enim tunicæ aut pallii cura angeris, sollicitudineque escarum? « Qui dat jumentis escam ipsorum[1], » non te nutriet, laudibus ipsius insistentem? Qui cœlestis ejus regni hæres fieri expectas, de tunica et pallio es sollicitus? Qui te ipsum mundo mortificasti, adhuc terrena sapis? Cur medicum exasperas, nolens sanitatem recipere? Tempore, quo curari posses, tua vulnera occultas, et medicum, quod non sis ab eo curatus, incusas? Tempus pœnitentiæ indultum est tibi, et pœnitentiam agere negligis? Cur ergo arguis legislatorem, quod tibi, dum negligis et parvipendis, mortem invexit? Numquid morti dices : « Permitte me pœnitentiam agere? »

XVII. Vigila igitur, charissime, vigila. Quasi enim laqueus, hora illa repente superveniet tibi, et tunc stupore atque pavore mens tua corripietur, tibique ipse dices : « Quomodo, me in superbiam elato, dies mei transierunt? quo pacto inter inutiles cogitationes tempus mihi præteriit? » Et quid proderit hæc in hora mortis cogitare, quando jam ulterius non concedetur tibi in hoc sæculo commorari?

[1] Psal. CXLVI, 9.

Imprime igitur animo tuo hæc quæ dicuntur. Introeant in aures tuas, quæ pronuntiata sunt a Domino, si tamen vel ipsi credis. Ait enim : « De omni verbo otioso reddituri sumus rationem in die illa [1]. » Sufficeret autem hic sermo, si tamen mens nostra esset sobria. Qui vero neque ea, quæ sunt scripta, intelligit; neque ea, quæ dicuntur, auscultat, similis est talis homo canali seu fistulæ, aquam quidem recipienti, sed quod transeat per ipsam, minime sentienti. Quis igitur non fleat? quis non contristetur? Et quis non obstupescat, quoniam orbis terræ Dominus tam per se ipsum, quam etiam per servos suos Prophetas et Apostolos prædicat et clamat, nec est qui audiat? Quænam vero illa sunt, quæ ab illis prædicantur? « Nuptiæ, inquit, paratæ » sunt [2], » et saginati tauri mei occisi sunt, et sponsus in thalamo suo cum gloria et magnificentia residet, et cum gaudio recipit introeuntes : fores patent, ministri festinant. Prius quam januæ claudantur, celeriter intrare properate, ne forte foris remanere cogamini, et ultra jam non sit, qui vos introducat. » Non est qui intelligat : non est qui curet, studiumque adhibeat : verum ignavia et sollicitudo sæculi hujus, catenæ instar, vinctam tenent mentem nostram. Divinas sane Scripturas recte quidem scribimus, et recte legimus : at recte illas audire nolumus, quia quæ nobis præcipiunt, opere implere recusamus.

XVIII. Quis, obsecro, aliquando sine viatico longinquæ peregrinationis iter arripuit? sicut nos facere volumus, qui relicto hic nostro viatico, nihil nobiscum hinc peregre profecturi deferimus. Felix sane ac beatus, qui cum fiducia proficiscitur ad Dominum, et indeficiens secum viaticum defert. Ecce etiam decem virgines dormiunt, et servi negotiantur, expectantes Dominum suum, quando, accepto regno, cum potestate et majestate magna veniet, corona-

[1] Matth. XII, 36. — [2] Id. XXII, 8, et Luc. XIV, 17.

turus quidem servos suos, qui, accepta ab eo pecunia, optime in ea mercati sunt; perditurus autem cunctos inimicos suos, qui ipsum super se regnare noluerunt. Quemadmodum si media nocte, gravi somno hominibus depressis, repente magnus e cœlo sonus efficiatur, tonitruaque horribilia, et coruscationes ac fulgura dira, una cum terræ motibus; exterritique subito dormientes, revolvat unusquisque apud se sua opera, sive illa bona fuerint, sive mala. Qui vero mala gesserint, in cubili suo jacentes percutient pectora sua, quia nullus jam illis erit aut evadendi, aut se abscondendi, aut resipiscendi ab his, quæ male egerint, locus reliquus. Terra namque concutietur, tonitrua terrebunt, fulgura consternabunt, et profundæ eos tenebræ occupabunt. Sic quoque in hora illa, instar fulguris velocissimi, repente exterrebit universam terram. Tuba enim cum timore ex cœlo resonans, excitabit defunctos, omnesque qui a sæculo obdormierunt, resuscitabit. Cœli cum virtutibus suis movebuntur; et terra omnis, ut aqua maris, a facie majestatis ejus contremiscet. Ignis enim horribilis ante faciem ipsius præcurret, emundans eam ab iniquitatibus, quibus fuerat contaminata[1]. Infernus æternas suas portas aperiet : mors destruetur : pulvis autem naturæ humanæ, qui computruerat, audita voce tubæ, spiritum vitamque recipiet. Erit enim vere mirabile hora illa, quasi in ictu oculi in inferno multitudinem innumerabilem, instar piscium in mari, agitari, et ossa infinita humanæ naturæ circumcurrendo, suas unumquodque compages atque juncturas requirere : surgentesque clamabunt omnes, et dicent : « Gloria ei, qui congregavit nos, et per immensam clementiam suam resuscitavit nos. » Tunc exultabunt justi, et lætabuntur sancti : quique veri ac perfecti ascetæ fuerint, consolatione perfruentur, et a laboribus exercitationis

[1] 1 Cor. xv, 24. 1 Thess. iv, 5. Matth. xxiv, 29, et Psal. xcvi, 3.

suæ requiescent. Martyres coronabuntur, Apostoli, et Prophetæ. Beatus qui meruerit horam illam videre, quando cum gloria rapientur in nubibus obviam immortali Sponso omnes qui dilexerunt eum [1], et cunctas voluntates ipsius perficere studuerunt. Nam sicut unusquisque hic perfectioni operam dedit : ita illuc ad excelsa pervolabit. Et quemadmodum hic quisque cor suum emundavit : sic ejus quoque gloriam intuebitur. Et quomodo quisque eum desideravit : ita etiam dilectione ipsius satiabitur. Admirabitur quoque in illa hora primus parens Adam, magna illa et terribilia cernens, quomodo nimirum ex se et conjuge sua gentes immensæ atque innumerabiles, infinitæque nationes processerint. Magis autem admirabitur, gloriam referens creatori Deo, quomodo ab una natura et ex una creatura procreati, alii in regno ac paradiso, alii in inferno sortem acceperint. Gloria soli sapienti Deo.

XIX. Charissimi, recordatus sum horæ illius, et contremui. Consideravi horrendum illud judicium, et expavi. Paradisi delicias atque oblectamenta perlustravi animo, et ingemiscens flevi, ita ut non remaneret in me vis, ut amplius flere possem : quoniam in negligentia atque distractione transegi dies meos, et in cogitationibus sordidis insumpsi annos meos, et quomodo mihi furtim sublati sint, non animadverti; neque quo pacto præterierint, sensi. Dies mei defecerunt, et iniquitates meæ multiplicatæ sunt. Hei mihi! hei mihi! dilectissimi : quid faciam in confusione horæ illius, quando per circuitum astabunt mihi noti mei, qui me in hoc religionis habitu conspicientes, beatum prædicabant; cum interim essem intus iniquitate et immunditia plenus, oblivisceremerque Domini, qui corda scrutatur et renes? Vere magna illic erit confusio : et infelix ac miser, qui illa ibi confusione notabitur atque excipietur.

[1] 1 Thess. IV, 13 et seqq.

XX. Deus pie et misericors, per miserationes ego tuas te adjuro, ne me cum hœdis a sinistris tuis statuas inter illos, qui te exacerbarunt, neque dixeris mihi : «Nescio te.» Sed per tuam clementiam, indesinentem mihi planctum compunctionemque largire, et humilitatem cordi meo concede, atque purifica illud, ut templum sanctæ gratiæ tuæ efficiatur. Nam licet peccator ego sim, impieque egerim, assidue tamen ad januam tuam pulso : etsi ignavus ac negligens, per viam tamen tuam semper incedo.

XXI. Obsecro charitatem vestram, fratres mei charissimi, omni studio contendite placere Deo, dum tempus vobis suppetit. Coram illo plorate dies noctesque, et in orationibus atque psalmodiis vestris assidue illum deprecamini, ut nos a sempiterno illo planctu, a stridore dentium, ab igne gehennæ, et a verme illo nunquam dormiente eripere ac liberare dignetur; nosque in suo regno, et in vita æterna semper gaudio repleat : ubi exulat omnis dolor, tristitia et gemitus; ubi neque lacrymis, neque pœnitentia opus est; ubi nec metus est, nec timor : unde corruptio extirpata est; ubi non est adversarius, neque impugnator; ubi non est exacerbatio, nec ira; ubi locum non habet odium, neque inimicitiæ : sed semper ibi adest gaudium, lætitia, et exultatio, mensaque cibis spiritualibus plena, quam præparavit Deus diligentibus se. Beatus qui ad eam meruerit accedere; miser autem et infelix, qui ea privatus fuerit.

XXII. Deprecor vos, dilectissimi, effundite super me viscera pietatis vestræ, et orate pro me, procidentes benignissimo amatori hominum unigenito Filio Dei, ut faciat mecum secundum misericordiam suam, et liberet me a multitudine iniquitatum mearum, collocetque me in circuitu tabernaculorum vestrorum inter macerias benedicti paradisi : ut prope vos ibi assistere merear, qui illius hæ-

redes estis. Vos namque filii estis dilecti; ego vero quasi canis sum abjectus ac vilis. Utinam vel micas vestræ mensæ projiciatis, ut impleatur in me quod Scriptum est : « Quoniam et catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensa[1]. » Ita sane, charissimi, effundite super me preces vestras, et venite, solliciti simus de vita nostra; omnia enim instar umbræ prætereunt. Aversemur mundum et quæ in eo sunt, sollicitudinem quoque et affectionem carnalem : nullaque omnino nobis alia sit cura, nisi duntaxat nostræ salutis : quemadmodum et Dominus noster præcepit, dicens : « Quid » enim proderit homini, si mundum universum lucretur; » animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit » homo commutationem pro anima sua[2]? »

XXIII. Negotiatores spirituales sumus, fratres, sæcularibus negotiatoribus similes. Negotiator damna et lucra quotidie computat; et si quidem damna perpessus fuerit, ea resarcire sollicite studet. Sic etiam et tu, charissime, diebus singulis vespere et mane diligenter considera, quo pacto sese habeat negotiatio tua, ac mercimonii ratio. Et vespere quidem ingressus cubiculum cordis tui, examina te ipsum, ac dicito : « Putas-ne, hodie in aliquo Deum exacerbavi? numquid verba otiosa protuli? Num per contemptum negligentiamve peccavi? num in re aliqua fratrem irritavi? num alicujus famam detrectationibus laceravi? num quando ore psallebam, res sæculares mente versabam? num quando carnalis in me concupiscentia irruit, blandum virus ego lubens suscepi? numquid a curis atque sollicitudinibus terrenis aliquando superatus sum? » Quod si in istis compereris te detrimenta perpessum, futuris lucris præterita damna sedulo resarcire cura. Ingemisce, et plange, ne eadem rursus detrimenta sustineas. Facto autem diluculo, rursus meditare, et dic : « Quomodo ista mihi nox præte-

[1] Matth. xv, 27. — [2] Id. xvi, 26, et Luc. ix, 25.

riit? lucratus-ne sum in ea mercimonium meum? numquid mens mea una cum corpore vigilavit? numquid oculi mei lacrymas fuderunt? numquid cum genua noctu ad orationem flecterem, somno depressus sum? numquid improbæ cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum?» Si te in ejusmodi victum esse senseris, sollicite curari stude, cordique tuo custodem statue, ne eadem rursus patiaris. Quod si operam curamque adhibueris, negotiationem tuam servabis, et gratus acceptusque tuo eris Domino, et tibi ipsi magnopere proderis.

XXIV. Attende porro tibi ipsi solerter, nequando te ipsum torpori atque negligentiæ tradas. Initium enim perditionis est negligentiæ dominatio. Imitare autem apem, et admirabile ejus cerne mysterium, quo pacto illa ex variis sparsisque terræ floribus suum colligit opificium. Hoc ergo parvum ac vile insectum considera. Si enim omnes sapientes terræ, cunctique orbis philosophi congregati fuerint, sapientiam illius edisserere haudquaquam valebunt; quomodo nimirum illa ex floribus quasi quædam monumenta ædificet, in quibus et soboles suas sepelit; cumque jam eas vivificaverit, tum demum velut dux quidam militiæ, sua illas voce excitat, qua audita, illæ pariter evolare incipiunt; postquam autem evolaverint, operatur ac replet eadem monumenta mirabili escarum dulcedine; ita ut omnis, qui opus ac laborem illius considerat, glorificet creatorem Deum, admirans secum, quod ex tam vili atque abjecto minuto tanta procedat sapientia. Et tu ergo, charissime, esto sicut et illa; atque ex divinis Scripturis divitias tibi congrega, et thesaurum, qui nunquam eripi tibi poterit, illumque in cœlum præmittere satage. Nam et terreni principes, si quisquam illorum in regionem longinquam proficisci voluerit, præmittunt servos cum opibus suis, ut cum in destinatam mansionem pervenerint,

habeant ubi requiescant. Ita et tu, dilectissime, facito, et in cœlum tuas divitias præmittito, ut in sanctorum tabernacula recipi merearis. Noli breve hoc vitæ tempus in negligentia atque desidia transigere, ne postea in sæcula infinita pœnitere atque dolere cogaris. Numquid dicentem Dominum nostrum non audisti : « In hoc mundo pressu» ram habebitis [1] ? » et iterum : « In patientia vestra pos» sidebitis animas vestras [2] ? » Quod si tu negligentia atque torpore relaxatus, tribulationes hujus sæculi oderis, patientiamque subterfugeris, voluptates vero carnales appetas; cur jugum Christi leve atque suave propter tuam ignaviam, quasi durum et grave importabileque, maledictis insectaris, te ipsum in perditionem præcipitans? Et quis tui miserebitur, si tu te ipsum occidas? sumptis enim armis Christi, quibus hostem debellare debueras, gladium in tuum ipsius cor infixisti. Si in hac vita gloriaris, vana est plane spes tua, et inanis expectatio tua.

XXV. Quid est, quod os tuum orat Deum? et cujusmodi sunt quæ ab illo deposcis? Num sæculi hujus requiem, an vitam immortalem et nunquam senescentem? Quod si hæc momentanea et transitoria requiris, meliores te jam sunt fur et fornicator. Illi enim, ut salventur, orant; et te, qui fallaciter in hoc bono et angelico vitæ instituto vivis, beatum prædicant. Lucem enim odisti, et tenebras dilexisti, postpositoque cœlesti regno, terrena ac temporalia appetivisti. Veritus-ne es, miser, ne forte clemens et benignissimus Deus tuos labores sperneret atque rejiceret? At ipse certe, ejusque gratia tibi ad eos perferendos virtutem præstitit; ipse cor tuum compunxit, et mercedem tibi ipse attribuit. Omnia ab ipso accepisti; et tu superbia elatus es? Mercedem mercenarii exquiret ab his, qui defraudant illum; et te lacrymarum tuarum mer-

[1] Joan. XVI, 33, et Luc. XXI, 19.

cede privabit? Absit. Qui ait : « Quærite, et invenietis : » pulsate, et aperietur vobis [1]; » ille-ne mendax efficietur? nequaquam. Apage miser : quis tibi hæc suggessit? quis tibi tam invidus fuit, ut hæc in animum induceret? Ille sane adversarius et bonorum inimicus. Illius qnippe hoc studium est, ut nemo hominum salvetur.

XXVI. Redi igitur ad te ipsum, et ne animam tuam oderis. Aperi oculos mentis tuæ, et cerne illos, qui tecum versantur, quomodo decertant; quam sollicite advigilant, lampadesque manibus tenent, et os ipsorum laudat atque glorificat immortalem Sponsum, oculique eorum pulchritudinem illius contemplantur, et anima ipsorum lætatur et exultat. Considera quia appropinquat et non tardabit. Adveniet autem, ut expectantes se repente lætificet. Erit enim, ut personet vox, dicens : « Ecce sponsus venit [2], » et qui cum eo sunt, venient cum gaudio, habentes secum lampades suas lucentes, vestemque splendidam; audientque vocem ejus dicentem : « Venite benedicti Patris mei, hæ» reditate possidete præparatum vobis regnum a constitu» tione mundi. » Tu autem, cum vox illa clamoris insonuerit, dicturus es ad eos : « Fratres mei, date mihi modicum olei : ecce enim lampas mea extinguitur. » Audiesque ab eis responsum : « Ne forte non sufficiat nobis et tibi; vade » potius ad vendentes, et eme tibi [3]. » Et tunc perges pœnitentia ductus, et nusquam, ubi emere possis, invenies. Omnis enim terra timore concutietur, velut aqua maris, a facie gloriæ ejus. Tuncque mœstus cum planctu dices : « Vadam, et pulsabo, et quis novit, si forte aperiant » mihi? » Reversusque pulsabis; et nemo erit qui tibi respondeat. Et iterum insistens pulsabis; et respondebitur

[1] Matth. VII, 7, et Luc. XI, 9. — [2] Matth. XXV, 6, et Luc. XII. — [3] Matth. XXV, 9.

tibi ab eis qui intus sunt : « Amen dico tibi, nescio te, » quis sis; discede a me, operarie iniquitatis [1]. »

XXVII. Te autem ibi persistente, introibit in aures tuas vox lætitiæ et exultationis ; dignoscesque uniuscujusque familiarium atque sodalium tuorum vocem ; et amare flens atque suspirans, dices : « Hei mihi ! hei mihi misero et infelici ! quomodo tanta fratrum meorum gloria privatus sum, et a contubernalibus sociisque meis separatus? Totum vitæ meæ tempus cum illis transegi ; at nunc ab eis segregatus sum. Juste sane, ac merito hæc patior. Illi namque continenter ac temperanter vixerunt; ego vero indifferenter atque negligenter. Illi psallebant; ego autem mente distractus silebam. Illi genuum flexionibus sedulo vacabant ; ego vero dormiebam. Illi precibus intenti erant; ego autem mente distracta evagabar. Illi se ipsos humiliabant ; ego vero superbia intumescebam. Illi se ipsos contemnebant ; ego autem exteriore cultu atque ornatu delectabar. Propterea illi nunc lætantur ; ego autem tristitia atque dolore plenus sum. Illi exultant ; ego vero acerbe fleo. » Evigila igitur paululum, o miser, et immensam Domini benignitatem considerans, noli, quæso, tuam salutem negligere. Inquire illum, et cito erit tibi in salutem. Invoca illum, et te proteget atque defendet.

XXVIII. Da illi, ut centuplum ab eo recipias. Si enim charta inanimata per litterarum apices clamans, restituit omne debitum, quod in ea scriptum continetur ; quanto magis benignissimus Deus largietur gratiam exquirentibus se ? Charta quidem per litteras usuram usuræ addit ; at thesaurus divinæ gratiæ multiplicabit mercedem orationum atque deprecationum nostrarum. Noli ergo negligere, et torpore atque ignavia deprimi ; neque terrenarum rerum in te cura dominetur ; neque in desperationis laqueum

[1] Matth. xxv, 13, 41, et Luc. xiii, 27.

te ipsum conjicias. Nam Deus visceribus pietatis atque misericordiæ suæ suscipiet ac proteget te, omnesque qui illum toto cordis affectu requisierint. Accede igitur ad ipsum securus, procide coram eo, suspira, plora, et dic ipsi : « Domine meus et Salvator meus, quare dereliquisti me? miserere mei, quoniam tu solus benignus ac misericors es? Salva me peccatorem, quia tu solus absque peccato es. Evelle me ex fœce ac cœno iniquitatum mearum, ut non infixus ibi hæream in sæcula sæculorum. Libera me de ore inimici [1]; nam ecce tanquam leo rugit, me devorare cupiens [2]. « Excita potentiam tuam, et veni, ut sal» vum me facias [3]. Fulgura coruscationem tuam, et dissipa » vires ejus [4]. » Terreatur, ac dissipetur a facie tua; infirmus quippe est, neque vim obsistendi tibi habet, neque iis qui diligunt te. Cernens enim signum gratiæ tuæ, deterritus fugit, confususque recedit ab ipsis. Et nunc, Domine, salvum me fac, quoniam ad te confugi. »

XXIX. Si hoc modo ad eum accesseris, eumque ex toto corde invocaveris; confestim tanquam benignus et misericors pater, suam in auxilium tuum gratiam emittet, cunctasque voluntates tuas implebit. Ita, charissime mi, accede, et ne negligas, neve otio atque desidia obtorpescas, neque ad me pigrum ac segnem attendas. Mihi enim sufficit confusio vultus mei, qui dico, et non facio; moneo, et non intelligo. Cæterum imitator esto perfectorum ac spiritualium Patrum; et regulam illorum exquire ac sequere. Neque supra modum tentes grandia atque excelsa, quæ perficere nequeas; neque rursus nimium secteris vilia atque abjecta, ut multiplicetur merces tua. Neque delicate nimis corpus tuum enutrias, ne forte oppugnare te incipiat; neque illud ipsum carnis voluptatibus assuefacias, ne

[1] Psal. LXVIII, 15. — [2] 1 Petr. V, 8. — [3] Psal. LXXIX, 3. — [4] Id. CXLIII, 6.

prægravet animam tuam, et in infima terræ illam deprimat. Nam si illius concupiscentias explere volueris, derelinquet viam planam ac rectam, et per aspera atque prærupta incedet, cogitationesque quascumque sordidas facile libenterque admittens, a temperantia et sobrietate prorsus recedet. Quod si illud rursus ultra modum laboribus maceras atque affligis, etiam sic gravitate oneris opprimitur anima tua, dum tristitiæ atque pusillanimitati subditur, et a torpore ac tœdio vincta detinetur, iracundiaque concitatur; et ad laudes Deo referendas, precesque fundendas, nec non ad bonum obedientiæ pigra ac segnis efficitur. Bono igitur te ipsum modo ac via guberna.

XXX. Nunquam-ne, dicito mihi, circi spectator fuisti? aut num scapham rursus in pelago non conspexisti? Etenim equos si quis immoderatius ad cursum concitarit, solo postmodum strepitu terrentur; contra vero si nimium relaxati fuerint, ipsum etiam aurigam dejiciunt, dejectumque per diversa trahunt. Similiter et scapha in mari si pondere nimio gravata fuerit, facile fluctibus concutitur atque submergitur; at si levis, et sine onere naviget, citius ventorum vi subvertitur. Similiter quoque et anima et corpus si supra modum onerentur, in ea, quæ ante diximus, incidunt. Atque ideo bonum est, ita unumquemque incipere, ut perficiat, Deoque placere queat, et sibi ipsi utilis sit ac proximo. Vos estis benedictus grex Christi, vos luminaria mundi, et sal terræ [1], qui perfecti ac veri monachi estis, angelicamque conversationem diligitis. Certamen quidem vestrum temporarium ac momentaneum est; at retributio et laus æterna. Labor vester brevis; at requies et perfectio nunquam senescens. Quanto vos alacrius decertatis, virtutemque excolitis; tanto magis adversarius vester furore atque insania accenditur, diversosque in perniciem vestram la-

[1] Matth. v, 13.

queos occulte tendit. Attendite ergo vobis ipsis ab insidiis ejus. Nemo enim absque certamine coronatur [1].

XXXI. At gratia Dei nullum unquam derelinquet, qui prompte alacriterque pugnaverit. Si quis vero per ignaviam se ipsum relaxans, os suum aperire, ejusque gratiam in auxilium suum invocare neglexerit, se ipsum jam incuset, et non gratiam, quasi ab ea deseratur. Quemadmodum enim si quis manibus sanus sit, habeatque ante se escas plurimas appositas, et segnitie torpens, noluerit ori suo eas admovere, iisque vesci : ita quoque monachus, qui gratiam expertus est, si neglexerit ipsam invocare, et dulcedine ciborum ejus repleri. Similis est monachus militi ad bellum proficiscenti, qui corpus suum armis undique munit, et vigilat, decertatque, donec victoriam obtinuerit, ne forte adversarius repente in eum irruat, incautumque dejiciat atque apprehendat. Eodem modo et monachus, si inertia se ipsum relaxaverit, facillime ab inimico capietur ac prosternetur. Immittit siquidem ille in cor ejus cogitationes turpes ac sordidas, quas hic libenter in se admittit ac recipit; superbiam præterea, ac vanam gloriam, invidiam, detractionem, gulam, insatiabilemque somnum : et inter hæc omnia, in desperationem illum agit, et in reprobationem malorum. Cæterum si sollicitus semper vigilaverit, Dei gratiam in suum præsidium implorabit, ab eoque adjuvabitur, edocebiturque, quomodo placeat ei, fietque in eo laus et laudator. Nam quemadmodum qui se ipsum intuetur in speculo, idem ipse est qui videt, et qui videtur : ad eumdem modum et gratia, ubi invenerit requiem, atque in homine inhabitaverit, ibidem et glorificat hominem et glorificatur ab illo. Absque autem illius auxilio, non valet cor placere ei, neque compunctione repleri, ad confitendum, ut debet, Domino : sed pauper est,

[1] 2 Tim. II, 5.

bonorumque indigens, habitantque in eo turpes et execrandæ cogitationes, sicut nycticorax in domicilio. Hominis est gratiam invocare, ut illa adveniens, mentem ejus illuminet; purificansque se ipsum homo, eam inhabitatricem et auxiliatricem sibi acquirat, et per eam quascumque virtutes exerceat; illuminatusque ab ipsa, varium ac multiplicem omnino futuri sæculi decorem contemplari valeat : efficiturque ei murus et antemurale, et custodit ipsum ab hoc sæculo in vitam futuri sæculi.

XXXII. Inclina ergo aurem tuam, charissime, et ero tibi bonorum conciliator, si ad vitam cupis æternam pervenire, et beatitudinem Domini tui consequi. Dic mihi, cur aqua abluis faciem tuam? numquid ut proximo tuo placeas? necdum ergo, ut videtur, respuisti passiones carnis tuæ, sed eis adhuc servis. Quod si faciem tuam lavare desideras, lacrymis eam abluito, et suspiriis ac fletibus eam lavato, ut in conspectu Dei et sanctorum Angelorum cum gloria ac claritate resplendeat. Nam facies, quæ lacrymis abluitur, immarcescibilem pulchritudinem acquirit. Sed fortasse dicturus es mihi : « Pudet me turpem atque deformem faciem præferre. » Verum sordes pedum tuorum vultusque tui, si cor mundum castumque habueris, super claritatem solis inter Deum et sanctas Virtutes refulgebunt. Quorsum autem temere ac passim rides? Nonne plangere atque lugere potius deberes? Et hoc unde, nisi quod non appetas beatitudinem ejus; neque supplicia, quæ ipse comminatur, pertimescas? Qui igitur tentationes expertus est, commonere eos poterit, qui necdum eas sunt experti : et qui in latrones incidit mercator, viatores poterit cautos atque sollicitos reddere. Quoniam vero et ego ex parte tentatus sum, (quod prudentiæ tuæ commemoro,) et ob meam ignaviam ad horam duntaxat cautelam adhibui, rursumque per meam inertiam atque

pigritiam in eadem recidi : ideo consilium vobis præbeo, qui estis dilectus grex Christi [1], ne propter carnales passiones, ac hujus vitæ voluptates, divina gloria privemini, et a puro illo exultationis atque lætitiæ thalamo rejiciamini. Scitis enim, quod labor exercitationis, tanquam somnus, præterit; at retributionis requies æterna est, et ineffabilis. Attende tibi ipsi, ne utrumque pariter deperdas, et pro utroque ultionem ac pœnam exolvas.

XXXIII. Da autem potius operam, ut perfectam virtutem consequaris, quæ omnibus adornata sit, quæ diligit Deus. Hanc enim si possederis, neque Deum unquam exacerbabis, neque proximo tuo mali quid facies. Hæc porro virtus unica ac singularis dicitur, continens in se pulchritudinem ac varietatem omnium aliarum virtutum. Quemadmodum enim regale diadema absque pretiosis lapidibus selectisque margaritis componi texique nequit : ita et hæc unica ac singularis virtus sine aliarum fulgore virtutum perfecta consistere non potest. Est enim revera quam simillima regio diademati : nam sicut in eo si vel unus pretiosus lapis aut margarita defuerit, refulgere super caput regis decenter nequit; ita et hæc singularis virtus, nisi reliquarum virtutum ornamento conseratur, perfecta virtus appellari non poterit. Similis quoque est copiosis dapibus, exquisitissimo condimento præparatis, sed salis sapore carentibus : nam sicut pretiosæ illæ epulæ ac dapes absque sale inutiles sunt : ita et ista unica virtus, variarum licet virtutum gloria et honore decorata, nisi charitatem erga Deum et proximum adjunctam habuerit, contemptibilis prorsus atque inutilis habebitur. Similis item est perfecto pulchroque corpori alphabeti pulchre suis litteris formati ac perpoliti : si enim vel una ex illo dematur littera, totum illico mancum et imperfectum redditur :

[1] Luc. xii, 32.

ita et huic si vel una cæterarum defuerit virtutum, tota inutilis abject que reperietur.

XXXIV. Similis rursum illa est aquilæ ingenti in altum volitanti, quæ escam in laqueo alligatam cernens, tota se alarum vehementia e sublimi in eam demittit, volensque prædam inde abripere, comprehensa repente ungulæ summitate, laqueo detinetur : atque ex hoc parvo licet impedimento, omnis vis ac fortitudo ejus devincta imminuitur, totum quantumvis corpus liberum et extra laqueum habere videatur. Eumdem sane in modum et hæc virtus, si vel in uno aliquo negotiorum terrenorum vincta hæret, tota mox mortificatur, debilitatur, et extinguitur, nec in altum ferri potest, nisi a terrenis negotiis liberetur. Quisquis igitur lacrymas non habet, veniat et ploret : et cui non suppetit compunctio, præteriens ingemiscat et suspiret, consideretque quomodo hæc virtus dum ad cœlum usque ascendit, regnique cœlestis portas attingit, ingredi tamen nequeat. Est vero ejusmodi, quod dicere volo, charissime : « Consecuti sunt infinitis laboribus quidam hanc, quam prædixi, virtutem, ipsamque regii diadematis instar exornarunt : at postmodum terrenis rebus illaqueati perierunt, seque ipsos a cœlesti regno excluserunt. » Considera igitur diligenter te ipsum, ne hisce laqueis capiaris, et inimico ad prædam tradaris, neque admirabilem illam virtutem, quam tantis laboribus acquisivisti, destruas ac perdas; neque eam in cœlum ascendere prohibeas, et rubore confusam coram sponsi thalamo constituas : verum liberam illi tribue fiduciam, vocemque excelsam, ut exultans in thalamum introeat, laborumque præmia repetat. O miraculum ingens et obstupendum! Sicut namque leo unico capillo, sic terrena qualibet cura virtus hæc, quæ leoni comparatur, colligata, in terra marcescit atque vilescit.

XXXV. Quamobrem sobrium ac vigilem, carissime, te

præbe : teque ipsum vincens, capillum in te illum exiguum ac vilem abscinde, ut non in derisum venias, quemadmodum ille Fortissimus, qui in uno momento et ictu oculi, sola asini maxilla armatus, mille viros occidit, et se ipsum a vinculis liberans, inimicos interfecit, et Deo victoriam dedicavit, ejusque oratio maxillam asini in fontem aquæ convertit [1]. Hic autem licet tantus ac talis esset, adeoque multa præclara præstitisset, semetipsum tamen per imprudentiam tradidit, terribilesque illas suas et admirabiles vires colligavit. Quare et tu tibi ipsi attende, ne ulla ratione hanc virtutem noxiis aliquibus rebus terrenis devincias : sed liberam eam a cunctis, quibus lædi ac violari potest, reddens, in cœlum præmitte. Quemadmodum autem facere solet natator aliquis, qui ut margaritam pretiosam inveniat, sese in profundum pelagi nando demittit ; qua reperta, in altum ex aquis emergit nudus et cum ingenti thesauro in terram prosilit : ad eumdem modum et tu omnibus rebus terrenis sæculique inquinamentis nudari ac liberari festina ; virtuteque hac illustratus, induere ea sicut vestimento ; et die noctuque vigilanter excuba, ne ipsa expolieris. Nam quæ illam possederit anima, a nullo malo everti poterit ; non a fame, aut nuditate, desidia vel morbo, paupertate vel persecutione, aut alia quapiam tentatione diabolica. Si enim sobriam ac vigilem se præbuerit, per ejusmodi magis augebitur et coronabitur, semper secundum Deum proficiens, illustriorque evadens. Neque etiam ipsa mors eam affligere aut opprimere valebit ; sed cum ex corpore migrabit, Angeli in cœlis ipsam lætantem et exultantem excipient, et Patri luminum offerent. Tribulatio enim patientiam operatur : paupertas autem et inopia instar terræ est, quas ipsa excolit, perque eas fructum justitiæ refert.

[1] Judic. xv, 16-19.

XXXVI. Sed neque illam morbus lædere valet : quin potius virtutem ex illo, gloriamque apud Deum acquirit. Non illam tentationes minuere possunt, cum potius ex iis laudem et decus in vitam æternam sibi comparet. Persecutio illam prosternere nequit, sed ex ea perfectam pulchramque coronam plectens, Deo gloriæ cum gaudio offert. Nuditas illam ignominia circumdare nequit, ex qua potius stolam gloriæ sibi texit. Similiter fames eam ad pusillanimitatem redigere non valet ; sed ex illa mensam sibi in regno cœlorum instruit. Neque etiam sitis eam tœdio afficere potest : ab illa enim paradisi gaudia sibi parat. Sed neque paupertas eam ad concupiscendas divitias allicere potest : per illam enim Domini beatitudinem hæreditate possidebit. Vigiliæ et suspiria sunt corona perfectionis ejus : humilitas et mansuetudo, fundamenta ædificii ejus. Mors illam interficere nequit, neque sepulcrum illam concludere : sed neque cœli coram anima virtutibus prædita portas suas obserare possunt, verum potius videntes eam, cum gaudio illas aperiunt. Myriades myriadum, et millia millium Angelorum et Archangelorum, Thronorum et Dominationum, Principatuum et Potestatum , torve illam aspicere non valent ; sed læto potius vultu eamdem excipient, manibusque suis sustollentes, coram throno majestatis sistent. Exultabit in ea Pater, et Filius cum Spiritu sancto. Et Pater quidem in ea exultabit, quia ipsa eum dilexit, et præter illum diligere alium noluit. Exultabit autem in ea unigenitus Filius : quoniam ipsa semper concupivit illum, et præter eum nihil possidere optavit. Exultabit et Spiritus sanctus in ea, quia templum illius sanctum fuit, et inhabitavit in ea. Exultabunt quoque super illam cœli cum Virtutibus suis, et pariter procidentes, glorificabunt Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, cernentes eam omni angelica virtute exornatam, et omni justitiæ splendore decoratam. Exulta-

bit etiam in ea paradisus, quoniam hæreditate ipsum acquisivit. Gloria et magnificentia soli bono et amatori hominum Deo, qui sua gratia regnum nobis præstitit.

XXXVII. Sana me, Domine, et sanabor, qui solus sapiens es et misericors. Supplico bonitati tuæ, sana vulnera animæ meæ, et oculos mentis meæ illumina, ut dispensationem tuam in me factam considerem. Et quoniam mens mea infatuata est, sale gratiæ tuæ condias eam. Sed quid dicam tibi, o futurorum præcognitor, qui corda scrutaris et renes? Tu solus quippe nosti quod, sicut terra sine aqua, sitit te anima mea, et concupiscit te cor meum : diligentes autem te assidue gratia tua replentur. Quemadmodum igitur semper exaudisti me : ita nunc quoque deprecationem meam ne despexeris. Ecce enim velut captiva detinetur mens mea, te solum Salvatorem verum requirens. Mitte ergo gratiam tuam, ut veniens famem meam expleat, et sitim mihi restinguat. Nam te lumen veritatis, datoremque salutis concupisco et sitio. Concede igitur mihi postulata mea, et instilla in cor meum vel unam guttam dilectionis tuæ, quæ sicut ignis in corde meo accendatur, et spinas ac tribulos ejus, cogitationes, inquam, pessimas, consumat. Da autem mihi opulenter et sine mensura, ut Deus homo, et multiplica dona tua, ut bonus boni Patris Filius. Quod si te, ut terrenus vel terreni filius, repuli aut repello, irritavi aut irrito; at tu, qui hydrias tua implesti benedictione [1], imple quoque sitim meam gratia tua : et qui de quinque panibus satiasti quinque millia hominum [2], de immenso etiam bonitatis tuæ thesauro famem meam exsatia.

XXXVIII. Benignissime, hominumque amator, si super fœnum et flores, omnisque generis herbas tua in illo tempore abundanter et sine invidia effusa est gratia, quanto magis servo tuo supplicanti postulata concedet? Ecce enim

[1] Joan. II, 7. — [2] Matth. XIV, 21.

aër refulget, et volucres vocem suam a gloria summæ sapientiæ tuæ variant : ecce terra omnis variorum diploïde florum circumdatur, quæ sine humanis manibus texta est : gaudens autem et exultans, duplicem agit celebritatem : ac primum quidem propter primum parentem Adamum, quod veluti vomere quodam e sinu ipsius eductus est : deinde propter Dominum suum, quod descendens super ipsam ambulavit. Mare quoque gratia tua impletum, navigantes in ipso divitiis auget. Eadem igitur gratia tua fiduciam mihi concedat, ut loquar ad te : quod enim ad te habeo desiderium, compellit me, ut invocem te. Si enim qui fuit ab initio homicida malorumque architectus serpens, os suum olim aperuit ; quanto magis os servi tui te concupiscentis aperies, ut gloriam laudemque gratiæ tuæ enarret ? Benignissime hominum amator, qui duo minuta viduæ illius, animumque suscepisti atque probasti, suscipe quoque deprecationem servi tui, et auge preces meas, et da quod peto : ut templum sanctum gratiæ tuæ efficiar, quæ in me inhabitet, ipsaque, quomodo placere sibi debeam, me doceat : ut et carmina compunctionis atque lætitiæ in cithara mea depromat, et mentem meam quasi quodam freno constringat, ne aberrans peccem tibi, et lumine illo priver.

XXXIX. Exaudi me, Domine, exaudi me, et præsta, ut vocer in hæreditatem regni tui, colligar ab errore meo, emunder a sordibus meis, ex insipiente sapiens evadam ; et qui inutilis fueram, utilis fiam. Electus tuus ascetarum grex, omniumque Sanctorum, qui tibi placuere, quique in paradiso exultant, ipsi pro me deprecentur, teque orent, qui solus hominum amator es. Ipse exaudi preces eorum, et salvum me fac per orationes eorum ; ego autem per eos gloriam tibi referam : quoniam deprecationem eorum exaudisti, et misertus es mei, nec despexisti preces eorum, quas pro mea salute obtulere. Tu autem, Domine, per tuum Pro-

phetam dixisti : « Aperiam os tuum, et implebo illud [1]. » Ecce os servi tui una cum corde apertum est : imple ergo illud gratia tua, ut semper benedicam tibi, Christe servator noster. Effunde in cor meum, benigne hominum amator, rorem gratiæ tuæ. Quemadmodum enim terra, quæ semen accepit, sine visitatione bonitatis tuæ non potest suos fructus alere; sic neque cor meum sine gratia tua valet quæ tibi sunt placita eloqui, aut fructum justitiæ referre. Et sicuti pluvia fructus nutrit, arboresque variis floribus coronantur; ita ros gratiæ tuæ illuminet mentem meam, exornetque illam floribus compunctionis, humilitatis, charitatis, et patientiæ.

XL. Et quid dicam ? ecce enim oratio mea infirma est ac debilis; iniquitates autem meæ magnæ sunt et fortes. Peccata mea tribulant me, et infirmitates meæ vim mihi faciunt. Vincat illas gratia tua, Domine. Qui oculos cæci aperuisti, aperi oculos mentis meæ, ut semper pulchritudinem tuam considerem. Qui os subjugalis aperuisti, aperi os meum ad gloriam et laudem gratiæ tuæ. Qui mari terminum verbo imperii tui posuisti, pone terminum cordi meo per gratiam tuam, ne declinet a dextris sive a sinistris a decore tuo. Qui populo non credenti et contradicenti aquam in deserto dedisti, da mihi compunctionem, et oculis meis lacrymas, ut die ac nocte plangam dies vitæ meæ cum humilitate, charitate, et puritate cordis. Accedat deprecatio mea coram te, Domine; et largire mihi de semine sancto tuo, ut manipulos compunctione et confessione plenos offeram tibi, et dicam : « Gloria ei, qui dedit, ut ipsi offeram, et adorem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in sæcula. » Amen.

XLI. Sobrii igitur simus et vigilemus, obsecro, in hoc brevi vitæ nostræ tempore; et in hac undecima hora viri-

[1] Psal. LXXX, 11.

liter decertemus. Appropinquavit enim jam vespera, et mercedis retributor cum gloria venit, ut reddat unicuique secundum opera ejus [1]. Attendite itaque ne quis vestrum de bono opere præsumens, negligenterque vivens, immensa illa Salvatoris præmia deperdat. Similis namque est monachus agro alicui seminato, qui pluvia ac rore rigatus incrementum capit, et fructum lætitiæ producit [2] : sed cum jam ad frugum tempus pervenerit, major cura agricolæ ingeritur, ne vel grandine, aut a feris animantibus segetes devastentur : gaudet autem exultatque agricola, ac Domino gratias agit, quando messem jam suam in horrea congregavit. Ita etiam monachus, quandiu in hoc vivit corpore, de æterna vita sollicitus sit oportet, et usque ad extremum diem in exercitatione monastica allaboret, ne per negligentiam in vanum cucurrisse deprehendatur; sed cum suum cursum consummaverit, laborum fructus, instar agricolæ, in cœlum congreget, gaudium et exultatio Angelis effectus. Nemo igitur sit segnis, metuve tentationum frangatur : sed qui fortis est, infirmiores sustentet : qui promptitudine atque alacritate valet, pusillanimem consoletur : qui vigil est et experrectus, somno depressum suscitet : qui firmus est ac stabilis, inconstantem corripiat : qui continens ac temperans est, inordinatum atque intemperantem increpet. Sic namque simul conspirantes, pariterque victoriam de adversario nostro referentes, illum confundemus, et Deum nostrum glorificabimus, sanctosque Angelos exhilarabimus : et eos, qui nos vident, quique de nobis audiunt, in Christo Salvatore nostro mirifice ædificabimus.

XLII. Sicut enim sanctorum Angelorum acies : ita et multitudo monachorum unanimiter viventium, et mentem suam ad Deum semper elevatam habentium. Et quemadmodum mel et favus in ore : sic responsio fratris ad proxi-

[1] Matth. xx, 8. — [2] Id. xiii, 8.

mum suum cum charitate. Sicut aqua frigida in magnis caloribus sitienti : ita consolatorius sermo fratri in tribulatione. Quemadmodum qui manum porrigit cadenti, et erigit eum : ita admonitionis et veritatis sermo animam segnem atque pusillanimem excitat. Quemadmodum semen bonum et electum in terra bona ac pingui : sic cogitationes bonæ in anima monachi. Quemadmodum connexio firma ac fortis in ædificio : ita et longanimitas in corde monachi, tempore suæ psalmodiæ. Sicut pondus salvi viro infirmo ac debili : ita somnolentia monachi, et cura atque sollicitudo sæculi. Ut spinæ et tribuli inter sata optima : ita sordidæ cogitationes in anima monachi. Sicut cancer, qui curatur, sed nunquam sanitatis finem admittit : ita et injuriarum recordatio in mente monachi. Sicut vermis corrumpit lignum : ita etiam inimicitia cor monachi destruit. Ut a tinea corrumpitur vestimentum : sic a detractione inquinatur anima monachi. Sicut arbor excelsa et speciosa, sed infructuosa : ita surperbus et insolens monachus. Ut fructus pulcher et delectabilis quidem exterius, sed putridus interius : sic invidus et lividus monachus. Sicut qui lapidem jactat in limpidum fontem, conturbat eum ; ita iracunda monachi responsio commovet mentem proximi sui. Quemadmodum si quis radicitus arborem fructibus plenam evellat, et in alium eam locum transplantet, fructus ejus marcescunt, et folia arescunt : sic et monachus proprium deserens locum, et alio se transferens. Sicut ædificium fundamento carens super petram : ita et monachus, qui non habet patientiam in pressuris ac tribulationibus. Sicut quispiam regi astans, et cum eo colloquens ; a conservo autem vocatus, suspiciendum et gloriosum regis colloquium relinquat, et ad confabulationes cum conservo se convertat : ita quoque is, qui tempore psalmodiæ confabulatur. Intelligamus, charissimi, coram quo astemus. Sicut enim Angeli magno cum

metu atque tremore astant Creatori, hymnum ei decantantes : ita et nos debemus tempore psalmodiæ cum contentione atque certamine astare; ne corpore duntaxat videamur assistere, mente autem in negotiis interim terrenis occupemur. Quemadmodum enim scapha, quæ fluctibus maris circumfertur : ita et monachus, cujus mens sæculi negotiis curisque distrahitur.

XLIII. Quare colligamus cogitationes nostras, ut gloriam apud Deum nostrum obtineamus. Sustineamus fortiter adversarii nostri tentationes, ut glorificemur. Gloria quippe est monacho, patientia in tribulationibus. Gloria monacho, paupertas, humilitas, et simplicitas, quibus laudem coram Deo et Angelis consequitur. Gloria monacho, quieti atque vigiliis insistere cum compunctione et lacrymis. Gloria monacho, diligere Deum ex toto corde, et proximum sicut se ipsum. Gloria monacho, temperantia ab escis, et a multiloquio linguæ, et quando verba ejus operibus consonant : dum se in loco suo continet, neque huc illucque, instar stipulæ a vento raptatæ, vagatur. Hei mihi! dilectissimi mei, quia factus sum sicut machina fabri ferrarii, quæ repletur et evacuatur, nihilque ex vento, quo distenditur, retinet : virtutes enim gregis Christi enarrans, ab his omnibus quam longissime recessi. Gloria magnificentiæ et bonitati ejus.

XLIV. Fratres, si quis vestrum sordidis ac turpibus cogitationibus præoccupatus fuerit, ne desidia aliqua atque segnitie obtorpescens, se ipsum in desperationem tradat; sed cor suum coram Deo effundat, et ingemiscens cum lacrymis dicat : « Exurge, Domine, et intende judicio meo, » Deus meus, et Dominus meus, in causam meam. Judica » me, Domine, secundum justitiam tuam [1]. Opus manuum » tuarum sum ego, cur dereliquisti, et despexisti me? Cur

[1] Psal. XXXIV, 23, 24.

»faciem tuam avertis a me, et oblivisceris humilitatis »meæ [1]? Quia persecutus est inimicus animam meam, hu»miliavit in terra vitam meam [2]. Infixus sum in limo pro»fundi, et non est substantia [3]. Apprehendat me manus »tua, ne peream.» Si ita in oratione perstiteris, eumque invocaveris, confestim benignus ac misericors mittens gratiam suam in cor tuum, consolabitur te, et requiem a doloribus laboribusque belli, quod sustines, tibi conferet. Cum ergo talem habeamus Dominum, tam pium, tamque misericordem, ne segniter agamus, neque desidia et negligentia obtorpescamus. Quandiu enim hic adhuc sumus, miseretur nostri, salvat nos, et iniquitatibus nostris ignoscit. Quis igitur non admiretur, quod per lacrymas brevissimæ horæ, et in ipsa quidem undecima hora, infinita peccata dimittit nobis, et innumerabilium nos vulnerum labe sauciatos sanat, rursusque cum sanaverit, mercedem lacrymarum nobis confert? Istud quippe consuetum gratiæ ipsius munus est, ut postquam sanavit, etiam præmia liberaliter exolvit.

XLV. Operam igitur demus, fratres, ut curemur, atque sanemur. Hic enim per suam gratiam miseretur et ignoscit; illic autem non item; sed justum ibi judicium, et ultio, et factorum omnium retributio. Illic misericordissimus ille Abraham, immitis atque immisericors erga divitem illum reperietur: et qui pro Sodomitis fuerat deprecatus, illic vel pro uno peccatore non supplicabat, ut misericordiam obtineret. Non ergo sinamus mentem nostram terrenorum negotiorum vinculis constringi; sed imitatores fieri studeamus sanctorum Patrum. Non recedamus ab illorum vivendi instituto, ne et eorum privemur gloria. Annitamur sedulo, ut cum perfectis viris coronemur: sin minus, saltem inter extremos laudari mereamur. Beatus ille profecto

[1] Psal. XLIII, 24. — [2] Id. CXLII, 3. — [3] Id. LXVIII, 3.

est, qui inter perfectos contendit coronari : sicut contra miser et infelix, qui neque inter extremos dignus est collaudari. Beatus, qui corona, et hæreditate sanctorum dignus invenietur, vocemque illam audire merebitur, dicentem : « Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi [1]. » Quam, fratres, excusationem habebimus, si negligentes fuerimus? sæcularis quidem aliquem fortasse prætextum invenire poterit, quo suam negligentiam excuset, utpote variis sæculi rebus distractus. Nos vero quid dicemus? Vereor sane ac pertimesco, ne forte hi, qui modo hic nos laudant et celebrant, illic tunc nos irrideant. Ne dulcescat nobis hic negligentia, et mundi sollicitudo, ne postea illic nobis amarescat æternus ignis, et vermis nunquam dormiens. Quare resipiscamus hic paululum, et ploremus, ut ab æterno illo igne liberemur. Annon creditis Salvatoris nostri sermoni, quod repente, sicut fulgur, erit adventus ejus [2]? Timeamus igitur, ne subito nos imparatos comprehendat, nosque ipsos propter nostram negligentiam culpemus atque reprehendamus, nihil proficientes. Credite mihi, charissimi, quia postrema jam hora est. Videte igitur, ne forte impleatur in vobis Prophetæ sermo, qui dicit : « Væ his, qui desiderant diem Domini [3]. » Attendite vobis ipsis, ne inveniamini sicut servus ille, quem adveniens Dominus ejus invenit deliciis vacantem, partemque ejus cum infidelibus ponens, divisit eum [4]. Sed importune potius glorificemus eum, ut a tenebris illis, et a stridore dentium nos liberet, suoque regno dignos efficiat.

XLVI. Obsecro te, Salvator mundi Christe, respice in me, et eripe me a multitudine iniquitatum mearum. Irritavi enim ac sprevi omnia bona, quæ fecisti mecum a ju-

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Id. xxiv, 27, et Luc. xvii, 24. — [3] Amos v, 18. — [4] Matth. xxiv, 50, 51.

ventute mea. Me etenim rudem atque imprudentem fecisti vas plenum scientia ac sapientia. Multiplicata est super me gratia tua, quæ meam satiavit famem, et refrigeravit sitim : mentemque meam tenebris plenam illuminavit, et cogitationes meas ab errore revocavit. Et nunc adoro et imploro ineffabilem benignitatem tuam, infirmitatem meam confitens. Remitte paululum undas ejus, illamque mihi asserva in die illa : et ne irascaris mihi, benignissime : quia enim inundationis illius fluctus ferre non sustineo, ideo audacter ac temere me gero. Figura Patris, ac splendor inenarrabilis gloriæ, aliquid jam mihi ex ejus inundatione remitte : nam, ignis instar, renes meos et cor meum adurit. Illic autem eam mihi dona, et in regno tuo me salva, et fac mecum bonitatis tuæ mansionem una cum benedicto Patre tuo in die revelationis tuæ. Christe, qui solus vitæ dator es, concede mihi quod peto, et a cunctis notis meis iniquitates meas operi. Recordare quoque lacrymarum mearum, quas coram sanctis Martyribus tuis effudi, ut in hora illa expavescenda misericordiam consequar, et sub alis gratiæ tuæ protegar. Ita, Domine, ostende in me indignum peccatorem, tuam ineffabilem benignitatem, meque latronis illius fac consortem ac socium, qui per unum verbum hæres paradisi effectus est[1]. Illuc me introducas, ac locum videam, ubi Adam occultatus est[2] : et gloriam benignitati tuæ offeram, quia lacrymas meas exaudisti, et cunctas iniquitates meas delevisti. Pone in conspectu tuo lacrymas meas, Domine, sicut et in promissione tua, ut confundatur inimicus meus, dum in loco vitæ me conspexerit, quem præpararunt mihi miserationes tuæ : et in tenebras diffugiat, dum in eo non me viderit loco, qui mihi a te propter peccata mea destinatus fuerat. Ita sane, benignissime Domine, qui solus absque peccato es,

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Gen. III.

ineffabilem super me bonitatem tuam effunde, et præsta, ut ego, et omnes qui te diligunt, gloriam tuam in regno tuo adoremus, dicamusque cum jucunditate tuæ claritati: « Gloria Patri, qui fecit nos; Gloria Filio, qui salvavit nos; Gloria sanctissimo Spiritui, qui renovavit nos, in omnia sæcula sæculorum. » Amen.

SERMO ASCETICUS II.

I. Qui se vere Domino consecrare cupiunt, ob futuram regni promissionem, et ad improbi adversarii repellenda tela, quibus varie singulorum animas impugnat, imprimis fidem firmam, et spem certam unusquisque secum afferat oportet, quibus nequissima improbi hostis tela ignea extinguere possit. Tametsi igitur millies voluntatem nostram adversarius laxiorem, atque remissiorem reddere conetur, et a spe, atque amore in Dominum divellere: animam diversimode oppugnans, sive per immissiones tribulationum per spiritus malignos in ipsam animam; sive per suggestiones improbarum, vanarum, illicitarum, atque impurarum cogitationum; in memoriam etiam reducendo peccata priora, animamque sic condemnando, et voluntatem ad malum relaxando; quasi salvari foret impossibile, ut in desperationem interim animam pertrahat: quodque ex ea improbarum cogitationum scelera pullulent in corde; non autem a maligno spiritu peccatum illi intrinsecus commiscente ac suggerente. Atque istud malitiæ, quam agnosci tamen nollet, argumentum est: quandoquidem mundanus adest spiritus erroris, divino Spiritui contrarius, qui in desperationis laqueos animam impellat; sive per

corporis labores, infirmitatem pariendo; sive per homines, opprobria et angustias inferendo. Et licet his omnibus debellare animam conetur, sua tamen in Deum fiducia homo nequaquam excidat, imo eo magis soli Christo, et misericordi, et qui animæ infirmitates curare potest, assidue adhæreat, semper eum amans, ac meditans; sicque apud se cogitans, statuensque, quod si a Deo recessero, deflectens a recto virtutis tramite, ad quem abire potero? Nisi forsan in perditionem me ipsum reddam præcipitem, et in manus fraudulenti hostis.

II. Idcirco licet infinitis gladiis igneorum telorum, et malitiæ passionum, necnon absurdarum atque pravarum cogitationum quotidie unumquemque fratrum malignus impugnet; licet etiam impetum faciat, ut a via justitiæ nos avertat relaxetque, ac in desperationem inducat: tanto magis ad Deum confugere oportebit, et spem in eo defigere. Nam sic animas vult probari, quæ ad ipsum recurrunt; ut vere constet eas omnia odio habentes solum Deum dilexisse. Quin et a malitia hominum mala plurima tales perpessi sunt, ut propius ad Deum accederent, ejusque voluntatem perficerent. Unde et amplius eorum in Deum exarsit amor, ac desiderium; ita ut infinitas mortes despicerent, Deum solum amantes, eumque solum hæreditate possidere cupientes, omne quoque studium, et laborem suum, atque quotidianum certamen parvi ducentes, nihilique facientes, ut speratis illis bonis æternis perfrui liceret. Nam mille anni hujus sæculi[1] in æterno, et incorruptibili illo mundo tantam habent comparationem, quantam minima arena maris, cum tota arena ejusdem. Hoc justorum sæculum æternum est, infinitum, et incorruptibile, regnumque cœlorum. Tales igitur animæ, quæ intellectu, atque prudentia certant, et spe ejusmodi expec-

[1] Psal. LXXXIX, 4.

tant, cunctasque angustias ob spem in Dominum conceptam pessumdant, et spe eadem constanter superant, non confundentur, sed æternam veramque vitam consequentur, probatæ in tentationibus repertæ secundum illud dictum : « Quis nos separabit a charitate Dei? Tribulatio? an » angustia? an persecutio? an nuditas? an periculum? an » gladius[1]? » et quæ sequuntur; et rursus : « Tribulatio pa- » tientiam operatur, patientia autem probationem, probatio » autem spem; spes vero non confundit[2]. » Et Dominus : « In patientia, inquit, vestra possidebitis animas vestras[3]. » Et iterum : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salva- » bitur[4]. »

III. Quæcumque itaque homini tribulationes a spiritu maligno inferuntur, si generose strenueque, spe et longanimitate suffultus, eas sustinuerit; magis eum confirmabunt constabilientque, ac probatiorem reddent. Jam enim tu mihi ratiocinando collige : quod si universi terrarum orbis te regem solum constituerent, thesaurosque totius mundi tibi soli offerrent; et si solus totum orbem rexisses, ac tenuisses, ex quo creatum est genus humanum usque ad sæculi consummationem; commutares-ne cum his veram, ac sine termino, sempiternamque vitam, ipsum regnum cœlorum, cujus non erit finis, neque successio? perspicuum est, si recte dijudices, dicturum te : « Absit a me, ut cœleste regnum cum corruptibili et transitorio commutem. » Quemadmodum dixit Dominus : « Quid enim » proderit homini, si mundum universum lucretur, animæ » vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo » commutationem pro anima sua[5]? » Universo itaque mundo, regnoque ejus, pecuniis, atque substantiis, gloria, et honore, sola anima et pretiosior, et honorabilior est. Adeo

[1] Rom. VIII, 35. — [2] Id. V, 3-5. — [3] Luc. XXI, 19. — [4] Matth. XXIV, 13. — [5] Id. XVI, 26.

verum est, cœleste regnum rebus omnibus honore esse præferendum : quoniam nullam omnino creaturam placuit Deo divinæ suæ naturæ spiritus consortem, participemque facere; non cœlum, non solem, non lunam, non astra, non terram, non mare, non quamcumque creaturarum, quæ videntur, naturam, præterquam solum hominem, qui ipsum super omnia diligat. Si igitur maximas, ac pretiosissimas quasque mundi creaturas, vel divitias, vel ipsum etiam universum regnum terrenum, recta cogitatione complectamur, nequaquam ista cum æterno, et cœlesti vitæ regno comparari, nedum illi anteponi, patiemur. Quomodo itaque plures illud ipsum cum miserabilibus, ac contemptibilibus mundi rebus comparant atque commutant, veluti cum aliqua concupiscentia hujus mundi, sive vana gloria, sive cum turpi lucro? Quod enim quis sæculi hujus diligit, et cui quis alligatus est, tanquam mundanæ, et corruptibili rei, cum illo etiam regnum cœlorum comparat, atque commutat.

IV. Nam quod quis diligit, illud sibi Deum constituit, sicut dictum est : « A quo enim quis superatus est, hujus » et servus efficitur[1]. » Oportet namque eum, qui vere vitam æternam appetit, cœlestisque regni gaudiis perfrui desiderat, cunctis rebus sæculi hujus superiorem, majoremque fieri, universosque mundi terminos, et omnem gloriam terrenam superare, et universa materiæ vincula perfringere, et supercœlestem Christi gloriam complecti, nihilque cæterorum cum ejus amore commutare, aut quid sæculi hujus fugacisve vitæ amare. Qui enim vero amore vere in Deum fertur, instar gladii bicipitis quemcumque amorem alium hujus mundi interrumpit ac dirimit, omneque vinculum materiæ perfringit; nihilque eorum, quæ sub aspectum cadunt, animam illam detinere, ac possidere

[1] 2 Petr. II, 9.

poterit : non voluptas aliqua, non gloria, non divitiæ, non vinculum amoris carnalis, neque quid earum rerum, quæ hujus sunt materiæ. Sed quæ solum Deum diligit anima, præter ipsum nihil diligit sæculi hujus : sed universum suum amorem, ac voluntatem, in ipsum solum transferens, ipsique soli alligata, omnem amorem terrenum ac materialem transcendit, ac vincit. Ensis utrinque acutus est dilectio spiritus, quæ quidem dilectio, ensis instar, quamcumque materialem affectionem præcidit, omnibusque terræ limitibus supereminere facit, et adhærescere soli Deo, ejusque voluntatem per omnia explere. Magnorum igitur certaminum est, et fortium laborum, ingentes illas æternæ vitæ promissiones percipere : necesse enim est aliquem se totum ex toto devovere Domino, sicut scriptum est : « Ex » toto corde et viribus, et fortitudine, et ex tota voluntate [1] » suspendere, et crucifigere se ipsum jugiter anima et corpore in cunctis sanctis ejus præceptis, ut potiri queat vita iis promissa, qui diligunt Deum, vitæque sempiternæ digni haberi volunt.

V. Si enim in terreno, transitorio, et corruptibili régno maximi sudores, defatigationes atque labores suscipiuntur, ut qui horum sunt cupidi, alios queant præcedere, et ad aliquam honoris æstimationem, vel principatus transeuntis gloriam pervenire; quanto magis nos omnibus nervis ac viribus cum gaudio allaborare, et decertare oportuerit, pro æterno, immortali, et incorruptibili regno, et pro tantis incorruptibilis gloriæ coronis obtinendis? Justum siquidem tibi videtur, ut transitoriæ res terrenæ cum omni sua gloria corruptibili, tantis molestiis, atque laboribus acquirantur ; ad æternas vero bonorum æternorum incorruptibiles, et sine fine duraturas, ut cum Christo regnare liceat, aspirare ; et ad hoc, vel modico aliquo hoc

[1] Matth. xxii, 37.

tempore in terris laborare, ac decertare non decebit, ut in futuro sæculo cum Deo regnare possis in sæculorum sæcula? Equidem arbitror, vel etiam parum admodum sapienti justissimum visum iri, hoc brevi tempore certare, dimicare, ac currere, ut victoriam consequatur æternam; quæ modico hoc tempore non viriliter certantem, sed desidem, ac mollem, terrenisque voluptatibus iterum diffluentem dejicit, et æterno pudore suffundit. Nam si quis operibus bonis det operam, seque in rebus Scripturarum occupet; omnes sermones, sive Scripturæ, sive ordines, ipsorumque externorum philosophorum libri, de hisce clamantes, hunc collaudant, et de hoc gloriantur, omnesque linguæ de hoc perhibent testimonium, eum, qui in divinis Scripturæ rebus suam vitam traducit, celebrantes. Ille demum vere divinus est philosophus, qui omni tempore pravis suis concupiscentiis resistit. Nam qui in solo nomine sapientiæ sibi blanditur, et gloriatur, propriasque sibi concupiscentias non subjicit; insipiens hic prorsus, ac stultus reputabitur, quod de pravis rationique adversantibus passionibus quæstiones agitare velit. Non igitur in multiloquio Dei hominem decet se occupare; sed operibus veritatis attendat, et exercitia a divinis Scripturis proposita amplectatur, ad eaque vitæ suæ rationes componat, oportet. Etenim cuncti divinarum Scripturarum sermones, ut et mundani, de operibus bonis loquuntur, et adversum mala vitæ instituta, suppliciorum pœnas decernunt.

VI. Quod si igitur in ipsis bonis operibus virtutis, probaque atque honesta conversatione vitam traduxeris, ecce jam de te cuncti sermonem facient, memoriam tui aliis prodent, vitamque in ipsis operibus virtutis, quæ a cunctis celebratur, transactam imitabuntur. Quamobrem in divinis præceptis semper nos occupare studeamus, ut cum spem hæreditatis tantorum bonorum perfruendæ conceperimus,

etiam communicationem spiritus semper expectemus, ut anima et corpore hinc sanctificati, cunctisque mandatis dominicis per spiritus communicationem a nobis impletis, digni efficiamur Christo; sicque filii supercœlestis Patris per communicationem Spiritus ejus fieri mereamur, « Hæ- » redes quidem Dei, cohæredes autem Christi [1], » secundum apostolicum sermonem. Ut digni quoque reddamur fruitione æternorum cum Christo bonorum, in sempiterna sæcula. Amen.

SERMO ASCETICUS III.

I. Noli totum vitæ tuæ tempus in cura tui corporis insumere, sed quando corpus esuriet, et cibum exposcet, cogita animam quoque proprio alimento egere, atque instar corporis corporeis carentis, perire. Etenim homo duplex est, ex anima, et corpore : et ideo dicebat Jesus : « Tu igitur, o œconome, da quæ sunt animæ, animæ, et quæ sunt corporis, corpori. » Non corpus tuum duntaxat alito, animam autem desertam relinques, atque famelicam. De anima hujusmodi Apostolus loquitur : « Nam quæ in deli- » ciis est, vivens mortua est [2]. » Ne igitur sinas tuam animam a fame in mortem adduci : verum alito illam sermonibus Dei, in psalmis, in hymnis, et canticis spiritualibus, in lectionibus divinarum Scripturarum, in jejuniis, in vigiliis, in lacrymis, et eleemosyna, in spe, et meditatione futurorum bonorum, quæ æterna sunt, atque incorruptibilia. Hæc, atque horum similia cibus sunt, et vita animæ. Propterea et magnus Propheta dicebat : « Fiant lacrymæ

[1] Rom. VIII, 17. — [2] 1 Tim. V, 6.

» meæ mihi panes die, ac nocte[1]. » O beata anima prophetæ David, receptaculum Spiritus sancti, per singulos dies, ac noctes plorabat : et nos sexcentis malis obnoxii, ne ad horam quidem volumus compungi, et pœnitentiam agere. O quam magnum gaudium fit in cœlo, quando homo peccator in terra luget, atque abjicit consuetudinem malam, et odit peccatum, et dicit : « Iniquitatem odio habui, et abo» minatus sum[2]. » Et, « Ab omni via mala prohibui pedes » meos[3]. »

II. Ne fias protervus, ut ne exosus sis omnibus. Ne tibi arrogantiam compares; ne relaxationem unquam des carni tuæ, ne animæ tuæ pondus fiat; ne abripiat blasphemia cupiditatem tuam ; ne te desperatio a pœnitentia excludat; ne te a cœlo divellat; ne magniloquentia occulta tua evulget; nullum tua invidia obscuret ; ne dementia intelligentiam tuam excæcet; ne stultitia prudentiam tuam tenebris obruat; ne inscitia in mente tua dominetur; ne cæcus assensus discretionem tuam pervertat, aut aliud quippiam ex rebus prohibitis fallens mentem, occulte in cor tuum introeat, et captivum abducat a regno cœlorum. At sobrius esto, sicut scriptum est, meditando die, ac nocte, ne quando inveniat mentem vacantem a meditatione mandatorum Dei, eique superseminet zizania infelix, et miser exul a dilectione; ipse enim vanis imaginibus illudens dies suos pertransit. Quisnam autem minime flebit hominem illum, qui a Deo longe recedit ? Dico enim vobis, fratres, eum, qui non habet Dei dilectionem, ipsius esse inimicum. Non enim mendax est, qui dixit : « Qui odit » fratrem suum, homicida est[4]. » Etenim, qui charitatem non habet, amicus est diaboli, vas jactantiæ, detractorum sodalis, superbiæ cultor, et denique instrumentum est diaboli.

[1] Psal. XLI, 4. — [2] Id. CXVIII, 163. — [3] Ibid. 101. — [4] I Joan. III, 15.

III. Infelix, et miser, qui patientiam non possidet : qui enim patientiam non habet, a vento concutitur, injuriam non tolerat, in tribulationibus negligens est, in subjectione querulus, in obedientia contentiosus, in orationibus segnis, in responsionibus tardus, in controversiis fortis. Qui patientiam non habet, multis detrimentis subjicitur, et fieri non potest, ut virtutem capessat, qui est hujusmodi : imo potius probatioribus viris adversatur, ac proficientium obtrectator est. Beatus vero ille homo, qui non facile irascitur, aut iracundiam cohibet, qui spiritum ferventis bilis non habet, Spiritum sanctum non exacerbat : qui talis est ab omnibus commendatur; laudatur ab Angelis, et a Christo diligitur. Ejusmodi hominis corpus, et anima semper recte valent. At qui iracundiæ spiritu facile commovetur, sæpe ob rem nullius momenti irascitur. Et revera infelix, et miser est, qui in hisce rebus succumbit. Qui iracundus est, suam occidit animam. Quemadmodum omnibus bonis, cunctisque virtutibus dilectio sublimior existit : ita omnium peccatorum est gravissimum, odisse fratrem. Qui enim fratrem suum odio habet, manet in morte. Et qui defraudat mercedem, et qui odit fratrem suum, ad crudelem locum homicidæ condemnabuntur.

IV. Cum igitur peccaveris, minime ab alio accusationem expectes; verum antequam arguaris, et insimuleris, facta tua condemna, atque ad confitendum accede, neque pudeat te coërcere, quæ te dedecore afficiunt, neque erubescas. Nunc autem verba, quæ te justum faciunt, vereris? Dicito hic, ne ibi dicas, tanquam nolens. Nam peccatorum confessio, exterminatio fit delictorum. Non enim quia ignorat, scire vult. Minime. Verum vult, ut nos errata sentiamus per confessionem. Non grave aliquid, molestumque a nobis exposcit Deus, contritionem cordis, cogitationum compunctionem, confessionem lapsus, perseverantiam laborio-

sam, ac diuturnam; post confessionem vero veniam poscere peccatorum, cautionem autem in posterum diligentissimam. Quanto igitur melius est hic quidem lugere, ac lamentari per breve hoc tempus, et temporalem vitam; quam hic ridendo, eo abire puniendos in sæculum sæculi? Sed pudore afficeris, atque erubescis peccata manifestare? Erubesce potius peccare, non confiteri. Finge cogitatione: si modo non confitebitur, ibi in medio terræ theatro omnia confitebuntur: ubi amplior castigatio, ubi major ignominiæ pœna? Effrenate, atque impudenter agimus: cum autem confiteri oportet, tunc pudore suffundimur, ac in aliud tempus rejicimus. Neque enim dedecus est, si confiteamini peccata, sed justitia, et virtus. Nisi justitia, et virtus esset, mercedem confessio non haberet.

V. Audi quid dicat: « Dic ergo tu primus peccata tua, ut » justificeris. » Neque enim ideo jubet confiteri, ut puniaris, sed ut tibi ignoscatur. Faciamus igitur inquisitionem diligentem non modo operum, verumetiam verborum, et cogitationum, atque excutiamus accurate, quomodo quisque singulis diebus se gessit, et quale peccatum in unoquoque perpetratum est, et quisnam male consumptus fuit, et qui motus, id est cogitatio nos excitavit ad commotionem minime bonam, curemusque pro ratione peccatorum pœnitentiam etiam ostendere: animadvertamus in conscientiam, atque acriter eam increpemus, ne audeat amplius, postquam resurrexit, incidere rursus in illud peccati barathrum, veriti prioris plagæ cruciatum. Habeto igitur in conscientia libellum, ac quotidie errata scribe, singulisque diebus libellum adducito in medium, et recense tum bona, tum mala, quæ fecisti, et recordare ignei fluminis, atque irrequieti vermis, et immitis tartari, ut pœnarum timore bonum addas, et mala tollas. Lugeamus ante tempus; ne strideamus eo tempore, ploremus tempestive. Hoc sacrifi-

cium acceptabile est apud Deum. Hac aqua homo irrigatus, fructus facit. Aqua ista pulvis abluitur; hac aqua ignis extinguitur, tenebræ illustrantur, vincula resolvuntur, aberrantes convertuntur, universi salvi fiunt, Deus glorificatur. Hac aqua etiam Petrus admissas in se sordes abluit : egressus enim foras, flevit amare.

SERMO

Ad imitationem proverbiorum.

I. « Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam [1]. » Qui credit in Filium Dei, non concludentur gressus ejus : « Et si per ignem transierit, non ei flamma nocebit [2]. » Qui in Filium credit sicut dicit Scriptura, « Flumina de » ventre ejus fluent aquæ vivæ [3]. » Magna lignorum strues auget flammam; et timor Dei scientiam in corde hominis multiplicat : operatio autem scientiam confirmat. Adverte diligenter, ne, dum seminas semen Domini tui, superveniens inimicus zizania commisceat [4], cum moris sit ei per bona operari mala. A Domino gratiam postulemus, ut nobis scientiam præbeat et intellectum vigilandi ac temperate agendi in omnibus. « Fornax argentum probat atque » aurum : timor autem Domini, cogitationes diligentium » eum [5]. » Ut faber apud incudem vasa utilia perficit : ita timor Dei cor expiat, impuris cogitationibus ejectis, et cum prudentia atque scientia eloqui verba docet. Demus ergo gloriam ei, qui timorem suum nostris cordibus infun-

[1] Joan. III, 36, et 1 Joan. V, 10. — [2] Isaï. XLIII, 2. — [3] Joan. VII, 38. — [4] Matth. XIII, 25. — [5] Prov. XVII, 3. Sap. III, 6, et Eccli. II, 5.

dit : « Quoniam ipse hominem docet scientiam [1]. Initium » sapientiæ, timor Domini : intellectus autem bonus omni» bus facientibus eum [2]. » Pietas autem in Deum, principium sensus. Sapiens Christi præcepta custodiet : et qui ambulat in iis, non confundetur in æternum : qui vero relinquit ea, insipiens est, ac vana spes illius : at qui in veritate servat ea, de morte ad vitam translatus est [3], et in æternum non videbit tenebras, et in die obitus inveniet gratiam. Angeli fideles animam illius deducent : et super firmam ac stabilem petram fundamentum ejus erit, et hæreditatem vitæ æternæ capiet. Hic autem beatissimus, quia voluntatem Creatoris sui facere novit. Tuba signum edente, exercitus præparatur ad bellum : at tempore certaminis non omnes bellatores ac pugiles. Multi habitu monachi; at pauci certatores; tempore autem tentationis, monachi probatio apparet. Ante obitum neminem prædicaveris beatum, et ante mortem ne desperaveris quemquam [4]. Neque justum te ipsum, et irreprehensibilem coram Domino dixeris : quæ enim te latent, Deo aperta sunt et manifesta. Credere porro oportet, quod si sustinuerimus ipsum, erit fructus operi nostro. Volo potius Dei præcepta opere implere, et insignis esse inter fratres; quam illa transgredi, et iis esse abominabilis. Qui universam didicit Scripturam, et Christi mandata despicit, vapulabit multis [5] : at qui voluntatem Domini facit, hic perfectus vir æstimabitur. Non locus viro perfecto; sed discretio atque judicium appetendum : at infirmioribus, locus optimis regulis directus convenit. Et quis perfectus est vir? Qui Dominum in veritate diligit, et proximum suum sicut se ipsum.

II. Dominum time, et invenies gratiam : nam timor Domini mores gignit, quibus constant virtutes. At timoris

[1] Psal. XCIII, 10. — [2] Id. CX, 10. Prov. I, 7, et Eccli. I, 16. — [3] Joan. V, 24. — [4] Eccli. VIII, 7. — [5] Luc. XII, 47.

expers securitas, æmulationem amaram parit, atque contentionem, et his similia. Timor Domini, fons vitæ. Timor Domini, munitio animæ. Timor Domini, mentem spiritalem dirigit. Timor Domini, animæ tutela. Timor Domini, gratiam in omni conversatione præbet timenti Dominum. Timor Domini, gubernator est animæ. Timor Domini, animam illuminat. Timor Domini, malitiam tabefacit. Timor Domini, passiones imminuit. Timor Domini, dilectionem auget. Timor Domini, omnem concupiscentiam malam exsiccat. Timor Domini voluptatem præscindit. Timor Domini, animæ schola est, et spem ei bonam annuntiat. Timor Domini, pacem administrat. Timor Domini, animam spiritu sanctæ intelligentiæ replebit, sceptrumque cœlestis regni ipsi tradet. Non est inter homines illo major, qui timet Dominum. Qui Dominum timet, similis est luci multos ad viam salutis adducenti. Qui timet Dominum, similis est civitati supra montem positæ, murisque munitæ, a cujus conspectu improbi dæmones contremiscunt. Anima timens Dominum felicissima est, quoniam ante se semper justum prospicit Judicem. Si Dominum times, ejus serva mandata, et non confunderis.

III. Est qui locum relinquit propter virtutem, et est qui deserit locum propter otium atque inobedientiam, et est qui persequitur ob hæreditatem. Est qui multa indagat, cupiens addiscere sapientiam, et est qui multa investigat ob inanem gloriam. Est qui obedit propter præceptum Christi : et est qui obedientem se præbet, ambitionis et turpis lucri gratia. Est qui currit et certat ob charitatem Christi : et est qui currit ac decertat causa vanæ gloriæ. Est qui proximum collaudat ob studium complacendi hominibus : et est qui proximum commendat ob præceptum Christi, et est qui proximum deturbat ac dejicit propter ingluviem ventris. Est qui se ipsum humiliat ob præceptum Christi,

et est qui se ipsum abjicit ex insipientia. Est qui vehementer intentus est operi causa avaritiæ, et est qui plurimum operatur propter beneficentiam. Est qui operatur, quando non oportet : et est qui tempore laboris non operatur. Est qui psallit et clamat, dum non oportet; tempore autem psalmodiæ silet, aut de rebus inutilibus cum proximo loquitur. Est qui vigiliis intentus est, quando minime oportet; et vigiliarum tempore obmurmurat. Scriptum est : « Infernus et perditio manifesta apud Dominum : et quo- » modo non corda hominum [1] ? » Initium recte instituendæ vitæ est lacrymas adhibere in oratione. Divinas porro audire Scripturas, justæ veræque prudentiæ principium est. Infiniti libri in auribus insipientium pro nihilo putantur. Et quis insipiens, nisi qui timorem spernit Domini? nam scriptum est : « Sapiens corde, mandata suscipit. Da sa- » pienti occasionem, et sapientior erit, notifica justo, et » addet ad accipiendum [2]. » Filius eruditus, sapiens erit; stulto autem, ministri loco utetur. Segnes indigebunt pecunia : strenui vero divitiis fulcientur. Sapiens timoratus declinat a malo, at insipiens sibi ipsi confidens admiscetur iniquis. Iracundus citra consilium agit : at vir prudens multa suffert. Honora Dominum, et viæ tuæ prosperabuntur. Honora sacerdotem atque presbyterum, ut in te benedictio oris ipsorum veniat. Honora senes, tanquam qui diu multumque Christo servierunt. Honora fratres tuos, velut Christi servos, ut ab ipsis diligaris. Si quietem atque silentium, frater, amaveris, navigationem tuam in tranquillitate perficies. Qui cellæ suæ quietem fugit, terrena imaginatur; at qui internum opus curat, quæ sanctis præparata sunt in cœlis, concupiscit. Prospicit Dominus cogitationem monachi appetentis sacerdotium, at magnus sane gradus est sacerdotium, si immaculatum peragatur. Rex

[1] Prov. xv, 11. — [2] Id. x, 8, et ix, 9.

Christi amans, beatus est; nam in benedictionibus relinquet memoriam suam, et laudatio ejus in cœlo erit et in terra. Rex infidelis non novit sapientiam in vita sua; et moriens, in maledictionibus memoriam suam relinquet, et opprobrium ejus in æternum non delebitur. Thronus regis fidelis in æternum firmabitur. Justus judex requiretur, et ora justorum benedicent illum, at injustus non miserebitur animæ suæ, nequaquam enim judicium atque justitiam in terra faciet. Scriptum est : « Qui calumniatur pauperem, » multa facit sua mala. Non facias violentiam pauperi : » inops enim est. Neque inhonores infirmum in porta, Do» minus enim judicabit causam ejus [1]. » Scriptum quippe est : « Erue eos qui ducuntur ad mortem [2]. » Et ne tradas famulum in manus domini, ne forte maledicat tibi, et extermineris. Scriptum est : « Qui aliorum ruina lætatur, » non erit impunitus : » ille autem, cujus viscera misericordia commoventur, benedictionem consequetur. Fidelis viri totus mundus pecuniæ, at infidelis viri ne obolus quidem. « Deo dat mutuum qui pauperis miseretur, et secun» dum ipsius munus reddet ei [3]. » Scriptum est : « Pondus » magnum et pusillum, et mensuræ duplices, utraque abo» minabilia sunt apud Dominum [4]. Qui proximo fodit fo» veam, incidet in eam [5]. »

IV. Time igitur Dominum, et in die mala liberabit te. Rex pius curabit portus et littora maris : at qui peritus ac prudens est intellectu, munitiones in finibus suis non negliget. Hæc autem ambo in corde regis per multam experientiam et humanitatem oriuntur. Rex fidelis semper in memoria habet judicium æternum, et qui justi meminit Judicis, non obliviscetur liberationis animarum, quæ in necessitatibus constitutæ sunt atque angustiis, quæque in

[1] Prov. XXII, 16, et 22, 23. — [2] Id. XXIV, 11. — [3] Id. XIX, 17. — [4] Id. XX, 10. — [5] Id. XXVI, 27.

carceribus et exiliis detineantur. Beatus vir, qui in temporaria ac momentanea sua potestate permanentem gloriam possidet. Nam qui hodie rex, cras morietur: at qui facit voluntatem Domini, manet in æternum. Medicus probatus ex rerum experientia redditur. Multæ deliciæ varias passiones et infirmitates generant: at laboriosa operatio in præsenti quidem laborem ac defatigationem continet; post laborem vero, sanitatem et prosperam valetudinem. Ne carnis esum, monache, appetas, et ad ebrietatem ne vinum bibas, ut ne crassa ac stupida reddatur mens tua: nam sæculares alioquin curæ te non deficerent. Circumcirca detonde palmam, et in altum excrescet: ab anima autem mundanas sollicitudines reseca, et ad virtutem se convertet. Qui maledicta atque convicia injuriasve patienter suffert, similis est illi, qui in cavea leonem concludit: at qui resistit, similis est perdenti se ipsum. Ante omnes ad synaxim contendere, bonum est. Synaxim autem absque necessitate ante finem relinquere, malum est. Accipe, frater, et divinas Scripturas ausculta, ut lucrum referas. Nam quemadmodum in æstu haustus aquæ frigidæ propinatus viro itineranti: sic etiam divini sermones irrorant animæ. Si auscultare volueris, excipe, et si audieris, sapiens eris: sin autem patienter verbum grave non tuleris, quanto magis actionem et opus? Hinc igitur te ipsum agnosce, quod negligens sis, sicut et ego.

V. Ingredientibus porro nobis in domum Dei, ne mente evagemur ac distrahamur; sed contemplationi et orationi operam det interior noster homo. Orantes autem dicamus: « Pater noster, qui es in cœlis [1]: » ne forte alienæ cogitationes nostram mentem conturbent. Cum vero in oratione constiteris, coram quo assistas cognosce, sitque anima tua et cor tuum totum ad eum. Intellige quod dico. Si

[1] Matth. vi, 9.

vir quispiam, arrepto argenti sacculo in manu sua, nundinas concesserit, volens coëmere boves; numquid porcos cogitabit? Sin autem et asinos comparare voluerit, numquid canes attendet? nonne tota cogitatio ipsius in iis versabitur, quæ cupit? ne forte irrisus, etiam quæ in manibus erant, deperdat. Quod si etiam, qui proximus assistit tibi frater corpore infirmus, incœperit tussire, aut multum expuere, ne turberis propter eum; sed memineris multos se ægrotorum et mutilorum obsequiis tradidisse. Si corpore sanus sis, ne extollaris, sed time. Nam quemadmodum multichordis cithara in manu viri: ita omnis caro in manu Jesu Christi Salvatoris nostri. Scriptum habetur : « Omni tempore oculi pravorum excipiunt mala : at » boni in quiete ac tranquillitate erunt semper [1]. » Viæ vitæ excogitationes intelligentis, ut declinans ab inferno salvetur. Scriptum est : « Non amabit indisciplinatus cor» ripientes ipsum, et cum sapientibus non conversabi» tur [2]. » Qui ignominia pauperem afficit, peccat : at qui pauperum miseretur, beatissimus. Scriptum est : « Si ce» ciderit inimicus tuus, ne læteris, et in supplantatione » ejus ne extollaris : quoniam videbit Dominus, et non » placebit ipsi, avertetque humeros ab ipso [3]. » Qui obstruit aures suas, ne infirmos audiat, ipse quoque implorabit, nec erit, qui exaudiat [4].

VI. Ne glorieris de crastino : ignoras enim quid pariet proxime sequens dies. Ne committas mala, ut non te comprehendant mala. Noli gaudere obtrectationibus ut non efferaris. Scriptum est : « Qui verbo respondet, prius quam » audiat, imprudentia ipsi est et improperium [5]. » Non oblectatur pater filio indisciplinato : at filius bonis imbutus disciplinis, sapiens erit [6]. Non in multiplici litterarum

[1] Prov. xv. — [2] Id. xiv, 14. — [3] Id. xxiv. — [4] Id. xxi, xxvii et xxviii. — [5] Id. xviii, 13. — [6] Id. x.

cognitione sapientia est, sed sicut scriptum est : « Initium » sapientiæ timor Domini [1]. » Nosse porro legem, mentis est bonæ. Fides mentem bonam parit : mens autem bona fluvius aquæ vivæ est, et qui eam possidet, aquis ejus implebitur. Absque oleo non ardebit lucerna, et sine fide nullus possidet eam. Scriptum est : « Qui repellit disciplinam, odit se ipsum [2] : » at qui correptiones observat, suam diligit animam. Ne cito ad pugnam irruas, ne pœniteat te in novissimis tuis. « Melius est nomen bonum, quam divi» tiæ multæ : et super argentum et aurum gratia bona [3]. » Absque patientia non ædificabitur turris, et absque scientia non excolitur virtus. Non est mensura patientiæ, si humilitati sit admixta. Donum patientiæ a Domino est, et diligentibus se donabit eam, et qui eum tenent, et multis tribulationibus liberabuntur. Insipiens multiplicat sermones : at qui labiis temperat intelligens erit [4]. Prudens monachus mittitur ad ministerium, et qui vident eum, Domino dabunt gloriam. Insipiens autem et temulentus, in pagis et vicis turpiter atque indecore se gerit : hic autem præfectum simul et fratres pudore atque dedecore afficit. Expers timoris Domini securitas cogitationem puerilem parit : at timor Domini etiam juvenes, senes reddit. Dominum honora, et sæcularem ne scandalizes. Prophetam imitare Samuëlem : quoniam et Deo gratus extitit, et homines ædificavit ; filii autem timoris Dei expertes in gladio ceciderunt.

VII. Juveni temerario ne confidas, ut neque homini seni agenti quæ non decent. Qui autem timet Dominum, curabit populum suum. Pietas atque religio in humilitate et charitate exaltat caput monachi, et in tempore visitationis ipsius resplendebit. Odium atque invidia sub pieta-

[1] Psal. cx, 10. Prov. I, 7, et Eccli. I, 16. — [2] Prov. xv, 32. — [3] Id. xxII, 1, et Eccl. vII, 12. — [4] Prov. x, 19.

tis velamine occultata, aqua est amara in aureis vasis contenta: cui si vitæ lignum immiseris, etiam dulcescet. Nam ligno dulcis facta est aqua, et cunctæ dolosi hostis insidiæ per crucem Salvatoris nostri Jesu Christi sublatæ et exterminatæ sunt. Dilectio oculos mentis illuminat, qui autem inimicitias, et contentiones amat, similis est ei, qui assidue manum suam in foramen aspidum immittit. Quemadmodum vermis in ligno, sic vana gloria in monacho, et sicut tinea in vestimentis, ita et avaritiæ affectus in corde hominis. Ne te ipsum exaltes, ut non corruas, et animæ tuæ ignominiam adducas. « Suscipit enim mansuetos Do» minus; peccatores autem usque ad terram humiliat [1]. » Qui se ipsum extollit, dedecus sibi ipsi conciliat : at qui proximo in humilitate servit, glorificabitur. Qui proximi commiseratione in die tribulationis ducitur, etiam ipsius semper miserebitur Dominus : misericordia enim viri, velut sigillum cum ipso. Est vir etiam nihil in sua potestate habens, mitis atque misericors, qui deinde facultates consecutus, valde promptus ad jubendum et imperandum indiscrete redditur : sublata autem ab eo potestate ac præfectura, etiam a se ipso imperata ferre nequit, qui quidem tanquam insipiens, suam ipsius imbecillitatem non novit. « In cunctis, frater, operibus tuis memorare novissima » tua, et in æternum non peccabis [2]. »

VIII. Ne superbias, neque dilateris, sed te ipsum humilia : ultio quippe impiorum, ignis est et vermis. Posside timorem Dei, ut et dæmones te reformident : nam quæ fucata sunt atque fictitia, semper vana. Si cuncti mandare atque imperare voluerimus, quis subditus erit, aut obediet? si cuncti honorari desideramus, quis honorem exhibebit? Vir sapiens imperare recusat, non autem obtemperare, præcepto illius satis faciens, qui dixit : « Si quis voluerit

[1] Psal. CXLVI, 6. — [2] Eccli. VII, 40.

» inter vos magnus fieri, sit vester minister, et quicumque » voluerit inter vos primus esse, sit vester servus : sicut Fi» lius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et ani» mam suam dare in redemptionem pro multis [1]. Principem » te constituerunt? ne extollaris animo : esto autem inter » illos, sicut unus ex ipsis, menteque revolve labores tuos » priores, et intellige illos in iisdem laboribus versari, eos» que noli negligere, sed sedulo eorum curam gere [2]. » Scriptum habetur : « In magna gente, regis gloria; defi» ciente autem populo, contritio et exitium principis [3]. » Vir longanimis valet prudentia : at pusillanimis, valde insipiens est. Optemus digni fieri acceptione donorum, et digni effecti, nos ipsos parvi faciamus. Qui fratrum suorum curam gerit in disciplina et correptione Domini, grata et accepta Deo anima ipsius erit; qui autem despicit vitam suam, in Deum peccat. Super ignorantia fratrum tuorum ne læteris : non enim est tibi gloria ad ignominiam. Progressibus fratrum tuorum ne invideas; ait enim Scriptura : « Majus » gaudium non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate » ambulantes [4]. » Scriptum est : « Quibus deest gubernatio, » ut folia decidunt : salus autem in multis consiliis [5]. » Si intelligentia atque scientia frater polleat, ne contristes spiritum ejus, siquidem pie ac sancte ambulaverit. Sicut enim Jacob egit cum Laban Syro [6] : ita et tu vultum ad ipsum convertere debes. Scientem atque intelligentem te ipsum denominas? ex tuis te operibus cognosce. Nam sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita quoque scientia absque operatione est otiosa atque supervacanea.

IX. Signum bene institutæ vitæ in novitio monacho est abstinere a vinolentia et loquacitate, in humilitate : nam, qui illis gaudet, vitam bonam atque religiosam peragere

[1] Matth. xx, 27, et Marc. x, 44. — [2] Eccli. xxxii, 1, 2. — [3] Prov. xiv, 28. — [4] 3 Joan. 1, 4. — [5] Prov. xi, 14. — [6] Gen. xxix.

non poterit. Ne fratrem tuum ad ebrietatem bibere vinum cogas, etiamsi diu multumque id degustaverit : multo enim tempore extruitur navis, quæ minimo ictu ac momento temporis conteritur. Adolescentem mansuetum tua diligat anima, et supra vires ne gravaveris eum, ut animam ipsius salves in Domino, referasque immarcescibilem gloriæ coronam, cum apparuerit pastorum princeps. Undique circummunitam tene domum tuam, et ne patiaris perfodi præmunitionem tuam : ne forte per foramen ingressus inimicus, domum deprædetur ac spoliet, sisque ruinæ causa et auctor. « Præbe indigenti, et noli dicere : » Non opus habet : forte indigentiæ nomine recta disciplina » labefactetur [1]. » Ex quibus dispensavit tibi Dominus, cura illum, ne forte tanquam amoris affectu carentes atque immisericordes judicemur. Audiamus, fratres, eum, qui ait : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri incidunt in tentationem, et laqueos, et desideria multa, insana et nociva, » quæ mergunt homines interitum et perditionem. Radix » enim omnium malorum est cupiditas [2]. » Totis viribus honora patrem tuum, et ne irritas facias leges ejus, qui te genuit in Domino; eo enim modo non prævalebunt adversum te improbi dæmones. Animam tuam valde coram Domino humilia, et gratiam invenies. Domos quippe contumeliosorum diruit Dominus; illorum autem loco plantat mites.

X. « Hominem a peccato se avertentem conviciis ne excipias : neque virum in senectute sua dedecore afficias : » etenim ex nobis quoque senescunt [3]. » Infirmum ne asperneris aut negligas, quoniam scriptum est : « Qui obturat » aures suas, ne infirmum audiat, et ipse invocabit, et non » erit qui exaudiat [4]. » Odibilis in vicinia atque parœcia

[1] Eccli. IV, 1-4. — [2] I Tim. VI, 8-10. — [3] Eccli. VIII, 6, 7. — [4] Prov. XXI, 13.

sua redditur, qui verba atque sermones ex una domo in aliam defert : vir autem prudens quietem atque silentium amat. Ne cellam ingrediaris fratris tui, antequam ad ostium pulses : non enim quieti congruit perturbatio. Sagax atque intelligens præfectus animas junget fratrum suorum in correptione et disciplina Domini; qui autem contemnit, detrimentum patietur. Honorem senibus deferto propter Dominum, et ob peritiores quosdam ex fratribus ne senes ad opus compellas : nam carnes juventutis suæ in exercitatione attriverunt, et sufficit recta conscientia timenti Dominum. Non bonum est homini operari valenti, in otio panem comedere, cum dicat Apostolus : « Sine onere me » servavi et servabo [1]. » Scriptum est : « Beati misericordes, » quoniam ipsi misericordiam consequentur [2]. » Proximum ne injuria affeceris, loci prætextu : non enim in columnis constitit Ecclesia, sed in hominibus, quoniam scriptum est : « Væ ei, qui multiplicat sibi, quæ non sunt sua : usque» quo et aggravat torquem suam graviter? Quia repente » consurgent, qui mordeant eum, et vigilabunt insidiatores » tui, et eris in rapinam illis [3]. » Qui ædificat domum suam ex injustitia, testimonium avaritiæ ædificat sibi : nam omnem viam injustam oderunt sancti. Magnum in cœnobio periculum est puerulus, nisi recte regatur atque instituatur. Beatus autem ille, qui talem educat ex Dei præscripto ac voluntate. Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ovile ovium dormit : somnolentia enim pastorum, luporum est gaudium. Si sub tuis frater humiliatus sit manibus, noveris non causa timoris tui id fieri : at Domini potius memineris, propter quem et ipse sustinet, et ne divexes eum.

XI. Noli sectari lucrum, quod animæ detrimentum in se continet; quid enim anima pretiosius? Melior est mona-

[1] 2 Cor. XI, 9. — [2] Matth. V, 7. — [3] Habac. II, 6, 7.

chus pauper, vitam quietam degens cum humilitate, quam dives monachus, superbia et elatione animi tumens. Ne jurejurando te fratri obstrinxeris, sed pacem cum eo in timore Dei retine. Vide, monache, ne, dum iis, qui mundana sapiunt, placere cupis, rectum monasticæ vitæ institutum deperdas; sed in timore Dei tota die persiste. Monachus murmurator in multis detrimentum patietur; qui vero viriliter suffert, hæreditabit gaudium. Ne simus pusillanimes, charissimi : non enim semper in hac vita esse nos oportet. Quodcumque quis propter Dominum egerit, hoc totum ipsi lucro erit. « Nam esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc, et has destruet [1]. » Si tibi ipsi attendas, monache, primum quidem tui ipsius misereris : postea vero et eos, qui te diligunt, gaudio afficies : dum dicat Sapientia : « Fili, si sapiens tibi fueris, sapiens eris et » proximo. Sin autem malus evaseris, solus mala exantla» bis [2]. » Intellige quod dico, monache; ne foris pietatem ostendas, in cella vero te arrogantem atque superbum præbeas, ne similes reddamur quidem sepulcris dealbatis, quæ exterius quidem apparent alba, intus vero plena sunt ossibus humanis et immunditia [3]. In omni enim loco unus est Deus, cui sit gloria in sæcula. Amen. Reprime porro cogitationem superbiæ, prius quam te superbia deprimat. Destrue cogitationem arrogantiæ, antequam ipsa te subvertat. Effringe et contere concupiscentiam, prius quam te concupiscentia elidat ac conterat. Ne fratri suam instabilitatem improperaveris, ne forte et tu in idem vitium incidas. Si apud magnum aliquem senem resederis, non solum ejus virtutes enarra ; sed et vitam imitare, hoc enim tibi utile erit.

XII. Erga novitium patiens et longanimis esto, monache : omnia enim Domino sunt possibilia. Novitius autem

[1] 1 Cor. VII, 13. — [2] Prov. IX, 12. — [3] Matth. XXIII, 27.

humilitatem aversans, scutum contra adversarium non tenet : talisque varie conteretur. Qui carnalem requiem appetit, multos sibi dolores acquirit : at qui longanimis est, salvabitur. Prudens atque intelligens præfectus non contemnet audire sermonem dubium novitii cum seniore ejus : et peritus, atque discretus certitudinem rei indagabit; ipsosque in timore Domini conjunget atque componet. Qui in cœnobio sermones multiplicat, contentiones et odia sibi accumulat : at qui servat os suum, diligetur. Bona obedientia, charissimi, quæ propter Deum præstatur : et in hoc cognosce obedientiam, quæ est grata et accepta Deo. Obedientia, quæ propter Deum suscipitur, plena sanctificationis est usque ad mortem. Pro anima tua decerta, et ne confunderis in casu tuo : est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Si in ægritudinem aliquam incideris, charissime, memineris dicti illius : « Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris : quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem suscipit [1]. » Qui carceris custodia conclusus, videtur repugnare regi, quid tandem proficere poterit ? At qui procidit coram eo et obsecrat, hic potius misericordiam consequetur.

XIII. Frater quidam aliquando ægrotavit, et intra se dixit : « Væ mihi peccatori, quoniam in hoc morbo inveterascam ! » Et sanitati cum jam esset restitutus, invasit eum alius rursum morbus priore gravior atque molestior, et denuo eumdem sermonem protulit. Verumtamen homini celeriter suum non manifestavit dolorem, sed a Domino commiserationem requirebat, qui ex morbo sanitatem, et ex infirmitate robur ac vires præbet. Si spiritus tædii atque ignaviæ te invaserit, domum tuam ne relinquas, at

[1] Prov. III, 11, 12.

per patientiam ei resiste. Ne tibi cogitatio persuadeat, dicens : « Transfer te ex uno loco ad alium : » nam si cogitationi isti consenseris, nunquam tolerabis. Scriptum quippe est : « In quo corriget adolescentior viam suam ? in custodiendo » sermones tuos [1]. » In hoc salvatur maxime, qui una versatur cum fratribus. Possidere autem debet timorem Domini, et temperantiam summam : ex quibus oritur charitas, gaudium, pax, obedientia, et longanimitas, continentia, et quæcumque decent Christianos : « Ut sit velox ad au- » diendium, tardus autem ad loquendum, et tardus ad » iram : ira enim viri justitiam Dei non operatur [2]. » Sit porro etiam videns, tanquam non videns ea, quæ non conducunt ; et audiens, tanquam non audiens, quæ non decent, ut et postremis se posteriorem reddat, ac requiem inveniat : « Qui enim se ipsum humiliat, exaltabitur : et » qui se ipsum exaltat, humiliabitur [3]. » Nam si jubere atque imperare incœperit, et non adjuvet pro viribus laborantes, laborem atque dolorem in novissimis subibit. Non enim semper idem spirat ventus, sed ventorum mutationes sunt atque vicissitudines. Quare assuefacere se operi oportet : nescimus enim quid superventura pariet dies [4]. Habeat porro semper ob oculos eum, qui ait : « Nolite » judicare, ut non judicemini : in quo enim judicio judica- » veritis, judicabimini ; et in qua mensura mensi fueritis, » remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo » fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ? aut quo- » modo dices fratri tuo : Sine ejiciam festucam de oculo » tuo, et ecce trabs est in oculo tuo ? Hypocrita, ejice » primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere » festucam de oculo fratris tui [5]. » Et sic plane gratiam coram Domino invenies et hominibus. Ne tuos permittas

[1] Psal. cxviii, 9. — [2] Jacob. i, 19, 20. — [3] Matth. xxiii, 12. Luc. xiv, 11, et xviii, 14. — [4] Prov. xxvii. — [5] Matth. vii, 1-5.

evagari oculos, neque pulchritudinem alienam perdiscas, ne forte per oculos tuos tuus te destruat subvertatque inimicus.

XIV. Noli æmulari negligentiores, sed eos, qui omni virtutum genere exculti sunt atque ornati. Frater, ne perperam ac temerarie agas : quæ enim extra timorem Dei fiunt, aliud continent nihil, præterquam damnationem et pœnitentiam. Beata illa anima, quæ in veritate servit Domino : quoniam in novissimis suam a Domino requiem obtinebit. Exigua negligentia magnum peccatum parit : et modica sobrietas atque vigilantia magnum damnum avertit. Satius est comedere in Domino, et gratias agere Deo, quam non comedere, et condemnare edentes ac gratias Domino agentes. Assides mensæ? Comede panem, et ne detrahas famæ proximi : ut non devorare carnem fratris tui per detractionem comperiaris ; quia scriptum est : « Qui » devorant populum meum in esca panis Dominum non » invocaverunt [2]. » Sanus esto in fide, et comede omne quod appositum est tibi in Domino. Si vero appositus vobis fuerit cibus, quem tu edere non appetis, ne tamen illum averseris, cum plures velint comedere, et Domino gratias agere. Accumbis mensæ? ut homo, comede, et ne huc illucque circumspicias, immodestus et immorigeratus. Frater dixit : Non ex observantia superstitiosa repudio esum carnium : « Omnis enim creatura Dei bona est, » nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione perci- » pitur : sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem [3]. » Sed quia scriptum est : « Non conducunt imprudenti atque » insipienti deliciæ [4] : » Inscientia et immodestia est monacho vesci animalibus. Ubi apposita sunt fragmenta, ne fragmenta contempseris : jussit enim Dominus Discipulis

[1] Prov. XXIV, 1. — [2] Psal. XIII, 4. — [3] 1 Tim. IV, 4, 5. — [4] Prov. XIX, 10.

suis, ut colligerent, quæ superfuerant, fragmenta, ne quid ex illis periret [1].

XV. Charissime, si tentatione victus frater recedat e loco suo, et postea pœnitentia ductus cupiat post liminio reverti, tu vide ne impedias, sed potius ad id cohorteris : ignoras enim quid superventura pariat dies. Non oportet autem tales spernere, tanquam illusos; at potius convenit eos suscipere ab infirmitate jam liberatos. Si inter fratres habitaveris, cave ne occasionem alicui præbeas discedendi a fraternitate, ut non in mundo illo judiceris. Evita vehementer, ne cuiquam sis offendiculo ac scandalo, ut non cum scandala facientibus a regno cœlorum segregeris. Si debilitate aliqua frater tuus laboret, subleva et adjuva eum, ut merearis audire a Domino in die illa : « Quod uni » fecisti ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti [2]. » Qui negligit infirmum, exacerbat præceptorem, et qui gaudet in lapsu fratris sui, gravi casu corruet. Ne dixeris : « Hodie pecco et cras pœnitentiam agam : » quin potius hodie pœnitentiam agamus; nescimus enim an ad crastinum perventuri simus [3]. Peccavimus, dilectissimi? resipiscamus ac pœnitentiam agamus; suscipit enim Dominus eorum pœnitentiam, qui in veritate resipiscunt. Cave dixeris, monache : « Hic bellum est et angustia; ibi autem requies et securitas. » Quis enim est, qui oppugnat nos, si nosti? nonne inimicus noster diabolus? Audi igitur quid apud Job dicatur : « Et dixit Dominus diabolo : Unde tu advenis? Tunc » dixit diabolus in conspectu Domini : Postquam peragravi » eam, quæ sub cœlo est, et obambulavi universam, ad» sum [4]. » Cogita igitur cœlum supra te esse, quocumque abieris. Permane ergo in quo vocatus es loco, et resiste diabolo, et fugiet a te, et appropinquabit tibi [5]. Qui amat

[1] Joan. VI, 12. — [2] Matth. XXV, 40. — [3] Prov. XXVII. — [4] Job. II, 2. — [5] Jacob. IV, 8.

aurum, non justificabitur: at qui diligit Dominum, benedicetur [1]. Qui confidit in auro, cadet: at qui in Domino confidit, salvabitur. Væ ei, cujus animum subit perfidia, temeritas, ignorantia, insipientia, et imprudentia; quoniam pars vulpis erit. Beata autem illa anima, in qua timor Dei inhabitat. Cui non placet ministrare Domino uni, is serviet multis, et qui non vult subesse præfecto uni, subjicietur multis per diversa loca, et qui non insistit uni manuali operi, in promiscuis operibus conteretur. Qui nimio vestium cultu delectatur, nocet animæ suæ: nam sumptuosæ ac pretiosæ vestes animam monachi coarguunt atque vituperant; vilia autem vestimenta monacho conducunt. Dedecori monacho est superbia, audacia, stoliditas, indiscretio, iracundia, imprudentia. Turpis est monacho oculus vagus atque distractus; oculus enim vagus dolores multos conciliat sequenti ipsum. Nisi ab oculorum te distractione continueris, temperantiæ ac pudicitiæ sulcos non rectos ages. Vituperium homini est vino inebriari, et cum multos viderim, neminem similem ei reperio.

XVI. Monachus, qui in propriis gloriatur viribus, primus ipse imprudens est ac demens. Confusio est ac improperium monacho, in propria gloriari potentia. « Qui » gloriatur, in Domino glorietur [2]. » Insipiens in risu extollit vocem suam; insipientissimus vero, qui inambulans movet ac ventilat inordinate humeros suos, simul et brachia. Insolentiæ signum est in monacho, sinistram partem camisii sui indecenter assumere: at qui bene morigeratus est, in cunctis religiose verecundeque aget. Perniciosum homini vitium est, usitata sibi reddere juramenta in ore suo. Noli assuescere juramentis in ore tuo, ut non multiplicentur ignorantiæ tuæ, et pro justitia tibi peccata coacerves. Gloria monacho timere Dominum, et observare

[1] Eccli. XXXI. — [2] 1 Cor. I, 31, et 2 Cor. X, 17.

mandata ejus. Gloria monacho humiliare se ipsum, et submittere se parvis pariter ac magnis. Gloria monacho est discretio, et humilitas animi. Gloria monacho est injuriæ ac malorum oblivio, necnon patientia et sobrietas atque vigilantia ad omne opus bonum. Ne senem despexeris, si ad labores solitariæ vitæ venire voluerit; etenim Dominus eos, qui ad undecimam horam accesserant, non rejecit [1]. Ignoras enim an forte vas electionis sit iste.

XVII. Si superbiam amaveris, eris pars dæmonum; sin autem humilitatem dilexeris, eris pars Christi Domini. Si avaritiam amaveris, vacuus et inanis hinc abibis: at si voluntariam paupertatem dilexeris, divitiis cœlestibus non privaberis. Si passionem memoriæ injuriarum in corde tuo occultaveris, domicilium eris iracundiæ et ignorantiæ, tristitiæ pariter atque doloris, et aspectus faciei in te immutabitur. Viæ enim, inquit, eorum qui injurias memoria tenent, in mortem sunt [3]. Vir alte sapiens plurimum contristabitur, at qui humiliter sentit, in Domino semper lætabitur. Superbia honorem omni tempore requirit : at humilitas neque in gloria effertur, neque in ignominia angitur ; nam mercedem a Domino expectat. Qui memoriam injuriarum abscondit in corde suo, similis est ei, qui in sinu suo serpentem nutrit. Ne cor tuum dolori atque tristitiæ tradas; nam sæculi tristitia mortem operatur; quæ autem secundum Deum tristitia est, vitam tibi æternam conciliabit [3]. Quære Dominum, charissime, totis viribus tuis, ut salvetur anima tua, et malitia ne demoretur in corde tuo. Nam sicut cataracta impetum avertit aquarum, ita malitia cognitionem atque scientiam a corde removet. Si quod justum est, consectatus fueris, comprehendes et indues illud, tanquam vestem talarem gloriæ. Monachus sæcularibus rebus implicatus, multis damnis afficietur; qui

[1] Matth. xx. — [2] Prov. xii. — [3] 2 Cor. vii, 10.

vero labores asceticos sustinet, detrimentum nullum patietur. Qui mentem ac cogitationem suam, post vitæ renuntiationem atque secessum, ad sæcularia convertit, ab eo, qui se ipsum detondet, nihil differt. Qui putat se in utraque re ludere, se ipsum seducit ac decipit. Scriptum quippe est : « Deus non irridetur. Quod enim, quis semi» naverit, hoc et metet [1]. »

XVIII. Noli circumspicere, monache, per vicos civitatis ; neque oberraveris in plateis ejus, ne forte casu aliquid tibi occurrat, et labatur anima tua in perditionem. Elatio oculos mentis excæcat : at humilitas in charitate eos illuminat ; docebit enim mites vias suas. In volutabrum luti, frater, ne ingrediaris, et a viris timoris Dei expertibus longius recede. Malum et periculosum est viro confidere in se ipso ; qui autem sperat in Domino, salvabitur. Qui sua exornat vestimenta, superbiæ obnoxius erit, monachus vero superbus, velut aquila est absque pennis. Monachus modestus ac humilis, levis et celer est cursor, et tanquam sagittarius jaculandi peritus. Nam sicut omnia ferrum attenuat ac domat : ita et quæ secundum Deum est humilitas, conatus et machinas inimici reprimit. Quemadmodum enim venabulum venatori, et scutum militi : sic etiam monacho est humilitas. Stude, frater, sponte in angusta et arcta via ambulare, antequam invitus aliam ea angustiorem ingrediaris. Gloria viro sæculari est in prodeundo ; monacho autem, in non transgrediendo limen domus suæ mente ac cogitatione. Ausculta, charissime. Athleta decertans os suum obstruit ; et tu a superfluis os tuum occlude, et habebis requiem. Quam magnus, inquit, qui nactus est sapientiam : at non est major eo, qui timet Dominum. Quam magnus, qui incœpit : at non ut is, qui perseveravit [2]. Quam magnus, qui est primus ; sed non ut

[1] Galat. VI, 7, 8. — [2] Eccli. XXV.

is, qui perfecit. Noli carnalem amare requiem, ne in ipsa damnum spiritale invenias. Noli curiose sectari ea, quæ non sunt tua, ne quæ tua sunt, deperdas. Ad opus immoderatum atque immensum ne te ipsum impellas: nam cuncta debito modo atque mensura et ordine agere præclarum est et utile. Qui in corde suo timorem Dei non possidet, quamvis mel et lac quotidie comedat, quiescere non poterit ; vir autem fidelis generose ac strenue omnia suffert. Permane in suavi jugo Domini, ut molestum et grave mundi hujus jugum effugias. Cellam fratris tui cave frequentes. Si librum utilem habeas, et fratrem illo uti velle audias, sine invidia præbeto ei; tu autem, charissime, studiose re tibi commodata utere, eamque suo domino in pace redde. Quod si cœnobii librum in tua cella teneas, ne per contemptum projicias illum, sed studiose complicatum serva atque custodi eum, tanquam Dei esset.

XIX. Monachus temerarius præfectum et fratres confundit: at sapiens reverebitur eos. Temperantia carnem macerat; at voracitas mentem crassam reddit. Non præbet patientiam in cella monacho, quod non gravate constitutum opus suum efficiat; sed timor Dei, et mortis atque pœnarum recordatio. Satius est insistere operi, et orationi, divinarumque Scripturarum meditationi, quam tempus deperdere, et verbis otiosis vacare, unde detractio oritur. Noli fratrem tuum irrisionibus tentare, ne in necessitates atque angustias ipse conjiciaris; scriptum est enim : « Qui irritat aliquem verbis, non salvabitur. » Qui propria se ipsum temeritate odibilem reddit, a quo amabitur? et qui diligit eos, qui ipsum diligunt, quam mercedem habebit; cum dicat Dominus : « Nonne et peccatores hoc faciunt [1]. » Vir fervidus turbabit animas fratrum : at qui in charitate patiens est atque longanimis, timet Dominum. Juniorem

[1] Matth. v, 46.

laboriosum ne nimis oneres, et cum sene stulto ne incedas; sapientes vero senes post Deum sunt fratrum firmamentum. Magnum virtutis opus est continentia oculorum ventris, et linguæ : at si cumuletur benignitate et misericordia, ut lampas fulgebit. Quemadmodum qui bonum aliquod sibi ipsi in thesaurum recondit: ita vir qui celebrat ac laudat proximum in absentia sua. Dominum time, et bona hæreditabis; vias autem peccatorum ne ingrediaris, justorum vero semitis insiste. Si justitiæ vias amaveris, vitam æternam invenies. Si amaveris quietem, navigationem tuam in tranquillitate perfices. Si silentium amaveris, a pluribus diligeris. Si averteris oculos tuos, ne videant vanitatem [1], mundas cogitationes invenies. Si continentiam amaveris, fornicationis dæmonem refrenabis. Si amaveris paupertatem, avaritiæ dæmonem in fugam convertes. Qui aurum in cella sua recondit, thesaurizat sibi passiones superbiæ et inobedientiæ: at qui orationes et eleemosynas sibi thesaurizat, in Deo ditabitur. Alii possessiones et pecunias sibi thesaurizant: at tu monache, preces et eleemosynas tibi ipsi thesauriza. Alii in tibiis lætantur et musicis; at tu, monache, in Psalmorum decantatione, et Domini glorificatione lætare. Alii in deliciis lætantur et ebrietate : at tu, monache, in continentia et sanctitate lætare. Alii voluptatibus gaudent : at tu, monache, in Deo lætare, qui tibi et omnibus diligentibus ipsum, coronam gloriæ præparavit.

XX. Vir, qui Christum amat, turris est inexpugnabilis : perfectus autem in charitate, murus qui perrumpi non potest. Si deambulando meditari velis, tacendo meditare, et inanem gloriam vitabis. Bonum est corrigere errantem, et non ei irridere. Aquilo conturbat mare, et subita ira mentem commovet viri; at longanimitas expellit iracundiam : et si ira non adsit, cessat quoque iracundia. Si ædificare,

[1] Psal. cxviii, 37.

charissime, nolueris, ædificata ne destruas. Si plantare nolis, plantata ne evellas. Si, frater, quiescere non velis, alios quiescentes ne pervertas. Si hymnos, frater, Domino offerre atque concinere nolis, alios decantantes ne perturbes atque impedias. Loquitur dives, et cuncti silent, et verba ejus usque ad nubes extollunt : loquitur autem nobis Deus per sacras Scripturas, et tacere atque auscultare nolumus; sed alius garrit, alius dormitat, alius vero mente distractus evagatur. Sed quid dicit Scriptura ? « Qui avertit aures suas, » ne audiat leges Altissimi, etiam ipse precationem ejus » execratur [1]. » Monachus negligens ac piger in oratione audire cupit : « Amen : » at qui sedulo et vigilanter orationi intentus est, non conturbatur. Longe a nobis sit quod per Prophetam est dictum : « Propinquus es labiis eorum, et procul a renibus eorum [2]. » Ne scandalo et offendiculo sis fratri, neque concurras cum eo ad peccandum : ut non irascatur tibi Dominus, et in manus impiorum te tradat. Beatus vir, qui in nulla re proximum scandalizarit : quoniam merces ejus magna est in cœlis. Qui vero indiscrete ac temere offenditur, offendit multos. Nisi prius ob oculos sibi homo constituerit peccata sua, in quocumque loco quiescere non poterit. Beatus qui bonam auspicatus fuerit vitam, atque ita perfecerit, ut Domino placeat. Scriptum est : « Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et » in die orationis suæ exaudietur. Qui honorificat patrem, » vita vivet longiore, et in die obitus sui inveniet gratiam. » In verbis et factis honora patrem tuum, ut superveniat » tibi benedictio ab eo. Ne glorieris in contumelia patris » tui : non est enim tibi gloria in ejus dedecore. Gloria enim » hominis ex honore patris sui, et dedecus filiis mater sine » honore [3]. » Pro parentibus carnalibus, monache, eos habes qui secundum spiritum te genuerunt in Domino, dedu-

[1] Prov. XXVIII, 9. — [2] Isaï. XXIV. — [3] Eccli. III, 6-10.

cuntque te ad vitam æternam. Audi eum qui dicit : « Fili, » in mansuetudine opera tua perfice, et ad homine accep- » tabili diligeris. Quanto major es, tanto magis te humilia, » et coram Domino invenies gratiam. Quoniam magna est » potentia Domini, et ab humilibus glorificatur. Synagogæ » autem superborum non est sanitas : frutex enim malitiæ » radicavit in illo [1]. »

XXI. Tria sunt genera, quæ augent vanitatem, et quartum non bonum : Inobedientia juniorum, et senes invidia super juniorum profectum laborantes, et religiosus, si ad iniqua declinet, et præfectus, si imprudenter fratrum animas premat. Quatuor genera atque existimationem augent, et quartum coram Domino et hominibus bonum : Concordia fratrum in mansuetudine et justitia, et frater fratrem in timore Domini commonefaciens, et juniores morem senioribus, ut dominis propriis, gerentes, et præfectus suos fratres, ut se ipsum, diligens, salutemque animarum ipsorum in veritate curans. Res mala atque periculosa viro est superbia per omnem modum. Noli amare superbiam, carissime ; non enim in ea quid est conducibile. Omnis morbus recte curatus sanitatem consequitur; at superbiæ morbus malum est immedicabile : nam sanitatis remedium a se repellit, et mortiferum sibi ipsi pharmacum effingit. Absit igitur, ut in servis Christi reperiatur. Gloria monacho est sermo fidelis et compositus : qui vero scurrilibus delectatur, demens est ac stultus. Festivitas monacho est observatio mandatorum Christi ; consolatio vero ipsius non agere malum. Lætitia monacho est migrare ad Dominum ; gloriatio autem ejus, timor Domini. Mundanam participare philosophiam nequivi : gratiam vero cum remissione peccatorum a Domino deposco magis, quam smaragdum, et hyacinthum, et dolia auro plena, omnemque scientiam mundi

[1] Eccli. III, - 22.

hujus. Confiteor tibi, Domine Pater, quoniam postulatis meis non fraudasti me, et non despexisti deprecationem inutilis servi tui. Tu enim desperatorum spes es, et auxilio destitutorum adjutorium. Sit nomem majestatis tuæ benedictum in sæcula. Amen.

XXII. Postula a Domino, monache, quæ decent professionem tuam, et infinite multiplicata largietur tibi. Sine aqua non ædificatur turris, et absque cognitione non excolitur virtus. Vidi juvenem prudentem scientiaque præditum, consolantem atque hortantem senem : et in hoc demus gloriam Deo. « Post concupiscentias tuas, monache, ne » ambules, et a desideriis tuis cohibearis. Nam si animæ » tuæ, inquit, præbeas beneplacitum, risum concitabis ini» mico tuo [1]. » Qui corporis sui carnes delitate nutrit, concupiscentias malas pascit, et turpes ei cogitationes non deerunt. Castiga carnem tuam, monache, et in servitutem redige [2], ne reprobus efficiaris. Quod bonum est, in tua carne exerceas, et fructificabis Deo. In fratrum conversatione quietam agere vis vitam, monache? Communi fratrum contentus sis mensa, et erit sanitas carni tuæ, et cura ossibus tuis, et anima tua detrimentum non patietur. Si autem in phialas et pocula inflexeris oculos tuos, novissime dolore affligeris, velut a serpente ictus. Si pium ac religiosum virum manu cibaria tenentem conspexeris, ne ipsum mente tua damnes ac judices : non enim nosti, cui ista apponere velit. Cura, monache, internum opus, et ne inutiles muros exornes : siquidem venustas et elegantia cellæ monacho patientiam non præbet. Quæ necessitatis sunt, quæramus : nam superflua, et distractionem nobis præbentia, non prosunt.

XXIII. Piger et ignavus monachus excusat se, et dicit : « Hodie hic habito, et cras hinc discedo : cur ergo laboribus

[1] Eccli. XVIII, 30, 31. — [2] I Cor. IX, 27.

me fatigo atque conficio? « Componaris, monache, instar mallei et incudis in mente tua, et profer cogitationes cordis tui, et reprobas atque inutiles a te repelle. Qui de pii atque religiosi lapsu lætatur, hic dupliciter cadet. At qui convertit hominem ab errore viæ suæ, salvabitur [1]. Si peccaverit frater, libenter accusamus eum. At si nos peccaverimus, reprehensionem non libenter recipimus. Ne, frater, pro diabolo, at potius contra ipsum decerta. « A juventute tua, » frater, excipe doctrinam, et usque ad canos invenies » gratiam, et prudentiam [2]. » Monachus obvenientia mala prompte fortiterque sustinere valens, ex parte dolorem percipiet. Propria proditio est negligentia; negligentia autem gravis ac dira est captivitas : at vigilantia etiam eos, qui captivos ducunt, capit et apprehendit. In pigritia manuum stillabit domus : et quando voluerit, in ea manens, ab ipsa fugiet. Monachus piger ne januam quidem suæ cellæ occludet, donec a vento jactata, confracta fuerit : at sobrius ac vigilans, irreprehensibilis erit. Qui suos refrenat oculos, levior atque expeditior erit : at qui illos huc illucque retorquet, grave sibi ipsi onus imponet. Distractio enim concupiscentiæ, inquit, puram ac simplicem mentem immutat. Si abreptus oculos tuos in vanitatem conjeceris, celeriter reprime illos [3], ne forte in turpem commixtionem incidas. Dum tua uritur caro, cave contingas partes pudoris, ne vehementius inflammationem in te accendas. Beatus qui omnem carnalem concupiscentiam vicerit. Malum est in anima augeri cogitationem perversam, quemadmodum et gramen in olerum areola. Numquid insula in medio mari sita fluctus abscindere potest, quominus ipsi allidantur. Verumtamen insula fluctibus resistit. Ita etiam nos cogitationes amputare non possumus; attamen cogitationibus obsistere possumus. Cæterum dicat fortasse quispiam : « Et quo pacto

[1] Jacob. v, 19, 20. — [2] Eccli. vi, 18. — [3] Sap. iv.

interdum per cogitationes superatur anima? « Superatur, quia non se opponit cogitationibus, sed permittit eas introire, pabuloque deinde reperto, paulatim animam dissolvunt atque evertunt.

XXIV. Quatuor sunt mala, quæ difficulter curationem admittunt : videlicet, amor sui ipsius, avaritia, vana gloria, et ambitio seu cupiditas dominandi, quæ dicere non novit : « Sufficit : » sed nullum eorum curatu impossibile est Deo. Antequam malum radices in te agere incipiat, evelle illud : et prius quam surculos suos emittat, ex imis foveis radicem ipsius extrahe : nam si radices illud in te agere permiseris, dominium sibi in te usurpabit. Qui vigilanter attenteque orat, adurit dæmones : at qui mente vagatur, illudetur ab ipsis. Qui suis abducitur concupiscentiis et cogitationum oblectamentis, facile capietur : at qui temperans est, salvabitur. Incredulitas duplicitatem animi generat, duplicitas autem animi negligentiam, negligentia vero oblivionem, et oblivio desperationem ; at desperatio mortem. Undenam in nobis mala dominantur? nonne per nostram negligentiam? non subjiciaris membris tuis, ut non dominentur in te membra tua. Quod bonum est, in iis operare, et non quod malum sit : et eris possessio pretiosa Domino tuo. Signum animæ pigræ ac negligentis est, non libenter Scripturas audire : anima vero sobria et vigilans divinos lubens sermones suscipit, quemadmodum terra sitiens pluviam. Lectus bonus ac mollis nutrit somnum : et carentia timoris Dei augebit illum. Ovis tibi est? ne simul cum ea lupum recludas. Et si qua in re oppugnat te inimicus, ne intromittas eum in domum tuam. Quod si etiam introduxeris, ne mente ac cogitatione relaxeris ; sed timorem Dei ob oculos tibi constitue, ne forte inimici tui derideant te. Domus super arenam ædificata non erit stabilis : et exercitatio vitæ

[1] Matth. VII, 27.

monasticæ rebus aliis admixta non permanebit : at qui in timore Dei operatur, jacturam mercedis non patietur.

XXV. Tempore orationis a peregrina atque extranea confabulatione abstine : et a precatione mens tua non obscurabitur. Frater, ad psallendum Deo consistis? Aperi os tuum eloquio Dei, secundum eum qui ait : « Psallam Deo » meo quandiu ero [1] : » ne forte interea dum negligenter agis, alienæ cogitationes tuam mentem perturbent. Sed dum psallis spiritu, psalle etiam mente. Magnum in oratione donum est lacryma : abstrahi autem dæmoniacis cogitationibus, morti est simile. Cor a cœlestibus degenerans cogitationibus, dæmones rebus terrenis constringent atque implicabunt : quando autem corruptibilia contemnet, tunc ea, quæ corruptioni non sunt obnoxia, comprehendet. In morticinio adducentur ac cogentur vultures : et in anima se ipsam desperante congregabuntur dæmones : « Ubi enim » cadaver, ibi congregabuntur et vultures [2]. » Sursum habeamus mentem, charissime : adhuc enim modicum restat temporis, et hinc abibimus ; « Et quæ congregasti, cujus erunt [3]? » Sicut fumus expellit apes : ita malitia cognitionem atque scientiam repellit a corde. Nemo delectatur justitia, sed avaritia : nemo gaudet, quod injuria non effecerit proximum, sed si parvo magna emerit. Ante faciem tonitrui coruscat fulgur, et a facie nubis duræ ac densæ alas contrahit omnis avis. Comminatio apri in necem ipsum tradet : et iracundia viri ruinam ipsi præparabit. Leo capitur propter ventrem suum : et gulosus ob ventris voluptatem conteritur. Equus duri oris in malorum manus sessorem suum præcipitabit : et homo duræ cervicis in mala incidet. Tempore nivis pervestigatur fera : et tempore tentationis investigat Satanas monachum ; probatio autem monachi in tentationibus apparet.

[1] Psal. CII, 33.— [2] Matth. XXIV, 28, et Luc. XVII, 37.— [3] Luc. XII, 20.

XXVI. Contende, charissime, ut discretionem possideas, in qua thesauri virtutum solitariæ vitæ sunt repositi. Discretionis porro interpretatio quid aliud est quam absque scandalo et offendiculo custodire sodalem, et meliora magisque ad salutem pertinentia deligere? Cupis magnus esse? Sis omnium novissimus[1]. Cupis bonum possidere nomen? In lenitate ac mansuetudine opera tua tempera ac perage. Time autem Dominum in veritate, ut bene tibi sit in novissimis tuis; quia timentes ipsum glorificat. Noli, monache, obsequi invidiæ, neque insidieris fratri tuo, aut probrosum ei nomen imponas, volens cum ignominia eum suo loco expellere : ut non quæ in alterum moliebaris, ea ipse sustineas : « Qui enim foveam fodit proximo suo, incidet in illam[2] : audiasque quod scriptum habetur : « Cadent in retiaculo suo peccatores[3] : » impleaturque in illo quod dictum est : « Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur[4]. » Ne excusationem prætexas, frater, dicens a fratre sodales lædi, aliosque aliis mala facere, te vero cum male agentibus nequaquam communicare: « Scrutatur enim corda et renes Deus[5]. » Si frater tuus, charissime, e cœnobio egressus sit, ne mente adversus ipsum efferaris, neque sit infamia notatus in oculis tuis: ignoras enim, quid superventura pariet dies. Dicentem audi : « Qui se existimat stare, videat ne cadat[6]. » Et rursus : « Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est; sed quem Dominus commendat[7]. » Nam multi cum putarent se alios vicisse ac illis dominari, hi externis magis externi evaserunt : illi autem, quorum desperata salutis spes fuerat, gratiam acceperunt. « Nam Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam[8]. » Si virum conspexeris im-

[1] Matth. xx, 26, 27. — [2] Eccl. x, 8, et Eccli. xxvii, 29.— [3] Psal. cxl, 10 — [4] 2 Tim. iii, 12. — [5] Psal. vii, 10. et Rom. viii, 27. — [6] 1 Cor. x, 12. — [7] 2 Cor. x, 18. — [8] Jacob. iv, 6.

morigerum et intemperantem, superbum et sibi sapientem, hujus radix semimortua est, eo quod non suscipiat ipsa pinguedinem ortam a timore Dei. Sin autam quietum atque tranquillum et humilem virum videris, hujus radicem permanere noveris, quia a pinguedine timoris Dei irrigatur. Tametsi, fratres, accidat præfectos nostros nobis præsentes non assidue adesse; magnus tamen inter nos præfectus præsens est; verax quippe est qui dixit : « Ubi » sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego » in medio ipsorum [1]. » Attendamus ergo nobis, charissimi. Monachus indecenter se gerens, manus suas in hominem injicit : qui autem aliorum miseretur, misericordiam consequetur. Opere aliquo fratrem oneras? bonum opus præstas, si tamen laboris ei mercedem in charitate Dei reddideris. Vetat enim pietas atque religio, damnum inferre alteri. Qui patientiæ et longanimitatis atque clementiæ viam invenit, is vitæ viam invenit. Homo distractus insigni die operibus se exercet, et in die, qua operari licet, ministrat. Passer passerem in rete ac laqueum allicit : et peccator sui similem in profunda malorum adducit.

XXVII. Devita eos, monache, qui otium amant, et quiescere nolunt. Fuge, monache, eos qui conviviis gaudent, et dicunt : « Hodie ego faciam, at tu crastino die ages. » Si enim ejusmodi sermonibus consenseris, vitam religiosam non perages. Cæterum imitare eos, qui fervent spiritu, quique per angustam et arctam viam ambulant, ut vitam æternam assequaris : nam lata et spatiosa via ad perditionem adducit ambulantes in ea. Monachus piger ac negligens, ingruente cogitatione aliqua, reclusus in cella sua, huc illucque circumfertur, instar navis gubernatore destitutæ : qui vero cum patientia vitam quietam degit, inanibus cogitationibus non abstrahitur. Qui fratris sui

[1] Matth. XVIII, 20.

profectui invidet, se ipsum a vita æterna segregat : at qui ei auxilio est, particeps ejus erit. Si enim qui mala agentibus consentiunt, utrosque justitia punit; nonne multo magis Dominus mercedem cooperanti cum voluntate sua præbebit? Scriptum reperitur : « Multæ tribulationes justorum, et ex omnibus illis liberabit eos Dominus. Multa autem flagella peccatoris : et mors peccatoris pessima[1]. » Non est virtus, acceptis injuriis stupere et insensatum esse; sed potius advertere, et aspernari eas propter pietatem. Ignavus enim, inquit, etiam conviciis exceptus, non confunditur[2]. Satius est subridendo iracundiam atque furorem præcidere, quam aspere et crudeliter efferari : viro autem prudenti planctus risu suavior est. Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum firmum, ut non cadam per ipsa, et lingua mea perdat me? Domine vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum, et ne permittas me cadere in illa. Dixisti enim, Domine : « Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis[3]. » Nam si Propheta dixit : « Velut pannus menstruatæ omnis justitia nostra[4] : » quid dicam ego, qui in peccatis natus sum? Et nunc, Domine, ex tuis miserationibus tota spes mea dependet. Propitius esto mihi peccatori. « Domine, elationem oculorum ne dederis mihi, et concupiscentiam malam averte a me[5]. » Charissime, ne fidem fallacibus adhibeas somniis : nam multos seduxerunt somnia, in iisque spem ponentes exciderunt. Ad quas enim nos devenimus mensuras, ut visiones Angelorum aspiciamus? Magna felicitas et gloria est humilitas : et non est in ea lapsus atque ruina. Signum porro humilitatis est, ambabus manibus omni loco ac tempore subvenire fratri necessitatem patienti, non secus ac opem ab aliis recipere.

[1] Psal. XXXI, 10, et XXXIII, 20. — [2] Eccli. XXI, 25. — [3] Matth. XII, 37. — [4] Isaï. LXIV, 6. — [5] Eccli. XXIII, 6.

XXXVIII. Monachus hæreditatem parentum carnalium requirens, in tentationes incidet : qui autem Dominum exquirit, salvabitur. Calve dixeris : « Si consenuero, unde sustentabor? » De crastino non est permissum nobis sollicitos esse [1]. Et de senectute tua nunc anxie atque sollicite cogitas? Regnum Dei et justitiam ejus quæramus, et omnia hæc adjicientur nobis. Ipse enim dixit : « Novit Pater » vester cœlestis, quid opus sit vobis, antequam rogetis » eum [2]. » Si vero ista primum non quæsierimus, jam perspicuum est nos de his minime laborare. « Jacta igitur in » Dominum curam tuam, et ipse te enutriet [3]. » Si Dominus aliquid in manibus tuis prosperaverit, quasi ipse rationes tecum subducturus sit, satage. Qui pauperum miseretur, bonis replebitur : at qui misericordiæ viscera claudit, a cœlesti quoque Sponsi thalamo excludetur. Qui confidit in homine, non accipiet bona : at qui in Domino sperat, salvabitur. Ne sis asper in lingua tua, quoniam os justi distillat gratias. Cibi multi crassam ac stupidam reddunt mentem : bona autem temperantia purgat eam. Attende, monache, attende tibi a conversatione mulierum. Vide, charissime, ne forte prætextu atque occasione cuculli, aut analabi, vel alterius amictus, tua capiatur anima : multæ enim sunt insidiæ fraudulenti inimici. Satius est veteres ferre vestes, et curam habere animæ in timore Domini, quam splendide vestiri, et turpiter atque inhoneste incedere. Qui mandata custodit, se ipsum diligit : at qui ea contemnit, animæ suæ detrimentum affert. Vir ebriosus et iracundus conturbat animas fratrum : et dedecus ejus semper cum ipso est. Impone ulceri malagma, et juniori monacho pietatem non fictam. Desolatus constituitur monachus novitius, propriam sequens cogitationem, et expertorum admonitionem non recipiens. Error pravus novitio monacho

[1] Matth. VI, 34. — [2] Ibid. 8. — [3] Psal. LIV, 23.

est inobedientia : submissio autem atque obedientia in Domino, est fortis ac valida protectio. Vir superbus et immorigerus dies aspiciet amaros : at humilis et patiens omni tempore lætabitur in Domino. Magna res est virum invenire patientem et humilem, et pulchritudinis ejus non est mensura. Non contradicas veritati, ac te tuæ inurbanitatis atque immodestiæ pudeat. « Non confundaris confiteri » peccata tua : et ne dixeris : Peccavi, et quid mihi accidit ? » Dominus enim patiens est et longanimis. Ne tardes con- » verti ad Dominum, et ne differas de die in diem [1]. » Memineris non tardare iram. Non sit exporrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta. Monachus prudens in charitate se ipsum circummuniet : at insipiens sibi odium accumulabit. Qui extollitur adversus fratrem suum, a dæmonibus illudetur. Noli perpetuo contemnere fratrem tuum ; quoniam scriptum est : « Multi tyranni sederunt in » pavimento, et insuspicabilis portavit diadema [2]. » Sis hilaris in justitia ; ad peccatum vero potius tristis. Ægritudo animæ est ambitio, eademque morbus malus.

XXIX. Egressus es cella tua, monache, ad ministerium ? Custodi sensus tuos, ut non concilies tibi ipsi bella, et perturbationes cogitationum. Ubi non est sepes, diripietur possessio : et ubi non est patientia, ingemiscet errans. Multas excusationes sibi piger coacervabit monachus, et somnolentus in mala decidet. Monachus avarus instar palmæ est infructuosæ : at inops ac pauper, velut palma detonsa in altum ascendens. Monachus, qui rerum terrenarum amore capitur, similis est accipitri extenso, qui loris pedes implicat, et ubicumque consederit, implicabitur. At qui a rebus materialibus est alienus, viatori accincto et expedito est similis. Multi apud se videntur esse prudentes, sed intelligere nequeunt eam quam putant prudentiam,

[1] Eccli. IV, 31, et V, 8. — [2] Id. XI, 5.

detrimento animæ sibi futuram. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium bonum in anima timorem Dei respuente. Sapientia autem vera est, cuncta secundum Deum agere. Guttur dulce multiplicabit amicos : et qui diligit Dominum, custodiet vias ejus. Honora fratrem coram notis ejus : et coram Domino in honore eris. Œconomus fidelis lucrabitur animas fratrum suorum : mens autem atque animus ejus, qui memoria conservat injurias, disperget illos. Prudens œconomus juste patietur : imprudens autem atque insipiens pugnas præparabit. Monacho insatiabili non sufficit quod æquum ac justum est; et loquax turbas concitabit : qui vero timet Dominum, quietam vitam conciliat. Œconomus ebrietati deditus dejicietur a gloria : at temperans, et mansuetus ac humilis proficiet in gloria. Ne tibi ægritudinem prætexas, monache, cum sanus sis : quoniam Scriptum est : « Et desiderium eorum dedit » eis[1]. » Ne aspernemur, fratres, gratiam Domini præbentis nobis fortitudinem ad operandum bonum : sed hoc in ea operantes, gratias semper agamus Domino. Qui proximum deridet, velut detractor habetur : detractio autem apud Deum et homines est odiosa. Qui exacerbat proximum, suscitat iracundiam : at qui pacificat, beatissimus est, quoniam filius Dei vocabitur[2]. Senes honora propter Dominum, et juveni egenti compatere : et mercedem a Domino accipies. Scriptum reperitur : « Nolite operari cibum, qui perit, » sed qui permanet in vitam æternam[3]. » Manus tuæ quod bonum sit, operentur, ut et necessitatem patienti distribuas[4] : et cor tuum semper directum sit ad Dominum, et cibum permanentem operaberis, et non pereuntem. Operare, frater, et ne obambules : magnam enim improbitatem docet otium.

[1] Psal. LXXVII, 29. — [2] Matth. V, 9. — [3] Joan. VI, 27. — [4] Ephes. IV, 28.

XXX. Monachus murmurator multa patietur damna: at qui strenue tolerat, in novissimis divitias suas reperiet. Minister prudens non negliget opus suum : et qui timet Dominum, non erit scandalo fratribus suis. Fugis, charissime, eos, qui jaculis petunt corpus? At fuge potius illos, qui in animam sagittas jaculantur. Fugis serpentem mordentem corpus? At fuge magis mulierem, quæ animam mordet. Qui pulchritudinem explorat mulieris, concupiscentiam venustatis ipsius, suæ inserit animæ : et qui assidue præ foribus domus ejus versatur, similis est ei, qui in glacie deambulat : quia non longe ab eo abest lapsus atque ruina. Ignem fugis, charissime, ut non comburat corpus tuum? Fuge quoque peccatum, ne corpus tuum simul cum anima comburat in igne inextinguibili. Sicut duo pugiles, ita monachus, qui cum muliere versatur. At qui sobrius est ac vigilans, spoliabit, et non despoliabitur. Janitor fidelis post Deum est custos animarum : at infidelis etiam suam ipsius animam abjiciet. Tempus, quod in solitaria transegimus vita, computamus : ob negligentiam vero in ipsa a nobis admissam, ignorantes extollimur. Laus et viro non tempus duntaxat, sed in bono profectus : profectus autem non canities, sed vitam recte et cum virtute traducere. Magistratus et honorem militi scutum, framea, et galea pariunt : et monacho novitio fides, pœnitentia, et charitas. Fides generat castitatem, et humilitatem, et obedientiam, et longanimitatem, atque temperantiam : pœnitentia autem lacrymas; at charitas patientiam et spem. Qui assidue ex una in aliam cellam transit aque digreditur, inanes sibi cogitationes acquirit : at qui uno in loco sustinet, magis quiete vivit. « A juventute tua, charissime, disciplinam tibi elige : et usque ad canos prudentiam invenies[1]. » Ab initio juventutis tuæ semina agrum tuum, et

[1] Eccli. vi, 18.

cura eum, ne forte spinæ in ipso, tanquam in terra inculta, succrescant. Fructum in eo bonum facito : et ei, qui tibi vires suppeditat, da gloriam. Aquæ augent fœnum : et conversatio sæcularium, passionem superbiæ : qui autem timet Dominum, non effertur. Si gratiarum dono effectus sis dignus, ne propterea superbias : nihil enim habes boni, quod a Deo non acceperis[1] : et si secundum ejus voluntatem non ambulaveris, proprium a te auferet, et meliori atque utiliori illud donabit : et tunc similis efficieris ei, qui propulsat et abjicit calamum, qui lituræ cujuspiam causa fuerit. Quemadmodum duo in eodem loco galli : ita duæ simul cogitationes in corde monachi.

XXXI. Recede ab alienis, et quiescet anima tua. Vir sapiens custodiet mandata : et qui observat ea, paradisum æternarum deliciarum possidebit. « Melius est nomen bo- » num, quam divitiæ multæ[2]. Super aurum vero et argen- » tum gratia bona[3]. » Animam torpentem consolare ac cohortare, et Dominus cor tuum confirmabit. Si poculum vini post orationem opportune acceperis, studiose ad cellam tuam vade, et clauso ostio, gratias age Domino, qui tibi dispensavit et dispensat. Nam sermones a prandio multiplicare, spectra et peccata generat. Vir ebrius agit et loquitur vespere quæ non oportet, et quorum diluculo illum pœnitet : qui si rursus vinum invenerit, ad eadem relabitur. Si semel malum expertus sis, observa te in posterum. Scriptum quippe est : « Omnis qui natus est ex Deo, » custodit se ipsum, et malus non tangit ipsum[4]. » Noli vinum bibere ad ebrietatem, charissime, etiamsi vehementer te orent qui adsunt amici : nam si te vinum superaverit, præ cunctis ii, qui hortatores tibi fuerant, in te scandalizabuntur. Attende porro ne ab oblivione vincaris. Laborat

[1] 1 Cor. IV, 7. — [2] Prov. XXII, 1. — [3] Eccl. VII, 2. — [4] 1 Joan. V, 18.

et angitur ventri deditus, conteriturque, dum ventrem suum cibis replere studet : et ubi comedit, circa digestionem torquetur : temperantiam vero sequitur et sobrietas, et vigilantia. Monachus vagus non erit invulneratus, nisi animo excubaverit : qui autem patienter in quo vocatus est loco, permanet, majorem requiem inveniet. Qui parvipendit exigua, paulatim cadet : et pigritia sensim invitam atque odiosam paupertatem generat. Noli despicere sanctorum virorum admonitiones, quantumvis intelligens sis ac prudens : in hoc enim cognitionis atque scientiæ fructus cernitur. Indignum est monacho in conventiculis versari, et merces ejus, dolor et pœnitentia. Scriptum est : « Dum » laudantur justi, lætantur populi : nomen autem impio- » rum extinguitur [1]. » Et rursus : « Laudet te vicinus, et non » os tuum : alienus, et non labia tua [2]. » Et iterum : « Pro- » batio argenti et auri, ignitio : homo autem probatur per » os laudantium ipsum. » Filius intelligens custodit legem : qui autem pascitur luxu, dedecorat patrem.

XXXII. Honora cunctos propter Dominum, honorem tibi non repetens, et gratiam a Domino invenies. Scriptum habetur : « Qui non reveretur faciem justorum, non bonus, et qui talis est, buccella panis vendet virum. » Et rursus ; « Beatus vir, qui veretur omnia ob religionem : durus au- » tem corde, incidet in mala [3]. Viri sapientiam amantis, » lætatur pater ejus : qui autem pascit meretrices, disper- » det divitias [4]. » Satius est pasci diligenter, quam pascere negligenter. Melius est studiose addiscere, quam docere, et agere quæ non oportet. Qui se ipsum instituit, etiam alios instituit, et qui se ipsum docet, etiam proximum docet. Noli nimium onerare fratrem tuum ; nam si onus jumento tuo imposueris, quod vires superet, in medio viæ

[1] Prov. XXIX, 6. — [2] Id. XXVII, 2. — [3] Id. XXVIII, 14. — [4] Id. XXIX, 3.

deficiet atque succumbet. In omnibus, quæ acciderint tibi, prudenter te gere, et auxilii memineris tibi allati a Domino. Ne turpibus locutionibus aures tuas præbeas, ut mens tua non inquinetur. Sicut enim oculis obest fumus, ita turpis sermo nocet animæ. Si fornicationis te spiritus turbet, increpa eum, dicens : « Dominus te perdat, qui pessimo fœtore plenus es, dæmon immunditiæ. » Novimus quippe eum, qui ait : « Sapientia carnis, inimicitia est in Deum [1]. » Non est sapientia, non est prudentia, ubi Dei timor non est : nam satietas sapientiæ est timere Dominum. Scriptum est : « Lux justis assidue; lux vero impiorum extinguitur. Arbor vitæ desiderium justi : qui autem reprehensiones odit, demens est. A multiloquio non effugiet peccatum; parcens autem labiis, sensatus erit. Cogitationes justorum, judicia; gubernant autem impii dolos. Qui honore prævenit proximum suum, honorem inveniet; at qui non reveretur faciem fratris sui, cum labore atque molestia corripietur [2]. » Si cum fratribus comedis, secundum canonem ac regulam demitte te in patinam. Nam et turtur, et hirundo, et agri passeres custodierunt tempora ingressus sui. Demitte te, neque juveniliter agas propter minores et juniores te. At tu, charissime, cum totum diem jejunus transigas, etiam in momento temporis commoveris? Suave tibi est otium : sed ultima ejus amara. Cum labore opus tuum exerces : sed postremo lætaberis. Scriptum est : « Abominatio Do-» mino, labia mendacia; qui autem facit fidem, acceptus ei » est [3]. » Qui multiplicat verba sua, abominabilis erit; qui vero os suum continet, diligetur. Si virum aliquem negligentem conspexeris ad virtutem resipiscentem; tu cave, cogitatione relaxeris; imo magis viriliter agas, et tentationis tempore amplius decertes.

XXXIII. Monachi, caveamus excedere humilitatis men-

[1] Rom. VIII, 7. — [2] Prov. X, XI, XII et XIII. — [3] Id. XII, 22.

suras, ne forte dum videmur consentanea facere, nostram ipsi religionem observantiamque corrumpamus. Quapropter etiam damna pro nihilo ducamus propter eum, qui dicit : « Servum Domini non oportet contendere ac litigare [1]. » Et iterum : « Beatus qui in omnibus semper est pavidus [2]. » Et, « Ne festines in spiritu tuo irasci : quia furor in sinu » impiorum requiescit [3]. » Scriptum est : « Filius astutus, » obediens patri : filius autem inobediens, in ignominia [4]. » Qui custodit os suum, servat animam suam ; at qui immodestus ac petulans est labiis, perterrefaciet se ipsum. Filio doloso nullum erit bonum ; qui autem conservat mandata, perbeatus. Lex sapientis, fons vitæ : qui vero demens est, laqueo morietur. Qui incedit recte, timet Dominum : at qui pervertit vias suas, ignominia afficietur. Quæres sapientiam apud males, et non invenies : gratus autem sensus apud prudentes. Paradisus sepimento carens, dum calcatur, desolatur : et qui non custodit os suum, deperdit fructus suos. Qui confidit in divitiis, corruet : at qui succurrit justis, hic exorietur [5]. Qui dispergit substantiam suam insipienter, egenus efficietur : qui vero in fide Domini eam dispergit, non deseretur in æternum. Scriptum quippe est : « Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in » sæculum sæculi : cornu ejus manet in gloria [6]. » Qui multiplicat divitias suas cum usuris et excrescentiis [7], ei qui inopum miseretur, congregat eas. Quantum elatus est homo in superbia cordis sui, tantum calcat terram, ex qua sumptus est, et in terram revertetur : exaltat autem Dominus humiles. Fumus fugat apes, et memoria injuriarum a corde cognitionem depellit. Roga Dominum, et lacrymas coram bonitate ejus effunde : et recordatio injuriæ non demoretur in anima tua : « Eritque oratio tua sicut incensum in

[1] 2 Tim. II, 21. — [2] Prov. XXVIII, 11.— [3] Eccl. VII, 10.— [4] Prov. XIII, 1. — [5] Id. XI. — [6] Psal. CXI, 3. — [7] Prov. XXVIII.

» conspectu ejus [1]. » Scriptum est : « Immundus apud Do- » minum est omnis elato corde, humiles autem excipiet » gloria [2]. » Et rursum : « Occasionem quærit vir, qui vult » recedere ab amicis, in omni autem tempore erit ignomi- » niosus [3]. » Sic quoque monachus volens a mansione sua segregari, præfectum et fratres accusat ac culpat. Scriptum legitur : « Est via quæ videtur apud homines recta esse; » novissima autem ejus vadunt in fundum inferni [4]. » Et rursum : « Suis itineribus saturabitur temerarius, et de co- » gitationibus suis vir bonus [5]. »

XXXIV. Nos invicem consolemur, charissimi, invicem serviamus, invicem nos admoneamus et reprehendamus in timore Domini, donec in portu vitæ nobis mutuo occurramus. Monachus ventri deditus, in multis erit sollicitus; at qui temperans est, capreæ in agro similis redditur. Sicut piscibus aqua, ita monacho vita quieta in humilitate et charitate. Commeatus monacho in via, pietas et religio in timore Dei. Timor autem Domini aurum probatum cujus possessor nunquam deseretur. Conantur inimici detinere cogitationem tuam, monache, dum te de parentibus tuis carnalibus quid audire contingit; superabundabit autem tibi gaudium et consolatio in regno cœlorum, si ad finem usque perseveraveris in ministerio Domini. Qui pacifice vivere cupit in omni loco, non propriam quietem requirat, sed eam quæ alterius est in Domino, et requiem inveniet, at qui irritator est et malignus, nunquam quiescet. Non ante peccabit quispiam, quam Dei timorem contempserit. Cupis non peccare? Timorem Dei serva. Puta autem peccatum esse instar montium sublimium, aut pelagi maris fluctibus ac tempestatibus pleni, aut tanquam flammam ignis, quæ incidentes in ipsam comburit atque absumit.

[1] Psal. CXL, 2. — [2] Luc. XVI, 15. — [3] Prov. XVIII, 1. — [4] Id. XIV, 17. — [5] Id. XXI, 5.

Solertia quippe inimici imminuit peccatum in oculis tuis, donec in illud incideris. Noli peccare, et patrem tuum ne causeris atque prætexas; nam Samuël apud Heli permansit [1], et Giezi apud Elisæum [2].

XXXV. Pastorem te constituerunt? cave, in ovile tuum lupos introduxeris corrumpentes ac discerpentes, ne desolatum tuum ovile reddant; cumque princeps pastorum venerit, non placebit ei. Repelle ab ovibus tuis quamcumque rem ipsis contrariam ac noxiam, et nequaquam voceris operarius fraudulentus. In medio fratrum, præfectus honorabilis : et qui timent Dominum, in oculis ejus. Priusquam rem aliquam aggrediaris, exitum ejus cognoscas, et ante pugnam, prætexe Satanam. Scriptum est enim : « Quia » omnis qui natus est ex Deo, servat se ipsum, et malignus » non tangit eum [3]. » Non quidem grave ac difficile est incidere, sed grave et periculosum est in eodem peccato perseverare. Si contentio ac pugna inter duos fratres acciderit, qui prior eorum resipuerit, coronam victoriæ accipiet; coronabitur autem et secundus, si pœnitentiam non respuerit, sed prompte quæ pacis sunt, curaverit. Signum immodestiæ in monacho considente in medio fratrum est, nudare suas tibias ; at qui verecundus est, honeste decenterque sedebit. De multiloquio id noveris, monache, quod infinitorum sermonum tandem finis sit taciturnitas. Occupato igitur lucro fuge damna. Contemne, monache, quæ ventris sunt, et invenies requiem. Dejicit ac deturbat superbia; at humilitas assequitur bravium. Si quempiam, charissime, in tuam introduxeris cellam, contende absque scandalo eumdem emittere, hoc est, quod nihil præter timorem Dei agatur, ut non sis ipsi forma et exemplum nefarii alicujus operis. Ait enim Apostolus : « Sine offensione » estote Judæis et Græcis, et Ecclesiæ Dei [4]. »

[1] 1 Reg. II. — [2] 4 Reg. V. — [3] 1 Joan. V, 18. — [4] 1 Cor. X, 32.

XXXVI. Honora omnes, monache, non propter remunerationem, sed propter Dominum. Sine putrefactione non reviviscit vermis, et sine diligentia non contabescit. Sine negligentia non renascitur contemptio, et sine diligentia non evelletur. Time igitur Dominum, et invenies gratiam. Non te comperiat inimicus, monache, aliquid agentem, quod professioni tuæ repugnet, neque unquam deterreat te vir studio placendi hominibus deditus, qui multis placere atque gratificari conatur, sed non propter Dominum. At qui Dominum timet, non offendet, quoniam in lumine mandatorum ipsius ambulat. Ira viri fovea est ipsi, et qui vincit iram, etiam foveam transgreditur [1]. Qui in officio continet populum suum, pacem cum externis habet; at qui sibi ipsi nimium fidit, inimicitias sibi multiplicat. Beatus vir, qui in mansuetudine jugum Christi traxerit usque ad finem; gravis quippe et periculosa est superbia. In pace et concordia fratrum Dominus inhabitat; fraudulentum vero oblectat inimicitia eorum. Quousque terra sparsum in ea semen abscondet? donec odorem aquæ perceperit. Mandata Domini, charissime, occulte exerceas, et palam atque manifeste reddet tibi. Monachus piger et sui amans, viso opere, abscondit se ipsum, et in cœna sese inter primos refert. Non se ipsum humilibus anteponit fratribus prudens monachus, sed typus ac forma fit fidelium. Crudelis et absque misericordia est, qui infirmo non compatitur. « Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam » consequentur [2]. »

XXXVII. Œconomus fidelis non locupletabit fratres suos; et qui vitam virtutibus ornatam ducit, cuncta secundum Deum agit. Ne vexes locantem operam suam, et mercedem operarii cave retardaveris. Memineris quod servierint tibi; quare redde eis mercedem in tempore, et

[1] Eccli. XXVII. — [2] Matth. V, 7.

mercedem in tempore recipies. Qui reprehenditur, et tacet in nequitia sua, injuriarum memoriam abscondit in corde suo; at qui cum mansuetudine et pace respondet, immemor erit injuriæ. Immorigeratus subsannat senes; at morigerus diligetur; et qui amat disciplinam, diligit vitam. Quemadmodum pruinæ et nives tabefaciunt herbas ac gramina : ita peccata cor ejus corrumpit, qui operatur illud. Et sicut virescit ac germinat semen superveniente pluvia : ita reflorescit cor hominis in operibus bonis. Vir iracundus et vociferabundus ad juramenta proclivis est; qui vero quietem sectatur, intelligens est ac prudens. Quid porro est iracundia? Iracundia est perturbatio imprudens et inverecunda, cui dolor succedit et pœnitentia. Tristitia cor devorat incidentis in eam. Non afficias mœrore cor tuum, sed consolare te ipsum in Domino. Incredulitas duplicitatem animi generat; duplicitas autem animi hæresim introducit, hæresim vero error sequitur. Qui igitur in errorem impegit, magna proclamet voce ad Principem pastorum, et Salvatorem animarum nostrarum, ut convertens congreget ipsum in caulam ovium suarum.

XXXVIII. Ne sis curiosus, charissime, dicens : « Quomodo istud, vel illud ? » Sed crede Domino, et ipse mentem tuam illuminabit. Secundum analogiam ac proportionem fidei, etiam gratia habitat in anima. « Nam fidelis Dominus » in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus » suis [1]. » Tubæ ductiles sonuerunt in castris filiorum Israël in deserto [2] : at prædicatio Apostolorum apud omnes gentes audita est. Sicut tuba sanctificationis, ita vir fidelis. Palmes Christi, vir qui agit. Quemadmodum racemus in terram detractus, inutilis redditur : sic etiam cogitatio hominis rebus distracta terrenis, ad virtutem inepta efficitur. Qui turbas sectatur atque tumultus, subito adveniet

[1] Psal. CXLIV, 13. — [2] Jos. VI, et Judic. VII.

ejus perditio, scissura, et contritio incurabilis, quoniam in omnibus iis lætatur, quæ odit Dominus. At qui amat pacem, possidebit pacem; viri autem mansuetudo avertit iram. Si calumniam in te torqueri contigerit, et postea puritas conscientiæ tuæ apparuerit, ne ideo alte sapias atque superbias, sed Domino in humilitate servias, qui te ab hominum liberavit calumnia, ut non ingenti ruina corruas. Sicut glandes nutriunt porcos : ita malæ cogitationes nutriunt pravas concupiscentias. Sicut venenum aspidum, ita se habet iracundia, et injuriarum recordatio; quoniam et formam atque aspectum immutat, et mentem conturbat, et nervos dissolvit, et ad operandum imbecillitatem affert; at mansuetudo animi, et charitas hæc cuncta a se projicit. Quanam re injuriarum memoria delebitur? Commemoratione timoris Domini, ac diei mortis. Memorare, charissime, novissima tua, et irasci desine. Mortem dum tecum cogitas atque expendis, ne elato sis animo, adhuc enim modicum, et ad sepulturam defereris, et hæc improba actio quid tibi proderit? Infirmum, charissime, sustine; non enim, qui valet, tua opera indiget; nam scriptum est : « Non egent qui sani sunt medico, sed qui male » habent[1]. » Et, «Vos, qui firmiores estis, imbecillitates infir» morum sustinete[2]. » Si virum magna potitum dignitate super terram conspexeris, de hoc ne admireris; at magis suspicias illum, qui terrenam gloriam odit ac detestatur. Si in oculis tuorum fratrum, instar auri, purus apparueris, tu te ipsum ut vas inutile existima, et superbiam Deo et hominibus detestabilem vitabis.

XXXIX. Monachus junior per cellas monachorum oberrans, non solum otium addiscit; sed etiam ut nugator et curiosus, multa loquitur, quæ non oportet : at qui vitam quietam in humilitate sectatur, diligetur. Cum fratre malam famam habente noli vinum solus bibere, neque immo-

[1] Matth. IX, 12, et Luc. V, 31. — [2] Rom. XV, 1.

rigero homini applaudas, neque cum quoquam improperiis agas. Te ipsum castum servo, fuge autem convivia, ne dolore affligaris in novissimis tuis. Si infirmus sis moribus, ne te ipsum alteri conjungas, cogitationis infirmitate detento. Hoc autem dico, non ut quempiam tanquam peccatorem abomineris, sed ne forte, utrisque laborantibus ac male habentibus, accipias tu detrimentum propter illum, ille propter te. Si autem vales exhortari ac consolari alterum in Domino, accede, et mercedem invenies. Si fratrem peccantem aspexeris, et postero die eumdem videris, ne ipsum ut peccatorem tecum reputes; ignoras enim an, te absente, post lapsum bene operatus sit, et cum suspiriis amarisque lacrymis Dominum placaverit. Quare oportet ab aliis judicandis nos abstinere; decet autem unumquemque nostrum humiliare se ipsum secundum eum, qui dicit: « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, » et sicut onus grave gravatæ sunt super me [1]. » Omnia ligna sylvæ condensæ non sufficient igni, et caro non saturatur requie. Timor Domini, paradisus deliciarum; ubi vero non est timor Domini, ibi vulpes habitabunt. Monache, si frater tuus oppugnatus profugerit ex monasterio, exierisque ad requirendum ipsum, illo reperto, pacifice responde ei, ut non dolorem addas super dolorem animæ ipsius, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.

XL. Si, charissime, artis medendi peritus sis, et morbis remedia adhibeas, prudentem ac vigilantem te præbe, ne forte dum alios curas, te ipsum male affectum demonstres. Audi Apostolum dicentem : « Ne blasphemetur bonum » nostrum [2]. » Bona jecisti principia? bene perficere contende, ut mercedem plenam recipias. Domine universorum, cor a subjectione et disciplina patris alienum ne dederis mihi, et cogitationes superbiæ repelle a me. « Tu

[1] Psal. XXXVII, 5. — [2] Rom. XIV, 16.

»enim, Domine, increpasti superbos [1]. » Scriptum est : « Congregationi amabilem te facito, et magnati humilia » caput tuum : et de anima tua ne confundaris [2] : » est enim confusio adducens peccatum, et est confusio gloria et gratia. Ne commoveas fratrem adversus fratrem ejus per calumniam ; non enim charitatis est concitare proximum ad perditionem animæ. Pacificus esto, ut filius Dei vocari promerearis. Cupis diligi, charissime, dilectione Salvatoris nostri Jesu Christi? Carnalem amicitiam detestare, quæ hæc in se continet : gulam, vinolentiam, luxuriam, invidiam, nequitiam, petulantiam atque lasciviam, passionem ac perturbationem, oppressionem, tristitiam, et his similia. Horum autem omnium finis mors est. At quæ in Christo est dilectio, ista complectitur, benignitatem, doctrinam ac disciplinam, scientiam atque cognitionem : finis vero istorum est vita æterna.

XLI. Adhæreas, charissime, viro timenti Dominum, cum contemptoribus autem conversari non ames. Sustine, dilecte, Dominum, ut ipse te exaltet ; nam gloria hujus mundi non perseverat. Semper Dominum præ oculis habe ; quoniam salvat sperantes in ipsum. Vir armatus formidabilis in bello est, et qui fide indutus est, invisibilibus inimicis tremendus. Vir demens ac stultus dicet : « Quis me terrebit ? » at qui modestus est ac humilis, invenitur prudens. Materia ignis, ligna sunt ; materia vero iræ, superbia. Vis mitigare atque lenire iracundiam ? apprehende humilitatem, et in via mansuetorum atque humilium ambula. Si irritamenta atque exacerbationes inter fratres acciderint, ibi pacificator beatus : at qui eos ad contentiones accendit, haud impunis evadet. Lapis arenosus, et anima infidelis, paulatim dissolventur ; in viri autem fidelis anima cogitatio erit immobilis. In viro mansueto et humili requiescet

[1] Psal. CXVIII, 21. — [2] Eccli. IV, 7.

spiritus sapientiæ [1] : diligit autem Dominus eos, qui in sapientia ambulant. Vide, charissime, ne, dum ampliores consequi honores appetis, ignominiæ notam tibi contrahas. Honor vere est homini cuncta secundum Deum agere : at magna infamia, præcepta ejus transgredi. Pastor temulentus non salvabit oves suæ fidei commissas, et somnolentus facile et ipse a bestiis capietur. Nam in manibus ebrii crescunt spinæ ; anima vero continentis ac temperantiis assidue procidit Deo. Aurum non præbet patientiam : at fides eum firmat, qui possidet illam. Error viro nescire Scripturas, dupliciter vero errat qui novit eas et contemnit. Te ipsum cohortare ac consolare, charissime, et patientem in omni tribulatione te præbe, ne forte, dum sæpius te alii hortantur ac consolantur, superbus efficiaris. Dicit enim Apostolus : « Consolamini invicem quotidie, donec conce- » ditur appellari hodie, ne quis vestrum fraude atque im- » postura peccati obdurescat [2]. » Participes enim Christi evasimus, si principium obtineamus. Initium porro omnis virtutis est fides. Vitam virtutibus ornatam possidet monachus, qui patris admonitionem auscultat, eique morem gerit. Nudus efficitur monachus, qui inobedientiam viamque latam diligit.

XLII. Diabolicum consilium est monacho alienum appetere gradum. Captu facilis redditur monachus, rebus sæcularibus implicatus. Vitam æternam mansuetus et tranquillus monachus possidebit. Sol, et luna, et omnia astra super illis gaudent, qui recte Christo Domino serviunt. Thesaurum sibi in cœlis comparat omnis, qui vitam sectatur quietam in charitate. Medicus passionum ac perturbationum efficitur, qui in veritate timet Dominum. Tanquam e specula prospicit et superat pravas animi affectiones monachus mitis atque mansuetus. Populi laudabunt Dominum

[1] Isaï. LXVI, 2. — [2] Hebr. III, 13.

in homine, qui suam ipsius salutem non negligit, sed de suo ex hac vita exitu sollicite cogitat, et de hora illa, quando coram formidabili Christi tribunali assistere debebit. Mansio et habitaculum fit sancti Spiritus quicumque suam salutem amat. Templum efficitur Dei omnis qui continentiam et castitatem diligit. Gladius contra dæmonem acediæ ac tædii, est mortis et pœnarum memoria. Non condemnat proximum suum prudens monachus. Verba vitæ æternæ concreduntur viro Christum diligenti. Frumentum mundum est vir hospitalis. Accusatio sui in omni tempore purgatio est peccatorum. Patientiæ nervus est temperantia et abstinentia. Suam ipsius occidit animam, qui a mandatis Domini recedit; gaudium vero ineffabile possidebit omnis qui ea in veritate observat.

XLIII. Psalle, charissime, spiritu, psalle et mente. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et » favum ori meo [1]. » Principium et finis fidelium, est fides, spes et charitas. Omnibus autem rebus gravibus atque molestis gravior ac molestior est acedia et pigritia : maxime vero si sociam habeat infidelitatem; nam pleni sunt fructus ejus veneno mortifero. Recordare, charissime, semper tremendi tribunalis Dei, et erit tibi firmamentum, et resistes eis, qui insidias parant animæ tuæ. Prudens monachus ad ministerium emissus, pro pace suam ipsius ponet animam: at qui demens est ac insolens, pugnas atque contentiones præparabit. Spiritum otii, et curiositatis, atque dominandi cupiditatis ne dederis mihi, Domine Deus vitæ meæ; sed temperantiæ atque patientiæ spiritum largire famulo tuo.

XLIV. Meliores sunt sordes pedum in corde mundo propter virtutem, quam puritatem prætexere, et corpus ablui affectu inordinato. « Qui corrumpit templum Dei,

[1] Psal. CXVIII, 103.

» destruet illum Deus [1], » ait divina Scriptura. Tanquam cani, acriter spiritui fornicationis resiste, et plane non patiaris te abripi cogitatione hujusmodi; nam a scintilla ignis augetur pruna, et a cogitatione improba multiplicabuntur concupiscentiæ pravæ. Excute memoriam earum magis, quam fœtorem cœni. Quemadmodum incensum oblectat odoratum, sic et castitate lætatur Spiritus sanctus, et in homine inhabitat. Sicut sus delectatur volutabro luti; ita quoque dæmones in fornicatione gaudent et immunditia. Lux magna, et gaudium, et pax, et patientia in castitate commorantur: at dolor, et tædium, et somnus insatiabilis, et tenebræ densissimæ in fornicatione inhabitant. Dilige, monache, castitatem in charitate Christi; nam tuo vivendi instituto congruit, sicut ascia atque securis fabro. Frater quidam a fornicatione oppugnatus, increpans dæmonem, dicebat : « Ad tenebras vade, Satana. An nescis me, quamvis indignum, gestare in me membra Christi? » Et subito atque e vestigio cessavit in eo ardor libidinis, quomodo si quis flans extingueret lucernam; ita ut ipse secum de hoc miraretur, et Dominum glorificaret. Magna est castitas in charitate Christi; magna vero ignominia ac dedecus est fornicatio. Ita-ne te ipsum, frater, audacter comptum et ornatum reddere studes? Apostolum dicentem ausculta : « Juvenilia autem desideria fuge [2]. » An ignoras quali cum hoste tibi sit colluctatio? An nescis grave et periculosum esse alterius animæ laqueum fieri? numquid animo tecum perpendis, qualem putredinem atque corruptionem possidebunt qui talia agunt? Et istud te nosse volo, quod tametsi externus homo ad pelliciendum comptus sit et elegans, habitaculum autem animæ sordibus contaminatum fuerit; non diu ea in illo durabit pulchritudo, quin corrumpatur. At si animæ pulchritudinem possederis, aliquid

[1] 1 Cor. III, 17. — [2] 2 Tim. II, 22.

in exteriorem etiam hominem ex splendore ejus derivabit, eaque tecum pulchritudo permanebit. Qui ornatu vestimentorum suorum delectatur, et repletioni ventris sui studet, varie oppugnabitur; at qui sobrium se præbet ac vigilantem, tremendus erit suis adversariis. Anima improba assentationibus effertur atque superbit, et contumeliis affecta, furiose movetur et insanit : at bona, etiamsi blanditiis demulcetur, non lætatur, et contumeliose excepta, non irascitur. Taciturnitas juveni, sicut equo frenum : at qui effrenatus est, incidet in mala.

XLV. Sit timor Dei in corde tuo, charissime, sicut scutum in manum militis, excipiens in eo atque repellens in humilitate tentationes, quæ adversum te inferuntur a diabolo, ut instar pulveris comminuantur a facie tua inimici tui. Confide; non enim superari poteris, dum scutum atque armaturam ejusmodi tenes. Qui non amat Dominum, exagitat œconomum, et exacerbat præfectos suos. At qui Dominum diligit, mandata ejus observat. Janitor sapiens novit respondere pauperi ac pusillanimi ; insipiens vero superbus erit. Tametsi, frater, nihil præbemus, at saltem bona verba des, considerans te ipsum, ne tu quoque in eadem incidas. « In omnibus enim, inquit, operibus » tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis [1]. » Janitor piger magna damna patietur; qui autem spiritu fervet, sibi ipsi coronam comparabit. Fratres in synaxi constituti, o monache, benedicunt et laudant Deum; at tu foris mente vagaris atque distraheris? an ignoras quod damno te ipsum afficis? Dic cogitatione tecum : « Numquid, si nobis aliquid donandum esset ab aliquo, non studeremus ante omnes occurrere, ac prævenire? » Et si in mundanis atque carnalibus tantum studium : quanto magis adhibendum in spiritualibus? Esto fervens spiritu, instar

[1] Eccli. VII, 40.

sanctorum, ut una cum eis in regno cœlorum cohabites. Qui verbis otiosis intentus operatur, subtrahitur operi : at qui sanctos meditatur sermones, amplius proficiet. Si inter operandum conturbet atque molestet te spiritus fornicationis, ne cuncteris ad orationem manus tuas extendere; sin autem et vehementius in te irruat, etiam genibus flexis ora, et oratio fidei pro te decertabit. Ne obdormias, habens aliquid adversus aliquem, ut non tetra te phantasmata noctu exagitent. Non solum deprimendus est aspectus, sed etiam cor, ne extollatur adversus alterum. Fratrem tuum a peccato libera, et te Dominus in die iræ liberabit. Qui in cœnobio laborat, neque secessum purgare aspernabitur ; non est enim quod ægre ferri a piis oporteat. Noli detrectare laborem, dicens : « Ne forte inde infirmitatem contraham ; » potius autem mente tecum perpende, quo pacto sancti omnes perpessionibus atque ærumnis grati acceptique evaserint Deo. Monachus piger neque sibi est utilis, neque proximo; impiger vero segniores ad virtutem excitat. Qui contemnit præfectum, peccat; at qui morem ei gerit in Domino, gloriam possidebit.

XV. Noli pervertere novitium, et animam sitientem ad Dominum : quoniam videbit Dominus, et non placebit ei. Filius improbus maledicet parenti suo : et qui audiunt eum, vituperabunt ipsum. Immitis et absque misericordia, qui mala pro bonis retribuit, quid patietur ? Ne gaudeas aliena audire errata, ut non et tuum peccatum apud cunctos audiatur. Qui silentium in mensa servat, similis est ei, qui cum melle panem suum comedit : at qui sermones multiplicat, etiam quieti deditum perturbat. Cum tranquillitate piscem comede, et potus tuus imperturbatus sit. Monacho otioso non placebit janitor fidelis : et qui persequitur quod justum est, non offendet proximum. Comprime concupiscentiam, charissime, antequam ipse per eam compri-

maris; deducit enim ad profunda inferni eos, qui sequuntur ipsam; quoniam non est mensura patientiæ, si cum charitate conjuncta est atque permixta. Domine rex, concede mihi, ut videam peccata mea, et non condemnem fratrem meum. Si duo novitii cum sene habitaverint, quis istorum duorum major erit apud Dominum? Qui se ipsum fratri suo humiliarit in timore Dei. Verax quippe est, qui ait : « Qui se ipsum humiliat, exaltabitur [1]. » Qui duos habet novitios, magna sobrietate atque vigilantia indiget, ne forte locum inveniens adversarius, aliquid de proprio in eis operetur atque perficiat. Cæterum novitius risum et licentiam amans, perniciem et calamitatem sibi conciliat. Ne delecteris scurrilibus, quæ non decent, sed potius gratiarum velis actionem. Ne sis inobediens, durus, et contemptor, ut non et tibi ipsi noceas et illis qui te audiunt. Si verax, pius et humilis effectus sis, profundet in te Dominus miserationes suas.

XLVII. Audi, charissime, eum, qui te corripit admonetque in Domino, ut fructum Domino Deo proferas. Time Dominum, et erit tibi murus, ut in dies obitus invenies gratiam. Ne sæcularem hominem mente tua spernas, monache: solus enim Dominus occulta cordis cognoscit. Omnes honora propter Dominum [2], ut te cunctorum honoret Dominus. Qui dimovere atque transferre voluerit petram, subtus submittet ei vectem, non supra: tunc enim facile revolvet ipsam: quod quidem humilitatis exemplum est. Cellam reliquisti, monache, et ad sæculum iterum vadis? non reformidas iniquitatem et contradictionem, quæ adversum te in civitate fiet? Qui perfecte mundanam sapientiam exuit, invulneratus permanebit; at qui non exuit, continuas plagas suscipit. Si acciderit angustiis premi monasterium, ubi habitas, in iis quæ ad corporis

[1] Matth. XXIII, 12. Luc. XIV, 11, et XVIII, 14. — [2] 1 Petr. II, 17.

necessitatem pertinent; ne ideo locum deseras : quia tunc multum operis in loco invenies. Non placet impiis præfectus sanctus : nec justo quodcumque injustum. Ignosce fratri tuo, si in te peccaverit : et Dominus indulgebit tibi errata tua, condonabitque peccata. Anteverte in cella fratrem, a quo tristitia atque molestia affectus es, et condona ei in puro corde propter eum, qui ait non solum usque septies dimittendum esse fratri, sed usque septuagies septies [1]. Suscipe pœnitentiam fratris, charissime, tanquam a Deo missi, ut non aspernari videaris, et ad iracundiam commovere eum, qui misit. Pacem ama et sanctificationem, ut dignus conspectu Domini Dei efficiaris. Ne irruas in fratrem in die tribulationis ejus, et non adjicias dolorem super dolorem animæ ipsius. Laboriosus præfectus, est fratrum recta et ordinata dispositio : et senes prudentes, juvenum sunt consolatio et cohortatio.

XLVIII. Maledicentibus et obtrectantibus non est habenda fides : nam frequenter ex invidia struitur calumnia; quare potius quæ veritatis sunt, indagare oportet. Temerarios atque insolentes refrenare convenit, et reprimere eos, qui seditiones moliuntur, ut fraternitas pacata et imperturbata remaneat. Si fratres aliquos videris in malo consentientes, ne ipsorum communices inordinatæ ac dissolutæ vitæ : sed devitans eos, ingredere cellam tuam, memor illius qui dixit : « Servum Domini non oportet litigare [2]. » At si fratrem conspexeris pusillanimitate aut infirmitate aliqua detineri, huic compati expedit. Justitia exhilarabit cor exercentis eam. A scurrilibus, frater, caveas, ne forte te impudentem efficiant : impudentia autem mater est intemperantiæ atque lasciviæ. Ne per cellas oberres, vino æstuans, ne forte tuas subito divitias perdas temperantiæ atque continentiæ. Ne sis memor injuriarum

[1] Matth. XVIII, 22. — [2] 2 Tim. II, 21.

apud fratrem tuum; nam scriptum est : « Viæ eorum, qui » injuriarum reminiscuntur, in mortem sunt. » Non vales ferre injuriam atque contumeliam? sile et quiesce. Non potes videre quempiam te respicientem ? neque tu quemquam respexeris. Ne consenseris, ei, qui talia tibi suggerit : « Quousque patieris te inservire atque obsequi singulis fratribus ? » Dicamus autem ad eum : « Hodie studeo liber fieri : et die crastino, Domino curæ erit. Ipse enim dixit : « Nolite solliciti esse in crastinum [1]. » Beatus qui bonum reperit comitatum, et propriam odit voluntatem. Opus tuum sine fuco perage, frater ; sic enim decet fideles, ut et gratiam in tuis laboribus invenias.

XLIX. Ne vinum ad ebrietatem bibas, erubescens facie : tunc enim magna tibi erit ignominia, quando ut ebrius ductus fueris. Quemadmodum torques aureus in collo viri, sic monachum decet pietas atque religio. Quemadmodum mel dulcescens in ore viri, ita divini sermones in anima timente Dominum. Senes sapientes firmamentum sunt fratrum ; at insipientes contentiosi erunt. Coram Deo et hominibus exosa est superbia ; eos vero, qui humilitatem amant, exaltat Dominus. Portus serenus ac tranquillus est locus bonis regulis directus : quibus autem deest gubernatio, ut folia decidunt. Oportet ministrum obsequi et servire ei, cui ministrat, sicut Domino, et non hominibus : a quo etiam mercedem accipiet : eumque, cui ministratur, humiliter ferre oportet, tanquam si ei a Domino ministraretur. Comedisti panem, et repletus es? Da gloriam ei, qui te saturavit, Deo. Si vero paulisper expectare ventrem velis, etiam da gloriam ei, qui te confortavit, Deo; et ne dixeris coram omnibus : « Non comedi, nisi tantillum panis. » Quid igitur arrogas tibi ipsi? vel eos, qui comedunt et gratias agunt, condemnas? Sustine Do-

[1] Matth. VI, 34.

minum in die tribulationis, ut te protegat in die iræ.

L. Non rideas super afflicto; neque gaudeas de perverso; ne forte irascatur tibi Dominus, et non invenias protectionem in die tribulationis. Ne fratres persequaris causa ambitionis : nam nisi ex Deo sit consilium istud, non subsistet. At si ex Deo est, etiamsi in vasis occultatus fueris, sicut Saül [1], inde te assumet Dominus, et ducem atque præfectum te constituet in populo suo. Quis non ingemiscat super hisce? quippe qui cum ne unam quidem adhuc solitariæ vitæ virtutem demonstrare possimus, præfecturas sectamur. Quare et nos etiam in continenti constituti, naufragium confestim patimur. Et hoc nonne ex inobedientia nostra atque insolentia? Remigare enim antequam sciamus, gubernare tentamus. Quis deterior eo, qui cum aquam dulcem habeat, animam sitientem non potat? aut quis invidentior eo, qui cum librum utilem teneat, fratri suo ad ædificationem commodare eum recusat? Quis porro segnior eo, qui cum sitibundus prope fontem sedeat, manus tamen non extendit, ut sumpta aqua sitim restinguat? aut quis negligentior eo, qui librum utendum accepit, et legere illum omittit. Adjuva illum qui rogat, ut discat litteras; legensque magnalia Dei, benedicat ac laudet admirabile nomen ejus, et ipse tibi mercedis erit retributor. Segni ac pigro monacho negligentia obsistit : habenti autem patientiam, superbia repugnat. At qui in veritate amat Dominum, utrumque repudiat. Monachus piger multa patietur damna : at qui sobrius est et vigilans, nullam horam contemnet. Monachus piger et contentiosus nullo erit in pretio, quoniam exacerbator est. Monachus inobediens multa explorabit loca : at qui humilis est corde, submittet se in Domino. Novitius prudens atque intelligens, suis obediens est superioribus in Do-

[1] 1 Reg. x.

mino. At inobediens, ignominia notabitur. Qui corporis sui castitatem servat, suspicietur a multis : et qui eam contemnit, a pluribus coarguetur. Considera, charissime, mensuras cujusque eorum, qui sub obedientia vivunt propter illum, qui ait : « Quod fructum fert et facit, aliud » quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tri- » gesimum [1]. » Monachus ventri deditus jejunium vocat malum atque infaustum diem : at temperantiæ studiosus, non ægre fert neque tristatur.

LI. Cave re aliqua proximum offendas; sed in omni conversatione tua bene compositum atque instructum te præbeas. Vir immorigeratus explorat vicinum suum ; at qui in luce ambulat, malum non cogitat. Qui diligit Dominum, non exacerbat proximum, sed observat se ipsum, propter eum qui dixit : « Et quæcumque vultis, ut vobis » faciant homines, et vos similiter facite illis : hæc est » enim Lex, et Prophetæ [2]. » Laboribus te exerce, monache, in hyeme ac tempestate, ut in vitæ portum ingressus, exhilareris. Fratres negligentiores adversus diligentiores armat inimicus. Qui autem seduli magis sunt atque industrii, per negligentiores opus inveniunt, perferentes eorum infirmitates propter Dominum. Qui misericordiam exhibet proximo suo, etiam misericordiam apud Dominum inveniet : judicium autem sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Ne consentias fratri tuo in peccato ; quin potius eum ab illo eripe ac libera, ut salvetur anima vestra in Domino. Timor Dei præ oculis tuis sit omni tempore, et peccatum in te non dominetur. Cave dixeris : « Hodie pecco, et cras pœnitentiam agam : non enim se- » curus es de crastino [3] : » verum hodie pœnitentiam agamus et de crastino curæ erit Domino. Est aliquis obambulans, qui dum audit vocem ac signum ad orationem,

[1] Matth. XIII, 8. — [2] Id. VII, 12. — [3] Prov. XXVII, 1.

assumit opus manuum : at tu, charissime, vide ne synaxim negligas, ut oculus mentis tuæ illuminetur. Dedecus est ei, qui os impudens possidet ; at qui timet Dominum, in veneratione erit. Toto corde tuo in Domino confide, et omni tempore gratiam invenies. Si expectaveris ac sustinueris ipsum, non perdes mercedem tuam. Siphones addibentur in die incendii : et lacrymæ, tentationis tempore. Aqua extinguit flammam in domo accensam : et lacrymæ in oratione concupiscentias pravas.

LII. Sicut palma in ripis germinans : ita concordia fratrum in Domino. Qui majores honorat, a minoribus exhilarabitur, et in die orationis ejus exaudietur. Si fratri tuo aliquid utendum dederis, et ille differat restitutionem, poteris ei semel in memoriam reducere : nam sæpe oblivio accidit. Sin autem tu quidpiam a fratre tuo commodato acceperis, et ille verecundia ductus non te commonefacit; tu tamen tanquam Deum timens, ne eum privaveris ; quoniam scriptum est : « Nemini quidquam » debeatis, nisi ut invicem diligatis [1]. » Cunctas res corruptibiles pro nihilo ducere oportet, fratres : solam autem vitam æternam sibi vindicare et magnifacere convenit. Si qua tibi procuratio commissa sit, cave salutem tuam neglexeris, excusationes prætexens in peccatis : nam et Joseph curavit negotia in Ægypto : nec unius duntaxat domus ac familiæ curam suscepit, sed totius etiam Ægypti, et quia non declinavit a via veritatis, Dominus gloria et honore decoravit illum [2]. Si anima tua sana et integra fuerit ad Dominum, in omnibus fructum atque utilitatem capies. Si negotiatorem videris, dic intra te ipsum : « O anima, iste temporalium rerum cupidus tanta suffert, ut caduca et non permansura sibi congreget : tu vero æterna et nunquam pertransitura negligis ? « Si viros aliquos litigantes

[1] Rom, XIII, 8. — [2] Gen. XLI et XLII.

aspexeris, dic intra te ipsum : « O anima, isti ob rem nullius pretii atque utilitatis inter se contendunt ac litigant : at tu decem millium talentorum cum sis debitrix, non procidis Deo, sicut oportet, ut debitorum remissionem consequaris ? » Si aliquos fabricantes domos ex luto conspexeris, tacitus tecum dicito : « Et hi, o anima, in luteis domibus extruendis magnum studium adhibent, ut opus perficiant : tu vero æterna tabernacula contemnis? » Et ne singillatim multa percensentes, protrahamus sermonem, si quid ejusmodi perspexerimus in vita, mundanas cogitationes et sæcularia consilia in spiritualia commutemus, et plane utilitatem aliquam consequemur, divina nobis cooperante gratia.

LIII. Quid porro est monachus ? Similis est monachus viro ex alto demisso, qui funem excelso intervallo pendentem arripit, et se illi appendit, et indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat, sciens se, si defecerit, usumque utriusque manus perdiderit, præcipitem illico ruiturum, et moriturum. Apprehende vitam æternam, monache, ad quam vocatus es, et bonam, quam professus es coram multis testibus, confessionem : adhuc enim modicum restat temporis, et veniens veniet, et non tardabit. Propterea enim quod exiguam tribulationem sustinere propter Dominum nolumus, sæpe vel inviti in varias gravesque tribulationes incidimus. Et quia propriam voluntatem amore Domini relinquere nolumus, nobis ipsis detrimentum animæ conciliamus. Et quia ægre ferimus nos in subjectione et contemptu versari propter Dominum, nos ipsos consolatione justorum privamus. Et quia morem gerere recusamus admonitionibus atque consiliis eorum, qui nos monent propter Dominum, nos ipsos improbis dæmonibus deridendos præbemus. Et quoniam in virga disciplinam non recipimus; lebes nos excipiet, ubi non erit qui consoletur.

« Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum[1], » et vultum hilarem ad eos qui extra sunt? et plorabo die ac nocte peccata mea. Dixi risui : « Longe » recede a me[2] : » et lacrymis, « Accedite ad me : » quoniam multa peccata mea valde coram Domino, et delictorum meorum non est numerus.

LIV. Nostis tres esse lacrymarum differentias in hominibus. Sunt enim lacrymæ quædam rerum apparentium, et eæ amaræ valde sunt et vanæ. Et sunt lacrymæ pœnitentiæ, quando anima æternis perfrui bonis desiderat; et illæ sunt dulces et utiles vehementer. Et sunt lacrymæ pœnitentiæ, ubi fletus est et stridor dentium : et hæ acerbæ sunt et inutiles : nihil enim proficiunt tunc, quando non est amplius tempus pœnitentiæ. Charissime, vigilans esto in juventute tua, ut probatus inveniaris etiam in novissimis tuis : et non confidas te ipsum improbo hosti, suggerenti fraudulentas tibi cogitationes, dum dicit : « Adhuc juvenis es, et plures alii vitæ tuæ supersunt anni : quare nunc lætare, et animam tuam mœrore ne affeceris; senectutis autem tuæ tempore pœnitentiam agere licebit. » Non amplius cognoscis, frater, (neque enim, tametsi velut insipiens esses, ignorare deberes) quod ipse te in hisce seducat atque decipiat ? si enim dum adhuc juvenis es, et in ipso flore et fervore ætatis versaris, quando omnem sufferre laborem atque exercitationem potes, pœnitentiam non agis; nonne si consenueris, imbecillitatem senectutis prætexes? sin vero et in ipso juventutis tuæ flore anticipatus sis, quid facies? Relinque igitur viam inimici, et vocem audi veri Domini dicentis : « Vigilate ergo, et orate : quia nescitis » diem, neque horam[3]. »

LV. Domine Jesu Christe, rex regum, qui habes potes-

[1] Jer. IX, 1. — [2] Eccl. II. — [3] Matth. XXIV, 42, et XXV, 13, et Marc. XIII, 33.

tatem vitæ et mortis, qui incerta et occulta cognoscis, quem nulla latet cogitatio atque sermocinatio, ab occultis meis munda me, quoniam malum coram te feci [1]. Ecce enim dies mei deficiunt, de die in diem : et peccata mea multiplicantur. Tu Domine Deus spirituum et omnis carnis, exploratum habes magnam corporis et animæ meæ infirmitatem. Da, Domine, robur in imbecillitate mea, et succurre mihi misero. Tu enim nosti, quod « Tanquam pro-» digium factus sum multis, et tu adjutor meus fortis [2]. » Da mihi, Domine, cor gratum, quo semper memoria recolam beneficia tua, optime Domine; et ne memineris multorum peccatorum meorum; verum oblivioni scelera mea atque delicta trade. Ne despexeris, Domine, preces mei peccatoris; sed quemadmodum huc usque tua me protexit gratia, ita in finem usque eam a me ne abstuleris. Ipsa enim sapienter me edocuit intelligere ista : et beati qui custodiunt vias ejus, quoniam erit ipsis in coronam gloriæ. Confiteor tibi, Domine, et collaudo te ego indignus, quia miserationum tuarum multitudinem in me demonstrasti : quoniam protector et auxiliator factus es mihi, ideoque nomen magnificentiæ tuæ benedictum est in sæcula. Tibi enim majestas convenit Domino Deo nostro.

Doce, charissime, fratrem tuum viam, non quæ abducat ad sæculum, sed quæ in regnum cœlorum introducat. Dominum autem time omnibus viribus tuis, et noli æmulari opera impiorum : quoniam « Ignis eorum non extin-» guetur, et vermis eorum non morietur [3]. »

[1] Psal. L, 5. — [2] Id. LXX, 7. — [3] Marc. IX, 43, 45 et 47.

CAPITA XCVI.

Consilium de vita spirituali ad monachum novitium.

I. Tua mihi probatur fides ac studium, quod ab homine peccatore aliquid perdiscere desideras tuæ professioni aptum; idque non semel aut bis, sed frequentius efflagitasti. Et hoc animi præstantis argumentum est. Sed me retardat deterretque operum meorum dissimilitudo, quorum intolerabilis est fœtor. Rursusque ad morigerandum tibi me commovet vere ardens tuum desiderium audiendi quæ ad timorem Dei pertinent. Qui enim in spiritualibus se exercere cupiunt, sermonibus ad excolendam virtutem facientibus oblectantur. At qui ad vitam passionibus affectionibusque subjectam proclives sunt, quæ spiritualis sunt vitæ audire nolunt. Quin et conviciis excipiunt, dicentemque interpellant. Contra vero de vitiis ac voluptatibus agentes, nulla capiuntur satietate; quin et cibi somnique beneficio privari malunt, quam ejusmodi nugatoriis sermonibus finem imponere.

II. Sed tu rebus spiritualibus insiste, ut tecum permaneat recordatio Dei; inutilesque sermones detestare; quoniam malum et bonum odorem simul commorari est impossibile.

III. Submissionem diligenter cole, sive inveniaris in via, sive in navigio, sive in cella; sive in juniorum, sive in seniorum congressu verseris. Cum prudentia atque judicio tui labores instituantur, ne ex ulla tuarum actionum aliquod detrimentum capias.

IV. Utere victu simplici et necessario, ne tibi mens in crapula, et ebrietate, curisque sæcularibus torpescat atque hebescat. Qui enim ejusmodi affectionibus serviunt, et circumveniuntur, non fornicationem æstimant fornicationem, neque adulterium adulterium; neque ea, quæ a gentibus Deum ignorantibus fiunt, devitant; sed omnia intrepide atque licenter factitant, in nullo porcis, qui in luto volutantur, dissimiles. Non Legis, non Prophetarum memores, neque etiam ipsius Domini, qui homo factus est, ut impietatem peccati destrueret. Sed pietatis forma freti gloriantur; cum interim mentis imperio capti, et propter negligentiam contemptumque timoris Dei obcæcati, contraria peragant. Cave igitur, carnis esu, vinique potu capiaris, ne mens tua inutilis reddatur ad dona spiritualia suscipienda.

V. Si cogitationibus cum fratre sermonem conferas, et lingua tua a recto inflexa est propter animam cogitationibus lascivis irretitam, vide ne, dum damnationem tuam cupis obscurare, turpiloquio utaris et scurrilitate, ut a proximo non redarguaris, in quibus et illius votis desis, et te pessimo tradas dæmoni. Orationem vero, atque silentium potius adhibe, et redibit super te Spiritus sancti gratia, effugiesque mentis insaniam.

VI. Si tuæ curæ committatur novitius, cave ne nimium illi compatiens, Creatorem tuum offendas; pariterque cum eo suave Domini jugum excutias, atque intereas. Neque enim scapha decidente, mox etiam navis negligenda est.

VII. Ad cognitionem Domini componantur actiones tuæ, et laqueis diabolicis non implicaberis. Mos est enim diabolo, sub specie boni machinari malum.

VIII. Si præfectum pro fratre ex monasterio depulso interpelles, ut qui cæteros perverteret fratres, cave pa-

trem, illius causa, intercedendo compellas: verum esto tanquam commonitor, ut interim rem omnem divinæ voluntati committas, ne forte quod ex animo de sua malitia nondum resipiscat, cæteris fratribus suo ingressu damnum inferat. Etenim vel sola scintilla in aream incidens, facile totius anni labores inflammat.

IX. Quantum deposcit æquitas, quisque proximum suum ferat, oportet, propter spem, quam in Deo collocat. Sed væ illi, qui toleratur, nec intelligit.

X. Qui in solitudine versatur, a triplici liberatur bello, visus, scilicet, auditus et loquelæ. Qui vero in conventu fratrum quieti se tradit, a tribus et ipse liber est: nimirum, ab emptione, a venditione, et ab incursu latronum. Quocirca suam quisque conscientiam tueatur, oportet.

XI. Si contingat te colloqui cum adolescentibus ætate et aspectus venustate florentibus, custodi oculos tuos, ne concupiscentia mentem tuam conturbet, incipiasque in longum sermones affectione plenos protrahere; extremis autem tantum labiis de temperantia loquens, mente lascivus sis, et totus in illa re occuperis. Quando ergo contigerit te in ejusmodi congressum incedere, breviter sermonem præscinde, et silentium tibi impone. Ait enim Scriptura: « Seduxit eum multiloquium [1]. » Nam familiaritates ac colloquia ejusmodi haud exiguum detrimentum pariunt animæ. Quare sollicite tibi similium perscrutationem amputa, ne peccatum per multiloquium te in errorem pertrahens, ad illicita te inducat.

XII. Quanto quis propriam voluntatem rescindit atque submittit, tanto amplius proficit. Quanto autem quis in voluntate sua persistit obstinatior, tanto majorem sibi injuriam, detrimentumque acquirit. Noli ergo propriæ

[1] Prov. x, 19.

subservire voluntati, sed divinæ magis te voluntati submitte.

XIII. Si monachus quispiam ex negligentia ab instituto suo deflexerit, impudentiam ei subjicit inimicus, ne si iterum tristior apparuerit, facile a curatoribus admonitus, se sinat corrigi, et ad meliorem vitæ statum reduci.

XIV. Christo subjici cave recuses; quoniam ex ea subjectione fructus certus atque securus proficiscitur.

XV. Si quis religiosus, instigante dæmone, passus sit se decipi, non capiat tamen odium atque invidiam adversus ascetas. Talem in errore non relinquet Dominus, sed manum ei porriget, ut emendetur, eo quod non repulerit charitatem. Similiter autem qui sibi videtur stare, si intumescere superbia cœperit [1], et alios odisse, securus nequaquam erit, eo quod caligo odii obscuraverit oculos ejus, ut non videat quo vadat.

XVI. Si in domo Domini ad spiritualem cultum constiteris, in psalmodia te alacrem promptumque præbeto. Si autem tacueris, tacebo et ego, tacebit et proximus: unde necessario cantus cessabit. Sed hoc absit. Qui enim principem aliquem vel regem ex theatro faustis lætisque acclamationibus excipiunt, si videant interea aliquem sibi astantem cum silentio, neque simul cum ipsis contenta voce acclamantem; hunc quasi loco ejuscemodi judicantes indignum, ex eo deturbant. Quamobrem haud remisse negligenterve oportet nos supplicationibus vacare.

XVII. Væ homini injusto; væ deliciis et voluptatibus indulgenti; væ superbo. Nam quando eos inferni anxietas, mortisque suffocatio comprehenderit, ipsa experientia fidem iis faciet, nihil esse præstantius timore Dei.

XVIII. Bonum congressum dilige, malam autem consuetudinem fuge: neque enim venefici, aut latrones, se-

[1] 1 Cor. 1.

pulcrorumque effossores sic nati sunt; sed ita didicerunt ab hominibus, quorum corrupta mens erat a Satana : fecit enim Deus cuncta valde bona [1].

XIX. Balneis, symposiis, conviviisque, in quibus carnes ad comedendum apponuntur, delectari in caveto, ne in gravissima peccandi incidas pericula.

XX. Vitam bonam cum recta fide tibi vindica. Quis enim inter homines eum, qui sic vitam suam instituit, beatum non prædicet?

XXI. Quando cella tua ministerii alicujus obeundi, vel aliquos conveniendi gratia egrederis, munitos serva oculos, mentemque piis cogitationibus imbue, sic tecum ratiocinans. Num, tanquam pictor, es egressus, ut formas hominum effingere atque exprimere discas? Attende tibi. Quo pacto enim, si rebus mundanis implicitam mentem habeas, puro intellectu poteris contemplationi earum rerum, quæ non videntur, vacare, et in Dei recordatione te oblectare, atque exultare?

XXII. A curiosa alienorum defectuum pervestigatione abstine, ne merito religiosa cogitatio tua corrumpatur.

XXIII. Impone tibi silentium, a multis enim hoc te inquinamentis liberabit. Peccatorum cruciatus semper meditare, timens ne et tu non multo post in eorumdem numerum ascribaris.

XXIV. Numquid aliquando domum luctus ingressus es, vidensque planctum ac fletum, mox ex ea domo exire properasti? Quamobrem ex momentaneis sempiterna conjectare oportet, ait enim : « Da sapienti occasionem, et sa-
» pientior erit [2]. »

XXV. Si tibi cogitatio locum mutandi subrepserit, accesserintque te aliqui commiserationis affectu, et alius quidem, quasi justum dolorem suscipias, migrandi propositum

[1] Gen. I. — [2] Prov. IX, 9.

approbet; vide ne temere et absque judicio consilium illius amplectaris. Sed si quis te reprehendere, et admonere cœperit, hic tibi potius, quam alter ille, audiendus erit. Tales siquidem magis de fratrum salute sunt solliciti.

XXVI. Quod autem pusillanimitatis cogitationes vel eos maxime exagitent, qui in solitudine conquiescunt, etsi perpaucos ejus rei nescios arbitrer, visum tamen est, tui confirmandi gratia, de iis disserere.

XXVII. Quando animus afficitur, ab his, quæ sub sensus cadunt, occupatus; tunc mens simul atque a præclara illa futurorum bonorum contemplatione, et expectatione, ac meditatione defecerit, in his, quæ ad sensus pertinent, tota defigitur, iis frui cupiens, et invidiæ, nequitiæque deserviens.

XXVIII. Hei mihi! quid agam miser? Magna est mea imbecillitas. Solitudo et paupertas, et animi remissio me occupant. Operari non valeo, mendicare erubesco [1]. Rebus et fortunis domesticis sum exutus. Qui commode meis vivere poteram, in res adversas me conjeci. Ludibrio nunc iis factus sum, qui me felicem prædicabant. Dolor cor meum ob calamitatem, qua detineor, occupat: nec ullus reperitur, qui succurrat, nemo qui compatiatur. In magna ignominia constitutus sum. Alius ad sacerdotium evectus est, alius in dignitate constitutus. Ego vero velut ignobilis et inglorius, abjectusque remaneo. Nemo est, qui mihi inopia, et infirmitate laboranti quid tribuat: dum interim hic divitiis affluit, ille discipulis comitatus procedit: unde et cum maximis præstantissimisque viris conversantur. Ego autem in magna ignominia contemptuque vivo, et victu etiam quotidiano indigeo. Illi splendide vestiti incedunt; mihi autem et necessaria indumenta desunt. Illi postquam in bonis dies suos transegerint, ex hac luce emi-

[1] Luc. XVI, 3.

grantes, splendidum funus sortiti, cum aromatibus condiuntur, et sepultura dealbata honorantur, sempiterni nominis fama iis per epitaphii inscriptionem attributa : mihi vero morienti neque honor sepulturæ concedetur ; ipsaque cella ob infrequentiam visitantium, sepulturæ loco erit. Cor mihi dolet; sed quid faciam? Defecerunt oculi mei, assiduo obtutu ostium conspicientes, et nullus est, qui pulset. Mœrore tabesco, nec est qui me consoletur. Summis angustiis premor, et non est qui misereatur. Hei mihi ! quoniam in dolore deficiunt dies mei.

XXIX. Dic animæ tuæ, o homo : « Quousque tristis » es, o anima mea, et quousque conturbas me? Spera in » Domino [1], » et pravas a te cogitationes repelles. Si enim terrenis non adhæsisses, ejusmodi te laqueis non implicuisses. Quin et hoc tibi persuade neminem sive, claro, sive obscuro fuerit loco, si ex Dei voluntate vixerit, esse rejiciendum. Qui autem terrena suscipit, fructumque ex iis consectatur, justorum se consolatione privat.

XXX. Si ergo gaudio illo perfrui desideras, cave aditum pravis cogitationibus, quæ nos a Deo separant, patefeceris. Verax namque est, qui dixit : « Qui invenit animam suam, » perdet illam : qui autem perdiderit animam suam propter » me, inveniet eam [2]. » Idcirco et Apostolus ait : « Mortui » enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo. Cum » Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis » cum ipso in gloria [3]. »

XXXI. Quorsum igitur momentanea et fugacia ista, quæ fluminis instar diffluunt, suspicis ac beata prædicas ? Quid etiam præclara funeris pompa proderit? quid sepulcra dealbata, et vanæ laudationes hominem impium, quando nullam ipse relaxationem consequatur, juvare poterunt ?

[1] Psal. XLI et XLII. — [2] Matth. X, 39, et Joan. XII, 25. — [3] Coloss. III, 3, 4.

XXXII. Quid proderit in laquearibus inauratis jacere? quid nitentes parietes? quid splendida tecta? cum ipse interim passionibus cruciatur, aut a dracone convellitur intus, devoraturque corpus. Quid enim proderit animæ ex hac luce emigranti plurimorum circa corpus in ornando funere occupantium cūra, nisi laus a Deo sit in Ecclesia illa magna? Ne igitur tibi sint admirationi momentanea atque caduca ista, quæ instar ceræ liquescunt. Sed isti, inquies, cum divitibus consuetudinem habent. At tu cum omnium rege Deo per orationem conversaris, et corpus unigeniti ejus Filii manducas, et sanguinem ejus bibis. Gaude ergo, et lætare, quod merueris templum ejus fieri [1].

XXXIII. Ne igitur animum despondeas, videns te in hac vita inglorium atque abjectum, vel morbo, aut gravi senectute, ac paupertate gravatum. Qui enim pascit volucres cœli [2], » non te sua destituet providentia. At te angit, ne tibi visus hebetudo molestiam afferat? sed cogita hoc etiam viros justos sustinuisse. Unde Isaac, dum ab eo benedictionem Jacob accipere cuperet, dixit ad eum : « Accede ad me, ut tangam te, fili, et probem utrum tu sis » filius meus Esaü, annon [3]? » Illustratus autem est oculus mentis eorum, et ab omni iniquitate purgatus. Quare et tu te purum integrumque a malitia custodi; de corporis autem infirmitate non usque adeo sis sollicitus : quoniam ipsi cura est de nobis [4]. » Si autem doles tibi deesse vitæ necessaria, cogita Herodem divitiis atque deliciis abundasse; Præcursorem autem, instar hominis malefactoris ac vilis, in carcere vinctum atque detentum [5]. Verax enim est, qui dixit : « Vos tribulationem in mundo habebitis; mundus autem » gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium [6]. »

[1] 1 Cor. III, et 2 Cor. VI, 16. — [2] Matth. VI, 26. — [3] Gen. XXVII. — [4] 1 Petr. V, 7. — [5] Matth. XIX, et Marc. VI. — [6] Joan. XVI, 20.

XXXIV. Sed et ego, dices, in miseriis atque angustiis vitam obscurus et inglorius transigens, post mortem nullam mei memoriam relinquam? Extremæ dementiæ, et animi vanæ gloriæ cupidi hic morbus est. Quam multi sunt, putas, qui persecutiones pro Salvatore nostro Deo pertulerunt: et adhuc obscuri atque ignoti mundo sunt? An ergo qui in montibus, in speluncis, atque cavernis terræ vitam traduxerunt, quorum memoria non celebratur ab hominibus, peribunt? Minime vero: nam in libro illius omnes scribentur [1]. « Quare quæ sursum sunt sape, non quæ super ter» ram [2]. » Justorum enim conversatio in cœlis est. Ne igitur labores subterfugias. Atqui nos quoque, qui relinquimur, et residui adhuc sumus, eos, qui in laboribus, atque angustiis, necessitatibusque Domino placuerunt, beatos prædicamus. Idcirco si justorum cupis esse hæres, cave humilitatem despexeris: cave etiam in laboribus atque ærumnis afflictionem abjeceris: sed obdura ac perfer, ut indissolubili vita, gaudioque, ac gloria potiaris: cum dicat Apostolus: « Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad » futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis [3]. » Quod si ab adversario in re aliqua subdole supplantari nolis; crede nihil te agere, vel cogitare, quod lateat Deum. Sin cogitatione de Dei scientia dubitaveris; ea tibi ex historia Elisæi prophetæ innotescet. « Nam cum bellum esset inter regem » Israël, et regem Syriæ, consiliumque iniret rex Syriæ cum » servis suis, dicens: In illo loco castra metiar; misit » Elisæus ad regem Israël, dicens: Cave ne transeas in lo» cum illum; quia ibi Syria in insidiis est. Misit itaque rex » Israël ad locum, quem dixerat ei Elisæus, et observavit » se ibi non semel, neque bis. Conturbatusque est animus » regis Syriæ pro hac re, et convocatis servis suis, ait: » Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud re-

[1] Philip. IV, 3. — [2] Coloss. III, 2. — [3] Rom. VIII, 18.

» gem Israël? Dixitque unus servorum ejus : Nequaquam, » domine mi rex, sed Elisæus propheta, qui est in Israël, » indicat regi Israël omnia verba quæcumque locutus fueris » in conclavi tuo [1]. » Si ergo nihil eorum, quæ clam fiebant, latebant Prophetam, quo pacto aliquid Creatorem rerum universarum latere poterit? Minime vero. Hinc etiam in conclavi orare jubemur, Domino ac Salvatore nostro Jesu Christo sic dicente : « Tu autem cum oraveris, intra in » cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in ab» scondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet » tibi in manifesto [2]. » Quamobrem omnem a nobis malitiæ cogitationem abjiciamus, ne diffluamus. Nudus siquidem est infernus coram ipso, nullumque perditioni est operto-rium. Ne igitur tristeris, neque vacilles : in oculis enim Dei versamur, velimus, nolimus. Gaudium sit tibi in tribulationibus : nam coronæ ex variis texuntur floribus : et justi per multiplices tribulationes in gaudium Domini sui ingrediuntur.

XXXV. Curam animarum ne appetieris. Nam cum ad eam metam nondum perveneris, ut cunctis animi tui passionibus imperes ; et tibi ipsi, et illis, qui te sequentur, noceres. Quod si invitus ad curam ejusmodi traheris, in ea administranda maximam diligentiam adhibe ; non ut quæ tibi sunt placita, facias; sed ut ei potius morem geras, qui tibi ovium ratione præditarum curam concredidit. Ait enim per Ezechielem prophetam. « O pastores Israël, numquid » pascunt pastores semetipsos ? nonne oves a pastoribus » pascuntur ? Ecce lac comeditis, et lanis operimini; et quod » crassum est, occiditis; oves autem meas non pascitis. Quod » infirmum fuit, non consolidastis; et quod ægrotum, non » sanastis : quod contritum est, non alligastis; et quod er» ravit, non reduxistis ; et quod periit, non quæsistis; et

[1] 4 Reg. VI, 8-12. — [2] Matth. VI, 6.

»quod validum erat, labore confecistis. Et dispersæ sunt »oves meæ, eo quod non essent pastores, et factæ sunt in »montibus in devorationem omnium bestiarum agri : et »dispersæ sunt oves meæ in cunctis montibus, et in uni»verso colle excelso, et super omnem faciem terræ dispersæ »sunt, et non erat qui requireret, neque qui reduceret. »Propterea pastores audite verbum Domini : Vivo ego, di»cit Dominus, quia pro eo quod factæ sunt oves meæ in »rapinam, et greges mei in devorationem omnium bestia»rum agri, eo quod non essent pastores, neque quæsierunt »pastores oves meas ; sed pascebant pastores semetipsos, »et oves meas non pascebant : propterea pastores audite »verbum Domini. Hæc dicit Dominus : Ecce ego ipse super »pastores, et requiram oves meas de manibus eorum, et »revocabo eos, ut ultra non pascant oves meas. Et non »pascent amplius eas pastores, et liberabo oves meas de »ore eorum, et non erunt ultra eis in escam [1]. »

XXXVI. Hinc igitur nos merito intelligere oportet, quantum illi immineat periculi, qui negligenter segniterque curat subditos. Ideoque præfectum convenit et peritissimum esse, et ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum : utque singulorum observet incessum, motum, gestum, ac habitum ; quæque minus conveniunt, reprehendat, et ad optimum statum cunctos dirigat. Præceptores enim non solum elementorum figuras scholaribus ostendunt, sed et minima quæque puncta, punctorumque distinctiones proponunt. Sic igitur oportet prælatum nihil quantumvis minimum, quod ad salutem pertineat, omittere, quin fratribus proponat ; non prætermittendo etiam supplicia negligentibus parata, ut eo velut muro aliquo culpam omnem ab innocentibus procul arceat. Atque ita lupi

[1] Ezech. XXIV, 2-10.

pastoris diligentiam considerantes, rationalium ovium gregem fugiant.

XXXVII. Nihil æque animum hominis ducit ad salutem, junioresque ad laborandum incendit, atque si magistrum opere ad virtutem cohortatorem invenerint, secundum eum, qui ait : « A me videbitis, et sic facietis. »

XXXVIII. Nos autem, qui discimus, ab omni inobebientia atque contradictione alienos esse oportet ; sed contra potius omnem humilitatem coram Deo et hominibus exhibere decet. Porro si magister nobis contigerit, qui verbis quidem virtutem prædicet, factis autem spernat; cavendum erit, ne ex ea occasione adversario locum præbeamus subvertendi animam nostram. Verum illius memores simus, qui dixit : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et » Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis facienda, » facite; secundum vero opera eorum nolite facere : dicunt » enim, et non faciunt [1]. »

XXXIX. Te ipsum semper custodi, ne proximo scandalum aliquod, vel offendiculum præbeas, minas ejus reformidans, qui per Prophetam ait : « Væ qui potum dat proximo » suo cum turbida eversione [2]. » Et rursus « Hæc dicit Do» minus. Ecce ego judico inter pecus et pecus : arietum et » hircorum. Nonne satis vobis erat, pascua bona depasci; » insuper et reliquias pabuli conculcastis? Et cum constitu» tam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. » Et oves meæ his, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, » pascebantur; et quam pedes vestri turbaverant, aquam » bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego » judico inter pecus pingue, et pecus macilentum : lateri» bus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventila» batis, et reliquum omne affligebatis. Et salvabo oves meas, » et non erunt in direptionem : et judicabo inter hircum,

[1] Matth. XXIII, 2, 3. — [2] Habac. II.

» et hircum [1]. » Quare proprium nostrum amorem vitemus : quoniam ex sui ipsius amore vitia velut germina quædam pullulant. Cæterum amorem proprium expellit charitas, omnes ad concordiam et unionem pertrahens, complectensque. Magna siquidem ac pretiosa possessio est charitas, a qua ne excidas, diligenter caveto. De nostra igitur salute solliciti, propriis parcamus membris, formam virtutis proximo nostro nos proponentes in fide, in charitate, in patientia, in castitate, in subjectione, in humilitate, in timore Dei. Ne pessimis nos sinamus voluntatibus adduci; sed Spiritus amplectamur labores. Nam deliciæ et remissio animi optimo vivendi instituto contrariæ sunt.

XL. Incedamus per viam arctam atque angustam, cordis contritionem diligentes, ut semper nobiscum memoria mortis permaneat, et a damnatione liberemur. « Væ enim, » inquit, vobis, qui ridetis; quia lugebitis et flebitis [2]. Beati » qui nunc lugent, quia ipsi consolabuntur [3]. » Inclinemus nos ad sepulcra, et conditionis nostræ arcana perspiciamus. Permixtos ossium acervos, crania carnibus exuta, et reliqua illa ossa cernentes, nos in illis contemplabimur. Ubi floris juventutis pulchritudo? ubi venustus ille genarum color? Hæc nobiscum cogitantes, carnis desideria fugiamus, ne in resurrectionis die confundamur. Infirmitatis autem meæ in tuis precibus memor esto, non negligens te ipsum, ut mei, qui vermis sum atque putredo, recordetur Dominus Deus, liberetque me a suppliciis, quæ peccatoribus parata sunt, dignumque reddat deliciis paradisi. Quoniam ipsius est benignitas, et justitia, et miserationes ejus super omnia opera ipsius [4]. Amen.

XLI. Frater quidam rem, quam ab alio acceperat, narrabat de homine quodam habitante in quadam civitate,

[1] Ezech. XXXIV, 17-22. — [2] Luc. VI, 21. — [3] Matth. V, 5. — [4] Psal. CXLIV, 9.

qui apud se mercenarium habebat, cui omnia sua concredebat. Huic vitam solitariam degendi incessit desiderium : a quo quidem instituto ut juvenem rebus suis utilem removeret, herus fere nihil intentatum reliquit : at frustra in retinendo illo laboravit. Juvenis enim hic mundo renuntians, ad fratres se recepit. Verum paucis post annis invasit eum tentatio redeundi ad sæculum : relictaque sua cella, ad herum rediit, sub prætextu illum revisendi. Hic autem fratrem semel atque iterum lubens suscepit : sed tertio rediens frater, deposita simulationis persona, homini occultam animi sui passionem ac morbum patefecit, dicens : « Quandoquidem amplius perferre nequeo jugum vitæ monasticæ, obsecro te, domine, ut me apud te recipias, eodemque quo olim loco habeas. Spero enim me rectius etiam, quam antea, rebus tuis consulturum : ex te quippe acceperam, quod et filiam tuam mihi in uxorem elocare velles. » Cui herus : « Si Deo conscientiam non servasti, mihi quod promittis, quomodo servare poteris? » Quo dicto juvenis tanquam flagello cæsus, ad cellulam suam se contulit. In laboribus ergo perferendis ne deficiamus; quoniam scriptum est : « Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent [1]. »

XLII. Ad mandata Dei observanda innocentiam adhibe; solertiam autem ad insidias adversarii depellendas.

XLIII. Cave tibi prudenter a congressu et familiaritate perniciosa; ut bene conquiescat homo interior.

XLIV. Cave te fraudulentum exhibeas et ex proposito acerbum, ne supplanteris, quando tibi firmus videberis ac stabilis.

XLV. Lenitatem ac mansuetudinem sectare, ne absque vino ebrius fias, malitia et iracundia gravatus.

XLVI. Ne voluptatibus addictus sis atque contemptor, ne per te Deus blasphemetur.

[1] Psal. cxxv.

XLVII. Cave cum scurris et histrionibus commercium habeas, ne cogitationes tuæ depraventur : valde enim perniciosi sunt illorum sermones. Nam senes repuerascere faciunt; juvenes autem ad operandum iniquitatem pertrahunt.

XLVIII. Improborum hominum consilia fuge, qui se ventris, et earum, quæ sub ventre sunt, affectionum servos constituerunt.

XLIX. Nequit impudicus amare eum, qui carnis vitium abominatur; nec fur hominem, qui ab injustitia abhorret; sed similis suo adhæret simili.

L. Cave tibi dulcis sit voluptas, ne tormentum illius tibi amarum reddatur.

LI. Quotidie exitum tuum expecta, et ad ingrediendum illud iter te para. Qua enim hora minime putas, veniet mandatum horribile : et væ imparato. Bona est compunctio, quoniam animis hominum medetur.

LII. Qui luget, non peccabit aliquando : et qui cordis compunctione tangitur, non cogitat malum; nam ex compunctione oritur fletus; in fletu autem a malis abstinemus.

LIII. Vide qua ratione superare possis voluptates : hoc siquidem functioni tuæ est expediens.

LIV. Voluptatum illecebras dissolvemus, si cum primis assiduæ orationi et sobrietati studuerimus : deinde si mentem a pravis cogitationibus puram contineamus : si nullum inordinatum verbum, ac non necessarium proferamus, certi quod infallibilis judex sit Dominus : si mente diligenter attenderimus : si judicium denique expectaverimus. Hæc siquidem intus titillantem, æstuantemque concupiscentiam reprimunt, animumque in tranquillitate constituunt.

LV. In quo consedendum tibi fuerit, loco permane, negligentiam atque desidiam a te repellens : non enim in loci

mutatione, atque distantia situm est, ut passiones reprimas, sed in attentione et cura mentis. « Patientia nobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, promissiones ejus » consequamur [1]. » Qui autem ignavia atque desidia distrahitur, tam longe abest a patientia, quam ægrotus a sanitate. Non igitur in torpore virtus, sed in patientia cognoscitur : quæ quidem patientia in eo renovatur retineturque, quod mens earum contemplatione ac meditatione, quæ sperantur et expectantur, exerceatur, occupeturque. Hinc enim pinguefactus animus, vires sibi sumit, quemadmodum corpus ciborum atque escarum sensibilium nutrimento. Quod si ab hujus gratia ac dignitate mens deciderit, vere inops atque infirma redditur. Idcirco affectionem, qua terrenis cupiditatibus addictus es, eisque adhæres, excute, et ad divinum illud opificium animum adverte. Et sic tibi non erit necesse, ut corpus e loco in locum transferas, et in peregrinationibus absque causa legitima, et superiorum permissu defatiges. « Regnum enim cœlorum intra vos est [2].»

LVI. Quocumque in loco te morari contigerit, facilem te atque irreprehensibilem præbeto, ut bene in Domino proficias. Si autem evaseris contemptor, vide ne in te velut auctorem ac ducem actionum impiarum, a meliore ac præstantiore contemptio refundatur.

LVII. Gaudere et lætari de progressu proximi, signum est perfectionis. De bona autem alterius angi atque tristari fama, acerbissimi improbique animi est argumentum.

LVIII. Quid angeris cruciarisque, o homo, de gloria proficientis? Num, quod hic, aut ille excidit a salute, tu propterea salutem consequeris? an quia multi regno cœlorum excluduntur, tu idcirco regnabis? num te unum capit regnum cœlorum? num tibi uni gaudium paradisi paratum

[1] Hebr. x, 36. — [2] Luc. xvii, 21.

est, quia de multorum salute indignaris? Ne igitur opera puri amoris, sanctique instituti cum odio atque inimicitia, ac gravissima morum acerbitate commutaveris. Nemo te seducat, non homo, non diabolus, non ulla in corde latitans mentis cogitatio. Impossibile enim est virtutem absque charitate ad perfectionem perducere. Licet enim quis vestrum omnem scientiam habeat, omnemque fidem, ita ut montes, sicut ait Apostolus, transferat, charitatem autem non habeat, nihil ipsi proderit [1]: quin et a recta, quæ ad cœli portas ducit, semita distat longissime. Multis ergo nobis opus est lacrymis, ut a vinculis odii, invidiæ, superbiæ, et cujuscumque probri diabolici liberemur. Siquidem dæmoniacæ affectionis est, de bono progressu proximi angi atque excruciari. Dæmones enim odio imbuti, nihil æque desiderant, quam cunctos funditus perire. Contra vero Sancti Dominum suum imitantes, homines cupiunt salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; charitate enim cum sint pleni, proximum æque ac se ipsos diligunt.

LIX. Si temperans sis, ne in tua continentia extollaris, sed cum humilitate Dominum ora, ut ad finem usque custos tibi sit. Sæpe enim accidit, ut repentinus bestiarum in vineam incursus, fructum ex negligentia custodis devastet atque corrumpat.

LX. Si divitiæ tibi fuerint, cave superbias: nondum enim a periculis atque insidiis es liber, incertaque est earum fruitio propter celeres dubiasque rerum vicissitudines, sicut scriptum est: « Vidi servos in æquis; et principes ambulantes super terram, quasi servos [2]. »

LXI. Si membris integris valeas, ne corporis robore extollaris; sed animo tecum expende, quot et quanta pericula corpori immineant. Quos etenim videmus incurabilibus laborantes morbis, sive membrorum aliquo mutilatos,

[1] 1 Cor. XIII, 2. — [2] Eccl. X.

sive ab immundis spiritibus vexatos, ii non sic affecti, ex utero matris nati sunt : sed plurimi in ejusmodi repente inciderunt mala, quique heri florida ætate vigebant, hodie gravissimis afflicti morbis marcescunt. Atque ideo cum ejusdem sis naturæ atque conditionis te ipsum considera, ne paulo post in easdem quoque ipse calamitates incidas. Quandocumque igitur in alio triste aliquod ac grave perspexerimus, in illo nos velut in speculo contemplemur : « Nescimus enim quid crastina paritura sit dies [1]. » Multis namque doloribus atque calamitatibus nostrum corpus obnoxium est. Quocirca infirmitatis propriæ conscii naturæ, ab omni superbia et inhumanitate alieni simus; mutuaque nos benignitate ac commiseratione complectentes, Creatorem nobis propitium reddamus, qui potens est nos tum morbis affligere, tum sanare; deducere ad inferos, et reducere. Licet enim ad modicum tempus firmitate corporis valeamus [2]; quid postera tamen paritura sit dies, nescimus.

LXII. Super peccatore ne extollaris, et innocentem ad peccandum cave incitaveris. Utrumque enim perniciosum est, et periculosum. Si autem te utilem exhibere velis, utrique te formam et exemplum bonorum operum præbeto, rivos lacrymarum coram Domino effundens : ut et lapsum Dominus a peccatis excitet, et stantem a peccatorum laqueis eripiat. « Unus enim judex est, qui potest salvare, » et perdere [3]. »

LXIII. Noli ascetarum Deo psallentium cœtum, arrogantia cogitationum elatus, perturbare, ne divinitus emissa in te plaga descendat. Siquidem in Deum peccare, grave simul et exitiale est. « Prophetarum spiritus Prophetis

[1] Prov. XXVII, et Jacob. IV, 13, 14. — [2] Tob. XIII. — [3] Jacob. IV, 12.

» subjecti sunt. Non enim est dissensionis Deus, sed pa-
» cis [1]. »

LXIV. Adolescens cum sis, silentio et diligentia delectare. Siquidem diligentia te nemini onerosum servat : at lumen animæ inextinguibile servat taciturnitas, non sinens a malitia splendorem ejus obtenebrari.

LXV. In omni loco, et quocumque in opere humilitatem tibi comitem adhibe. Sicut enim corpus, sive calori, sive frigori obnoxium sit, vestimento indiget : ita et anima perpetuo humilitatis indumento habituque opus habet. Pulchra atque eximia possessio est humilitas, et facile id norunt omnes, qui jugum ejus sine verecundia trahunt. Nudus et absque calceis potius incedere eligito, quam humilitate spoliari. Diligentes enim eam protegit, tueturque Dominus.

LXVI. Quemadmodum fieri nequit, ut semper in navi navigatores permaneant; viatoresque in eodem assidue commorentur hospitio absque loci mutatione, ita neque nos perpetuo in hac permanere vita poterimus. Quemadmodum enim ibi viatores atque navigatores appellantur : ita et hic nos advenæ et peregrini. Quare ista oculo mentis perspicientes, præparemus nos ad migrationem e vita.

LXVII. Quando te videris ad apicem virtutum evectum, tunc maxima tibi humilitate opus est, ut fundamentis salvis et integris, quod superstructum est ædificium, inconcussum et immobile consistat, atque sic in multa securitate fructus tuus erit.

LXVIII. Qui proximo suo foveam fodit, incidet in eam. Et qui præceptori suo laqueum tendit, impius hic est atque scelestus : unde et eodem supplicio dignus, quo qui bene de se meritum, præceptoremque suum in manus tradidit impiorum.

[1] 1 Cor. XIV, 32, 33.

LXIX. Hominem mundanum non coma, aut vestimentum faciunt, sed pravi mores, et propensio ad sæcularia terrenaque desideria. In his enim anima execrabilis efficitur.

LXX. Monachum non tonsura commendat, neque habitus; sed cœleste desiderium, divinumque vivendi institutum, quibus optima declaratur vita.

LXXI. Ante tentationem ne te magnum quid esse dixeris; nam sæpe etiam eos tentatio ingruens arguit, qui sibi stare videbantur.

LXXII. Ante tentationem, quid viribus polleas, puto te scire non posse. Quapropter mens tibi præmunienda est, et contra tentationis impetum invigilandum.

LXXXIII. Quemadmodum in fornace aurum atque argentum probat ignis; sic in tentationibus mortalium explorantur animæ, auxiliatorem habentes Dominum.

LXXIV. Tentationibus ne succumbamus, sed ad bravium cœlestis vocationis in Christo strenue contendamus. Coronat enim Dominus cunctos diligentes se.

LXXV. Si membra tua contegas, ne nuda videantur ab aliquo; ipse vicissim aspectum tuum ab alterius nuditate avertas oportet : extra tamen casum necessitatis, aut ægritudinis; ne species aliquas indecoras menti tuæ hinc imprimas.

LXXVI. Si œconomiam implens, oleo laborantem inungis; fac, oculos, manus, linguamque custodias, ne in ullo temperantiæ ac modestiæ fines transgrediaris, hoc enim deposcit pietas.

LXXVII. Membris alterius reverenter ac cum timore manus admoveto, quasi rem aliquam sanctam attingeres. Etenim vere sanctum est templum Domini, et admirabile in justitia, secundum illud Scripturæ : « Nescitis, quia » templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si

» quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Tem» plum enim Dei sanctum est, quod estis vos [1]. » Hæc igitur scientes, omni custodia cor nostrum custodiamus.

LXXVIII. Cave tibi a frequenti adolescentum consuetudine; multi enim sunt corrupti, et abominabiles stultique demum facti.

LXXIX. Somno atque quieti tantum temporis tribuito, quantum ipsa te cogit necessitas. Pigritia enim facile corpus accendere potest, vehementioremque libidinis flammam excitare.

LXXX. Qui in lectulis cubant auro, ebore, gemmisque distinctis, eos, qui in laboribus versantur, beatos prædicant, quamvis non audeant illos imitari.

LXXXI. Omnia facito, et cogitato, ut placeas Deo. Absque hac enim cogitatione perierit tibi omnis laboris merces.

LXXXII. In hoc brevi vitæ curriculo labores amplectere, ut quiete sempiterna perfruaris : tuus enim illic cessabit labor, sed opus permanebit.

LXXXIII. Si operatus sis, noli tristari de bona hinc tua emigratione. Nemo enim cum divitiis ad suos redit, et molestia tristiaque afficitur.

LXXXIV. Cave proximum tuum quæstus avaritiæque causa tentaveris, ne propter ipsum in peccatum incidas, verum cogita tecum ipso, quod scriptum est : « Nolite pru» dentes esse apud vosmetipsos [2] : iniqui enim regnum Dei » non possidebunt [3]. »

LXXXV. Ne sit manus tua exporrecta ad accipiendum, sed ad dandum potius.

LXXXVI. Esto patiens atque longanimis, ut multa prudentia reddaris conspicuus. Præclarum enim donum est

[1] I Cor. III, 16, 17. — [2] Rom. XII, 16. — [3] I Cor. VI, 10.

patientia : non bilem, atque iracundiam, contentionemque expellit, et animum tranquillum reddit.

LXXXVII. Si ex militia, quæ momentanea, florisque instar decidens gloria est, discesseris, ejusque pompam fastumque abrenuntiaveris, laboribus ad finem usque insiste ; ne Deus per te blasphemetur a gentibus infidelibus, quæ dicunt : « Ne Deus quidem illum liberavit. » Verum uti ait Dominus ; « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut » videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, » qui in cœlis est [1]. » Quin et ii, qui terreno regi militant, nisi strenuos se ostenderint adversus hostes, magnis a rege præmiis affici nequeunt. Cum vero quæcumque etiam præstiterint, exigua adhuc stipendia referunt. Et quænam sunt hæc? vana nimirum gloria, et voluptas ventris. At qui strenue adversus improbos spiritus decertant, militiæ cœlestis regni ascribuntur, cujus gaudii non erit finis. Erunt enim sicut Angeli in cœlis.

LXXXVIII. Si vel in cœnobio, vel tibi seorsim in eremo vitam duxeris, cave ne quæ in te requiruntur, cor scilicet mundum, et spiritum contribulatum, possidere negligas. Nam hæc qui possidet, nequaquam a Deo spernetur : qui autem hæc ipsa negligit, magnum periculum sibit.

LXXXIX. Cave te ipsum de elegantia et sublimitate sermonis jactites, extollasque ; quin potius efficacem idiotarum et illitteratorum doctrinam, ut discipulus sis Apostolorum Domini, profitere. In externa enim sapientia gloriari, hominibus præsertim christianis interdictum est. « Qui autem gloriatur, in Domino glorietur [2]. »

XC. Noli splendido ornatu vestium gloriari, memor quomodo ovinis pellibus indutus fuerit Elias, et sacco Isaïas, sicut scriptum est : « Vade, et solve saccum de

[1] Matth. v, 16. — [2] 1 Cor. I, 31, et 2 Cor. x, 17.

» lumbis tuis, et calceamenta tua tolle de pedibus tuis [1]. » Quali item Baptista vestimento usus sit ne obliviscaris [2]. Quare non vestium splendore studeas esse conspicuus, sed per bona opera luceat lux tua coram omnibus, ut glorificetur Dominus.

XCI. De fide disserens, an opera fidei correspondentia habeas, vide. Si autem dicendi et audiendi sis cupidus, in te quadrabit quod scriptum est : « Vis scire, o homo ina» nis, quoniam fides sine operibus mortua est [3]? » Vere enim mortui sunt omnes, qui Deum nosse profitentur, factis autem negant, « Cum, secundum Apostolum, execra» biles sint, et increduli, et ad omne opus bonum reprobi [4]. » Tu igitur submisse atque humiliter de te sentito, ne in sublime elatus, turpiter decidas ac disrumparis. Assidue Deum invoca, clamans ad ipsum : « Pone custodiam ori » meo, et estium circumstantiæ labiis meis. Non declines » cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes » in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem [5]. » Lingua enim exiguum membrum est, et magna exaltat [6]. »

XCII. Depopulationes bonorum, atque tormenta, mortisque minæ, multorum animos concusserunt. Alii autem per hæc coronati sunt : alii vero, avaritiæ causa, proditores evaserunt. Quidam etiam ob vanam gloriam spreverunt veritatem; alii vero libidinis œstro concitati, sceleribus succubuerunt. Cæterum illi soli, mortis habentem imperium, hoc est, diabolum, superarunt, qui in se ipsis semper Dominum retinent. Quoniam victoria nostra est Dominus. Sive igitur in bonis proficis operibus, superbia ne extollaris : sive etiam in multis te condemnas, salutem tuam cave desperes. Beatus enim ille, non qui bene tantum cœpit, sed qui irreprehensibiliter ad finem perducit.

[1] 3 Reg. XIX. 4 Reg. II, et Isaï. XX. — [2] Matth. III, et Marc. I. — [3] Jacob. II, 20. — [4] Tit. I, 16. — [5] Psal. CXL. — [6] Jacob. III, 5.

Ne ergo demus nos otio atque desidiæ toto die; sed hora saltem undecima bene operemur [1] : ut nos quoque digni reddamur, qui denarium ex manu Domini accipiamus.

XCIII. Si discipulum nactus sis, qui culpa ac negligentia sua, pietatis jugum excusserit; cave turberis, aut desidiæ tristitiæque locum præbeas, ut mentem tuam vehementius excrucies ; ne et tibi ipsi obsis, et ei non prosis. Sed cogita qualis fuerit Elisæi prophetæ minister [2]. Quod si ad magnam malitiam devenerit, in memoria tibi eum revoca, qui ex Apostolo factus est proditor [3]. Et quis ita perfidus est et iniquus, ut præceptori causam ruinæ ejus ascribat, ac non potius improbæ voluntati ipsius discipuli? Libero enim arbitrio Deus hominem donavit : unde et præmia, et supplicia ei sunt proposita. Ac bene quidem certantibus, honor atque corona; transgressoribus autem, et contemptoribus, supplicia atque tormenta. « Est enim peccatorum ad mortem [4] : » parat autem sibi mortem, qui perseverat in peccato, nec se a vetitis ad optima confert.

XCIV. Quando te a lectione divinorum eloquiorum abhorrere videris, admonitionesque spirituales fastidire; tunc animam tuam in gravem incidisse morbum noveris. Siquidem id insipientiæ initium est : quo morbo qui laborant, mortis fructum percipiunt.

XCV. Qui artem fabrilem exercent, non pulverem, non mallei strepitum, neque ignis ardorem respuunt ; sed rudem ferri massam studiose assidueque manibus tractantes, vasa inde commoda et utilia educunt atque conficiunt. Quocirca ne nos invicem cohortando defatigemur; ut a vili pretiosum separantes, nos quoque digni vocatione illa, immensaque gloria reddamur. Scriptum est enim : « Si separaveris pre-

[1] Matth. xx. — [2] 4 Reg. v. — [3] Matth. xxvi, 25. — [4] 1 Joan. v, 16.

» tiosum a vili, quasi os meum eris [1]. » Et, « Beatus qui se» men habet in Sion, et domesticos in Hierusalem [2]. »

XCVI. Animam tuam divinis laticibus irriga, ut vigens ac florens, fructum proferat in justitia. Oportet enim nos animæ utilitatem consectari, quemadmodum terrestria animalia herbas frondesque depascunt. Nam anima bene corroborata, corpus ad ferendos honestos labores firmius solidiusque redditur. Anima autem a turpibus cogitationibus debilitata, corpus quoque a malitia corrumpatur necesse est. Quamobrem beatus, qui hic recte, quæ vitæ sunt propria, negotiatur atque disponit : nam dives ad vitam immortalem perveniet. Qua utinam perfrui nobis omnibus liceat, precibus et intercessione omnium eorum, qui Domino nostro Jesu Christo complacuerunt. Amen.

SERMO.

De septem occupationibus monachi.

I. — 1. Tranquillitas, indivulsum habens vitæ institutum, quod procul sit ab omni sæculari sollicitudine, ut possit ex hominum felicitate adhærere Deo. — 2. Jejunium moderatum, id est, semel comedere in die, neque satiari ex vilibus cibis. — 3. Vigilia congrua, hoc est noctis dimidium in Psalmorum cantu, suspiriis, et lacrymis impendere. — 4. Psalmodia, id est, oratio exterior per psalmos, et genuflexiones. — 5. Oratio interior per mentem exercita, omnem mentis distractionem abjiciens. — 6. Lectio ex vitis sanctorum Patrum, atque ex eorum sermonibus, nihil omnino audiendo de dogmatis peregrinis, aut aliis rebus, ut per patrum sermones affectiones vincat.

[1] Jer. xv. — [2] Isaï. xxxi.

— 7. Interrogatio peritorum de omni verbo, ac tractatione, ne ex imperitia, ac in se confidentia alia pro aliis intelligens, et faciens, pereat; carne furente, ac dæmone, mustoque insidiante. Quod carnis insania, id est, libido carnis, non solum a tentatione dæmonis, sed etiam ab ebrietate inseritur. Non omnino inflammatio carnis a dæmone est, verumetiam a natura temperantiæ tenuis siccis flatibus infestata. Oportet igitur moderate miscere, ne ab omnimoda intemperantia attentio inficietur. Non efficit totam carnis commotionem inflammatio ab impressione dæmonis, sed quandoque a temperantiæ excessu commotio ortum habuit, aridioribus flatibus, ac calidioribus naturam commoventibus. Sic enim videtur iis, qui attentius naturam expenderunt, adeo ut moderate temperare corpus opus sit per (cibi) sumptionem, ne ob omnimodam temperiem, id est, continentiam, qui certat, a motibus carnis violentiam patiatur. Quod est inexpugnabile, est optimum: sin vero jacteris, imprime in te vivificum vitæ signum, et hostilitas expugnata remanebit. Optimum quidem est affectionibus minime capi, hoc est impressionibus cogitationum pravarum minime cedere. Si vero quandoque quis ab illis quodammodo concutiatur, vivifico crucis signo statim muniatur, et inimicus prosternitur. Hoc autem dicit sermo ex metaphora eorum, qui aliquando in bello ab adversariis turbantur; figura autem divitis, id est, signi crucis, quæ est in longitudine quadrata, statim protecti, ab hostium insidiis inexpugnabiles servantur.

II. Extremum jejunium, et ciborum repletio, reprehensibilia sunt, quia temperantia nimium producta, cibique saturitas, mala. Ea enim languidum pugnatorem reddit, atque omnino ad operandum ineptum; hæc vero carnis affectiones immodice excitat, vehementioremque conflictum contra animam commovet. Summæ passioni,

extrema ac perfecta temperantia utilissima est. Summam passionem vocat, non peccatum ipsum, sed motus peccati, qui ad peccandum urget, idque perficere conatur, cujusmodi est cupiditas. Loquitur igitur de cupiditate, quæ omnino prævalere videtur : tunc exacta, et admodum exilis temperantia est salutaris.

III. Æstuanti affectioni sanctum jejunium superextendatur; patientis viribus tamen accommodatum sit. Ejusmodi enim longus labor medetur. Majores vires capiente peccato, divina fames, nempe jejunium, augeatur : verumtamen pro viribus ejus, qui peccavit, attemperetur. Vehementiora enim crimina diuturniore indigent labore, ut sanentur. Ignavia sine legitima excusatione prænuntia est perversionis ad malum : quia animi segnities nulla existente causa, exempli gratia, corporis infirmitate, aliquando, aut aliquo incommodo, significat animam in pejus delabi : pigritiem enim sine excusatione illam dixi acediam, ac negligentiam in bene operando, quæ nullam habet causam vere existentem.

IV. Peccatum fugienti, diligenter vero incumbenti in Scripturarum lectione, nisi aliquem in virtute progressum faciat, terribile aliquid continget. Si quis divina bonitate a peccato liberatus, meditatur divina eloquia diligenter, nihil vero proficit in virtute per meditationem, ejusmodi timendum est, ne iterum a peccato captivus fiat.

V. Neophytus, qui ventri inservit, infelicem finem habebit. Qui in principio vexationis gulæ, aut nimio ciborum appetitui famulatur, malum habebit exitum.

VI. In monasterio, degenti progredi vage, causa fit omnimodæ prolapsionis : quoniam non opus est, ut monachus frequenter exeat. Plerumque enim ex his delicta. Qui ad gubernandum eligitur, ex propriis cognitionem capiat. Quisquis præesse cupit, prius ex se ipso præcipiendi mo-

dum ediscat, id est, prius sibi imperans, hic ad aliis imperandum aptus est.

VII. Qui carnem lascivientem cohibet, atque animæ absurdas commotiones refrenat, a pascendi cura non arceatur. Qui corporis, atque animæ turpes appetitus castigat, hoc est in corpore quidem fornicationem, nimiam ciborum esuriem, et similia; in anima autem iram, excandescentiam, vanam gloriam, atque ejusmodi, hic a gubernatione prohiberi non debet. Ante sermones, mores componat : quia oportet religiosum, antequam linguam exerat ad accedentium institutionem, moribus erudire. Morem vero tunc intelligit compositionem incessus, et oculorum continentiam, hilaritatemque, ac reliquam gravitatis moderationem. Complures enim videre est interdum existimationis contemptores; verecundiam tamen, quantum ad mores pertinet, tenentes.

VIII. Linguæ petulantia quietem offendit, quia insolentia tranquillitatis offensio facta est. Loquacitas reprehensibilis est, et inaccessa. Qui multum loquuntur, non modo reprobandi sunt, verumetiam in iis, qui versari, atque ad ipsos accedere volunt, aversionem pariunt. Si quis interroget, linguæ minime bene librata propositio non exeat, quod oportet ad interrogationem responsum dare congruum, ac temere minime respondere.

IX. Qui lingua propriam obscuritatem dealbat, divinum speculatus est splendorem. Obscuritatem vocat peccatum. Qui hanc lingua revelat, et contemptui exponit, tanquam expurgans, atque illustrans, divino splendore dignus factus est. Qui promulgat alieno secretum peccati alicujus, tanquam sacra deprædatus, reus fit direptionum. Quæ quis cum alio locutus est detegens, reus est malorum, tanquam præripiens futuro tempore Dei decretum : tunc enim peccatorum, quæ ab unoquoque commissa sunt, publicatio

definitur. Ei, a quo occultus lapsus manifestatus est, sanatio non est certa mysteriorum divinorum. Qui peccatum sibi patefactum non custodivit intra se, atque abscondit, sed apud alium triumphans exposuit, hic divinis mysteriis est indignus. Quem errantis occultatio magis oblectavit, num productoris munus suscepit? Si aliquis homo fecit quidpiam, quod non licet, atque hoc occultum in se ipso continet; hic abscondendo magis exhilarat dæmonem velamentum obtendentem, atque adulantem, quam cum illud patravit. Sobrietas iræ non servit, quod in verborum jurgiis non oportet monachum exacerbari, neque irasci. Juveniles bonorum manipulos fovet senectus, quia annonam bonorum operum in juventute conservat ætas senilis.

PARÆNESES AD ASCETAS.

PARÆNESIS I.

I. Initium renuntiationis monachi, est timere Dominum; qui vero divini timoris expers est, extra portas regni Dei demorabitur. Initium bonæ vitæ monachi, est cognitio Dei: ignorantia autem de Deo, monachi mentem obcæcat. Optima monachi hæreditas, est temperantia et sanctimonia vitæ; exhæreditabitur autem a parentibus, qui his sine monachus fuerit. Exercitatio monachi sit meditatio Scripturarum, et divinorum Mandatorum observatio; iners autem est monachus, qui in his versatus non fuerit.

II. Cibus monachi est, ut faciat voluntatem Dei, et non sensus; nam qui secundum appetitum sensitivum est cibus, monachum Deo non sistit: sed in ventrem vadit, et in se-

cessum exit. Gravi incessu monachus atterat gradus Ecclesiæ; indecoro autem incessu e domo in domum non divagetur. Vita monachi pura sit, et non in ludibrio mulierculis peccatorum cumulo gravatis : siquidem tentationis sagitta est in corde monachi, mulier in domo dissolute vivens. Consilium monachi cum cordato habeatur ; stulti vero consilium, in corde monachi non demoretur.

III. Monachus Psalmis, et hymnis, ac canticis spiritualibus invigilans, nocturnas phantasias depellit; at de bene gestis se ventitans, et interim dormitans, telam araneæ texit. Monachus strenuus cruce Christi laqueos fugat diabolicos : monachus terrena sapiens ac spectans omnibus est satanicus. Mens monachi semper in bonis operibus sit occupata. Exercitium monachi, cogitationes bonæ continuatæ, ac sibi mutuo succedentes. Vigilantia fidelis monachi turpes cogitationes reprimit. Agricultura monachi, anima bona evangelice fructificans, quam dum excolit monachus, illius fructu vescitur. Dulcis fructus aris, propriorum merces.

IV. Immortalis virtus monachi est paupertas crucem Domini sufferens : mala siquidem res est monachis avaritia, eos regno Dei privans. Impone cor tuum, monache, in humeros tuos, ut cogitatione et opere adversarium a te propellas. Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cœlos cum Elia evehens. Quamobrem, monache, hanc excolens, igneo ascende curru, duobus canalibus irrigatus. Lacrymæ ex oculis distillantes arbor sunt vitæ in altitudinem humilitatis excitata, cujus dum possessionem capere potuerit monachus, optimos sibi fructus vindemiabit. Vis virginitatis in ciborum consistit abstinentia; monachus autem crapulæ deditus contaminabit carnem suam. Monachus publicam faciens domum suam, abominationi erit, audietque a Christo : « Recepisti mercedem

» tuam : » qui autem erubescit recte facta sua publicare, mercedem ab occultorum scrutatore Christo accipiet. Monachus dans Deo quæ sunt Dei, non extollatur. Deum autem orans, dicat : « Ex tuis ego, Domine, tua tibi offero. A te solo animæ redemptionem requiro. »

V. Monachum puro corde preces de nocte fundentem exaudiet Dominus : de die autem hunc illustrabit Deus; et ut diem, quotidie demonstrabit ipsum. Monachus misericors fratrum amator, erit et terræ bonæ hæreditatem capiet. In monacho superbo non requiescet Dominus; at in humili requiescit Spiritus sanctus. Cogitatio monachi semper circa regnum cœleste versetur, et celeriter illud hæreditate possidebit. Omni tempore monachus vestem immaculatam teneat; non quidem textam illam, sed spiritalem : media enim nocte talis cum sponso ingredietur. Oleum secum ferat monachus in occursum sponsi, siquidem extra manebit cum quinque virginibus fatuis, qui lampadem suam oleo resplendentem non habuerit.

VI. Vita monachi ad imitationem Angelorum fiat, comburens peccata ; nam vita est pœnitentiam agentium perfecta sui oblatio. Vita monachi notam inurat membris suis mortificatis quoad concupiscentiam, quæ prius ad eam incitabant : siquidem vita et mores sancti Joannis, forma atque descriptio quædam sunt monachorum. Tempestas dæmonum procul sit a monachis; tranquillitas vero Angelorum apud monachos choros agat. Turbatione diabolica ingruente, monachus iram coërceat; nam vita monachi in lenitate et patientia dignoscitur. Monachus fervens spiritu fugat diabolum; iniquo autem odio persequens proximum, inique asciscit diabolum. Fermentum malitiæ non nominetur inter monachos; sincera vero charitas inter monachos dominetur.

VII. Sol non occidat super iracundiam monachi. Mona-

chus quietus non conturbat fratres; at vociferabundus pervertit conventum. Sonum psalmodiæ, monache, non renuito; nam Angelorum in hoc cantica sita sunt, ac laudes. Diabolicorum spectaculorum strepitum, monache, fugito; quoniam in eo dæmonum est deceptio. In fronte tua perpetuo impressam habeto crucem Christi, monache, et in corde tuo timor Dei semper sit, Christi pugil. Silentium monachi cum puritate cordis conjunctum, Spiritum sanctum flectit. Placidi mores monachi, fraternum amorem conciliant, et rixas depellunt. Monachus se Domino accommodans, non se tradat diabolo, ne confundatur coram sponso.

VIII. Scutum monachi inexpugnabile, est hymnus angelicus in ore ejus; somnus vero, si plusquam hymnus diligatur, monachi mors est. Thesaurus monachi, paupertas voluntaria; divinissimus est monachus in hac exercitatus. Thesauriza tibi in cœlis, monache; sempiterna enim sunt fruitionis sæcula. Monachi contemplatio in divinis sit Scripturis. Ostium monachi non vectibus occludatur ferreis, verum angulari lapide firmetur. Monachi in Deum pietas in hospitalitate cognoscatur, et in exultatione dirigatur. Admirabilis facies monachi per orationem redditur, et per eleemosynam agnoscitur.

IX. Monachus aspectu amœno exercitatoribus oblectamento erit, et improbas cogitationes dissipabit. Joannes ipse Baptista tibi exemplo sit, monache, capillis cameli amictus, ut Elias te sua pelle caprina cooperiens, in cœlos introducat. Jacobus etiam lætandum admonet in calamitatibus obvenientibus, patientiam nobis commendans. Joannes te ad Verbum, quod fuit a principio, deducit. Sudor in hilari et exporrecta spiritali fronte monachi excitatus, monachorum multitudinem recreat. Monachus temerarius fratrum conventum dissipat. Æqualitas inter monachos extirpat superbiam; et humilitatem ipsis fami-

liarem reddit. Angelis ille similis est monachus, qui quæ ventris sunt spernit, et crapulam atque ebrietatem fugit.

X. Pulchritudo immensa in anima monachi est relucens virginitas; turpissima autem illius est facies monachi, cujus violata est virginitas. Pessima res est monacho malitia in animum introducta, instar ignis suppositi stipulis. Monachus conculcans mundum cum Christo familiariter agit; at rebus mundanis implicitus placere non poterit militiæ præfecto Christo. Fidelissimus regni cœlorum præco est monachus ab omni avaritia alienus; male autem peribit, qui avaritiæ morbo laborat. » Mundities junioris monachi est temperantia haudquaquam obscuram virginitat m possidens. Thesaurus monachi est obedientia, quam qui possederit, exaudietur a Domino. Malitia non habitet in corde monachi; bonitas vero in operibus ejus redundet.

XI. Sermonem bonum scrutetur monachus, et in ore suo verba loquatur Dei altissimi. Famem spontaneam sibi monachus assumat, ad subjugandum hoc corpus terrenum, et exaltandam cœlestem animam. Sermonem verum monachus loquatur, et mendacium non audiatur in ore illius. Si duriora verba audierit monachus, non insolescat; sed submittat sese, quoniam fidelissimam pacis mercedem accipiet, et Altissimi filius vocabitur, pacis mediator factus. Suaviter verba sua cum humilitate depromens monachus, etiam ex lapideo corde lacrymas excitabit. Sicut leo formidabilis est onagris, ita monachus contrarius esse debet desideriis malis. Monachus importuno tempore jejunium solvens, velut qui turrim e fundamentis evertit. Sicut turbo pulverem in campis excitat, ita monachus superbus rixas, et contentiones in monasterio. Ut portus sine tempestate navigiis : ita in monasterio suo sit monachus.

XII. Imitator Angelorum est monachus in terra bona,

qui voluptatis sagitta non extitit vulneratus. Cave cum superbia quid enitaris, monache, ne præceps ex alto corruas. Imitator esto, monache, humilitatis divi Pauli, ut sanctorum quoque consors evadas. Imitare Publicanum, ne cum Pharisæo condemneris. Elige tibi mansuetudinem Moysis; ut cor tuum lapideum in stagnum aquarum transmutet Deus. Postea vero tanquam capta experientia, dices : « Quam bona est mansuetudo ; super aquam refectionis educavit me. » Cave durum te præstes, monache, memor quod nemo durus sit patiens. Cave, monache, ne relicto Abel, te superbo associes Caïno, ne et ipsius te supplicii consortem facias. Disce ergo quam pulchra res sit humilitas, et hanc tibi delige, nam in cœlum sustollit. Optimam ecce tibi mercedem humilitatis propositam, monache, ipsum cœleste regnum, quod cave negligas.

XIII. Monachus juvenis in abstinentia firmetur, vanamque gloriam spernet. Novella planta a Deo sanctificata, est monachus abstinentiæ rore irrigatus. Jejunium frenum est monachi, quod qui rejicit, equus insanus comperietur. Juvenis monachus effrenatus impune peccat. Monachus lavans pedes sanctorum, cor suum illustrat, et thesaurum in cœlis habebit; lavans autem indifferenter pedes peccatorum, benedictionem eorum, qui pereunt, super se ipsum colligit. Nocte, diuque operatur monachus, vigil orationibus incumbens. Monachus tundens sibi pectus suum effundit lacrymas, cœlitusque misericordiam implorat. Fluentum divinum in ore monachi est psalmus confessionis, cujus possessor perfectus est.

XIV. Lignum vitæ super terram monachus passionum expers; lignum vitæ æternæ in cœlis, monachus stabilis, et non errans. Admirandum spectaculum in cœlis, est monachus super terram angelicam vitam agens. Ensis acutissimus adversus diabolum est psalmus in ore monachi.

Lignum aridum, ex mandato Elisæi, ferrum securis de profundo aquæ traxit : corpus autem monachi, quod jejunio exaruit, animam de profundo sursum attollit. Exsiccat voluptatum cloacas jejunium monachi. Gladius adversus cupiditates, vigilantia monachi in orationibus attenditur. Convivium monachi, ex solis oleribus cum charitate constans, melius est victimarum adipe. Xenia ac munera excæcant oculos sapientum : qui recipit ea cum injustitia aliorum, cultor pietatis non erit.

XV. Terminus jejunii monachi mors est ; ante obitum ergo, ab illo non abstineat. Terminus orationis monachi indefinitus, cum omni tempore benedicere Domino bonum sit. Pietatis athleta convitiis agens cum monachis, reprobus, et apud homines abominabilis habebitur. Monachus non refrenans linguam suam, in die iræ, non facile etiam passionibus temperare poterit hujusmodi. Monachus iracundus occidit animam suam, acutissimisque sagittis vulnerat proximum suum. Væ monacho, qui se justificat coram hominibus, abominabilis enim talis est coram Deo. Piger monachus excogitabit verba vana, et colloquium ejus erit fucatum. Monachus præceps, in tentationem incidet; clemens autem sedabit iram. Monachus confidens in virtute sua, concidet; at qui in pietate confidit, stabit. Qui proximum suum tanquam peccatorem spernit, miser est; at cui imprimis cura est de proximo suo, exaltabitur.

XIV. Monachus cum aliis colluctans, abominationi erit, et coram honoratis viris dedecorabitur. Ante tentationem, arma te ipsum, monache, ut in tentatione probatus inveniaris. Divitias ac corpulentiam ne consecteris, monache; angusta enim et stricta via, quæ non conferunt, rejicit. Tanquam Pauli factus discipulus, dic cum eo : « Omnia » arbitratus sum sicut stercora, ut Christum lucrifaciam [1] »

[1] Philip. III, 8.

Ignis intra monachum ardens, est voluptas ex ebrietate incensa. Fons perennis Christus est : ex hoc hauriens, monache, gravem incendii ardorem restingues. Divitias manibus contrectans, et corpulentiam ex crapula et ebrietate comparans, non intromittetur in portas regni cœlorum. Confide igitur, monache, non in divitiis, neque in corpulentia ; verum in paupertate potius, ac continentia, ne extra portas constituaris. Monachus confidens in præstantia generis, ac nobilitate corporis, humiliabitur ; qui autem humiliaverit se propter Christum, exaltabitur.

XV. Sermonem improbum non proferat monachus ; ne vitis absque floribus fiat. Verbis dulcissimis monachus compellabit proximum suum, cum mel nullam in se amaritudinem habeat. Ne sis segnis operum justitiæ defensor, cum apis semper versetur in opere. Jordanis fluentum, purificatorium poculum est peccatorum, a Christo sanctificatum. Fluentum lacrymarum monachi, remissio delictorum, Christo dicente : « Beati qui nunc » flent, quoniam ridebunt [1]. » Squallescet levis monachus a cogitationum procella ; dictis autem evangelicis se ipsum confirmat temperans. Proximum a peccatis sine improperio, monache, libera, quantum potes ; nam Deus revertentes ad se non repellit. Verbum malitiæ atque nequitiæ ne foveas in corde tuo adversus fratrem tuum, monache ; ut dicere queas : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et » nos dimittimus debitoribus nostris [2]. » A cogitationibus suis suffocabitur monachus ignaviæ deditus, sicut a vepribus ac spinis frumentum.

XVI. Corona gloriæ, et exultationis monachi, est pax et sanctitas, quas qui possederit, Deum videbit. Temperantia monachi eriget caput ejus, et in medio multorum glorificabit illud. Sapiens monachus, non qui solum

[1] Matth. v, 5, et Luc. vi, 21. — [2] Matth. vi, 12.

recta docet, sed et constantem, benignumque se exhibet. Vere enim sapiens is est, qui quod verbo docet, etiam opere præstat. Monachus prudens adversus dæmonum decertans phalangas, non vulnerabitur eorum sagittis. Monachus cruce Christi munitus conteret caput draconis. Os monachi aperiatur sermoni divino ; at cor ejus meditetur eloquia Domini, absque distractione.

XVII. Pretiosa possessio monachi est virginitas lumine eleemosynæ collustrata; quam custodiens monachus, secure ad Sponsi thalamum ingredietur. Serva mandata Altissimi, o monache, et Patrum constitutiones excole, pietatis pugil : hæc enim faciens, regni cœlestis hæres designaberis. Monachus audax in tentationem incidet, et in laqueum diaboli; mansuetus autem pace fruetur, et corona sanctitatis donabitur. Monachus deliciis indulgens, in erroribus erit, et phantasiis nocturnis : jejuniis autem dediti cubile immaculatum erit, et somnus ejus sine phantasmate. Monachus Deum timens in rem improbam non incurret; talem namque custodit Deus, et in die obitus sui, talis propitiationem inveniet.

XVIII. Obedientia monachi non in majori dignoscitur, sed in tentationibus probatur. Patientia monachi, per tribulationes a fideli perfecta, spem sibi vindicat minime confundentem. Patientia monachi ad ultimum usque ejus spiritum duret. « Qui enim perseveraverit usque » ad finem, hic salvabitur [1]. » Divinas laudes assidue personet monachus ; Seraphim enim incessabili voce Deum glorificant. Canticum spiritale, in ore tuo versetur, monache; quo supervenientium tentationum onere subleveris. Patiens esto, monache; nam tempus patientiæ breve est, sæcula autem fruitionis sempiterna. Monachus morigerus

[1] Matth. x, 22.

audacter cruci se sistet, quandoquidem in cruce Dominus, morte autem crucis [1].

XIX. Vox monachi non extollatur adversus fratrem suum in amaritudine animæ suæ. Vox monachi in mansuetudine orationis sincere dirigatur in Deum, immotis labiis. Verum in terris luminare est monachus, qui lingua sua non est lapsus; amicus talis est Christi, et qui corpus suum non contaminavit peccatis. Timor Dei continet monachum, velut turris inexpugnabilis. Monachus divini timoris expers ab adversariis facile capietur. Lumen in terris purum est monachus, in quo non est reperta cupiditas; cum ea radix sit omnium malorum, et non producat fructus bonos. Carnem edere, et vinum bibere, melius est monacho, quam in detractione carnes proximi sui devorare. Panem tuum, monache, cum melle comede, ab amaritudine abstinens; et vinum tuum cum lacte bibe, sicut infans spiritu; mel enim absque amaritudine est, lac autem malitiæ expers.

XX. In camino ignis probatur aurum, et monachus in conventu monachorum agnoscetur. Monachi manus reverenter ad Deum extensæ sint; manibus enim suis præfigurans crucem Moyses, devicit Amalech. Magnum præmium crucifixus consequetur monachus qui et quotidie moriatur, De eo enim gaudebunt Angeli, in regnum cœlorum intromittentes ipsum. Frenum cupiditatibus monachi, est jejunium; destructio vero earumdem, oratio cum eleemosyna. Perniciosa grando est vineæ, quæ modo claviculos protulerit : sic manus monachi, quæ perperam moveantur, in monasterio nuper constituto. Monachus nive candidior, qui carnis desideria superat; nam Christum præ auro concupiscens, aspiciet ipsum in die be-

[1] Philipp. II, 8.

nignitatis coronantem se. Monachus susurro conventum monachorum dispergit, et amicos dissipat.

XXI. Monachus autem cum intellectu canens amicitiam paternam comparabit. Susurrans serpens Evam e paradiso ejecit; cui et monachus susurro existit similis, quippe qui animam proximi perdit, et suam non salvat; spiritaliter autem in corde suo psallens, a Deo exaudietur. Anima monachi semper Deum respiciat; nam anima monachi quæ semel renuntiavit mundo, et desponsata est Christo, res terrenas despiciet. Monachus, bonis operibus circumamictus, caput draconis armilla perforabit; anima enim monachi spiritaliter bene redolens, pie odoratum draconis obstruit, ne in eo voluptatis inquinamentum odoretur.

XXII. Quam bonum est, fratres, voluptatem domare, et desideria carnis superare; cui enim in corde præsto est timor Dei, a voluptatis inquinamento non inficitur. Specios laus ex ore monachi, in cordis puritate ad Deum directa, sicut suffitum spiritalem suavissimi odoris, orationem hujus suscipiet Dominus. O quantus in Angelis dolor, monacho per negligentiam e regno cœlorum ejecto! O quanta tristitia Sanctis erit, exercitatore non comparente coram Sponso ad sanctum thalamum nuptialem! O quantum contra gaudium inter Sanctos erit, pecatore prævia pœnitentia regnum cœlorum ingrediente! O quanta lætitia Sanctis, peccatore converso ab errore viæ suæ, quorum imitantes fidem, cum gaudio implete lætitiam! O beati Dei filii monachi, qui a carnis concupiscentia non estis devicti! Vos terra non teget: sed cum Angelis cœlum suscipiet. Ipsi Deo gloria in sæcula. Amen.

PARÆNESIS II.

Audite ista, et custodite, vos qui filii lucis estis ; regnum enim cœlorum vobis hæc ipsa adhortatio conciliabit. Invigilate verbis istis, et invenietis requiem animabus vestris. Convalescite ab infirmitate vestra, timore divino confirmati. Oratio vestra ad Deum pura sit, sed pro me etiam obsecro. Vitæ æternæ hæredes evadetis, si admonitiones hasce non neglexeritis. Sit verbum vestrum : « Est, est, et Non, non : ex præscriptione evangelica. Mors vobis non dominetur, translati enim estis de morte ad vitam. Jesus sit vita vestra, cui adhærentes non moriemini. Nam Dominus est vitæ et mortis, et cunctos accedentes ad ipsum salvos facit. Peccata solvit, delet scelera eorum, qui invocant ipsum ; pœnitentiam agentes curat, convertentes sanctificat. Intelligite ergo virtutem pœnitentiæ, et ad eam qui peccastis, adducimini ; peregrinatur enim a vobis omnis peccati species, o Dei amici. Non ergo regnet peccatum in vestro spiritali corpore, qui incorruptionem suscepistis. A tentatione liberi estis, fratres, siquidem amaritudinem abjecistis, divinis verbis fidem habentes. Res terrenas despicite. Crucem fronti impressam tenentes, spectaculum diabolo tremendum habebitis. Honorantes justitiam, castimoniamque servantes, jam incolæ paradisi evasistis.

PARÆNESIS III.

I. Attende tibi ipsi, o juventus exercitationis ac pietatis studiosa, ne forte dies tui in distractionibus prætereant. Ne unquam pravas cogitationes admiseris, ne in bello, quod cum inimico tuo geris, virtus tua languescat atque deficiat. Habeas assidue dulcem Dominum in mente tua, ut exercitationis tuæ cursus coronetur. In pietatis certamine propera, o juventus; advenit enim dies, et appropinquavit tempus, quando laborantes coronabuntur, et negligentes dolebunt. Posside virtutem, donec tempus tibi suppetit. Pudor sit in oculis tuis, veritas in auribus, verba vitæ in lingua tua, visitatio infirmorum in gressibus tuis, imago Domini tui in corde tuo, in membris tuis officia temperantiæ et continentiæ, ut coram Angelis et hominibus, præ aliis honoreris. Lignum inanime, quod mortalis regis imaginem continet, honoratur : quanto magis anima honorem meretur, quæ Deum in se continet, et in præsenti hoc sæculo, et in futuro?

II. Attende tibi ipsi, charissime. Concupiscentia mortua est; at corpus tuum vivit. Proinde diligenter attende, ne corpus tuum rei mortuæ vitam præbeat. Quod si ipsi vitam dederis, te occidet. O planctum acerbum ! quoniam mortuus ad vitam revocatus, vitæ suæ Datorem occidit. Disce accurate quid sit concupiscentia. Ea per se sine corpore mortua est; quando autem concupiscentiæ impetus ad corpus accesserit, subito concupiscentia vitam accipit, et in concupiscentiæ dulcedine mens occupatur; reperiturque corpus, quod erat vivum, concupiscentiæ mortificatione emortuum. Quapropter sedulo tibi ipsi attende ab hoc

mortuo. Dum flamma concupiscentiæ illius ureris, revoca tibi in mentem ignem inextinguibilem, ac vermem nunquam cessaturum, et e vestigio membrorum extinguetur incendium. Vide ne propter relaxationem atque ignaviam vincaris, ac te pœniteat præoccupetque te ignis, pœnitentiæ tædio; et assuescas peccare, etiam dum es pœnitens. Austeritatem amplectere ab initio adversus omnem concupiscentiam, ne vincaris; et ne ex bello inferior discedere consuescas; consuetudo enim altera est natura; et relaxationis consuetudo nunquam austeritatem admittit. Semper enim ædificabit, et destruit : semper peccat, et resipiscit.

III. Charissime, si relaxari sis solitus, dum oppugnaris, inscriptio libelli tui erit : Ignavia, in sæculum sæculi. Qui in aliqua concupiscentia vinci consuevit, semper eum propria coarguit conscientia, nulloque non tempore angitur : et licet coram spectantibus hominibus religiosum hilaremque exhibeat vultum; intrinsecus tamen ob remorsum conscientiæ suæ contristatur. Nam id secum afferre solet concupiscentia, dolorem amarum suis infligens operatoribus. Tota ergo anima attende, Deum apud te semper retinens; Christus enim immortalis animæ sponsus est. Cave igitur verum sponsum tuum deserueris, ne et tu relinquaris ab ipso, derelictusque adhæreas alieno, id est, fraudulento inimico. Dolose quippe ad breve tempus diligit, et mox deserit; immundæ enim meretrici similis est, quæ cum substantiam et vires alicujus absumpserit, aversari atque odisse incipit. Quis igitur non deploret? nam inimicus noster, ubi vires nostras ac tempus in suis immunditiis fœdisque concupiscentiis prodegerit atque consumpserit, tunc a nobis recedit propter odium, quod in nos habet; nunquam enim impurissimus ille ac immundissimus nos dilexit.

FINIS TOMI QUADRAGESIMI.

INDEX

TOMI QUADRAGESIMI.

CLASSIS XII. DE VIRTUTIBUS.

CLASSIS XIII. DE VITA ASCETICA.

PARÆNESES AD ASCETAS.

EXPLICIT INDEX.